

Digitized by Google



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

11-1-F 9.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliothecae ... Coll. Rom. Soc. Jesu.

PRIVILEGIA REGVLARIVM.

QVIBVS APERTE DEMONSTRATVR REGVLARES AB OMNI ORDINARIORVM POTESTATE EXEMPTOS ESSE:

NECNON IN VTRAQVE HIERARCHIA IVRISDICTIONIS, & Ordinis locum habere.

IN DVAS PARTES DIVISA.

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu.

Auctore P. F. BRVNONE CHASSAING, *Ordinis Minorum Recollectorum, necnon Gregorij XV. & Vrbani VIII. in Basilica Lateranensi Ecclesiarum Orbis prima Pœnitentiario.*

Editio tertia ab eodem auctore correcta, aucta, & illustrata







PARISIIS,
apud EDMVNDVM COVTEROT, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Boni Paſtoris, propè Mathurinenſes.
M. DC. LIIII.
De Licentia Superiorum,

Digitized by Google

13 1 F 9

Digitized by Google



PRÆFATIO.

CREDO quòd ad primum huius ædificij limen, tanquam ad lapidem offensionis, & petram scandali offendent pedem suum Religiosæ vitæ Impugnatores. Credo (inquam) quòd ad solam tituli inspectionem obrigebunt, tanquam ad infaustum, aut malè ominosum alicuius Hydræ, vel Medusæ occursum. Obstrepent, ni fallor, quasi nouum aduersus ipsos emergat monstrum ab effetatis, extremisque Libiæ finibus oriundum, aut quasi alter Troianus equus aduenter, latitantem exercitum effusurus visceribus, ad eos opprimendos. Priuilegia Regularium indigitasse sat est, ad lanceas, ad arma paranda, ad totum ciendum Orbem. Sed quis eos penitùs terror exagitat? Cur architectantur mala, & dicunt bonum, malum? Priuilegia nostra, nec monstra sunt, nec Hydræ, Medusæue nomen, aut omen portendunt: sed ad monstra tartarea, hydram peccatorum septicipitem eiugulandam destinantur. Non Equi Troiani, stratagema timeant; nullæ in eo insidiæ, nulli sunt latitantium militum cunei; sed fortasse lectæ Religiosæ militiæ phalanges, ad nullius hominis exitium, sed ad debellandas stygias acies instructæ, quibus nulla alia suppetunt arma, quàm verbum Dei, *penetrabilius omni gladio ancipiti*. Priuilegia Regularium quid aliud esse arbitrantur, quàm fœlicem Ecclesiæ fœtum, inter Apes, & aluearia Pontificia procreatum. Illius semen, nostrorum est sanguis Martyrum; Conceptus, Doctorum nostratum infinita pene multitudo: ad eius partum obstetricarunt innumera omni æuo à Religiosis Ecclesiæ præstita obsequia. Non alios agnoscit parentes, quàm Ecclesiam, & summos Pontifices. Hunc ab omni æuo lancinauit inuidia, perstrinxit odium: hunc Wicleffus, hunc Guillelmus à S. Amore minimè stimulatus. Sigerius, & moderni nonnulli, alijque sexcenti suo in ortu, progressuue præfocare studuerunt; etiamnum in dies in illius exitium nonnihil excogitant. Sed adhuc viuit, imò crescens ætate & vbertate coram Deo, & hominibus fœliciùs adolescit: & sicut Palma quò magis oppressa, eò vegetior & fortior fructus exuberat.

Cur nobis volunt illum genuinum Ecclesiæ partum eripere, tot titulis debitum, tot sæculis acclamatum, tot Pontificum annulo, & caractere sigillatum, tot Regum firmatum sanctionibus, & omnium populorum applausibus exceptum? An quid nouum, aut insuetum? Vagantur per omnes rerum ordines, per omnes Mundi status priuilegia: suis gaudent Regna, Regesque libertatibus; suas habent exemptiones, & immunitates Episcopi, Abbates, Capitula, Senatus & Curiæ: imò & ipsi rei ad triremes,



ad furcas, ad necem damnabundi, suis inter aras, & Templa apricantur asylis, è quibus sine crimine, sine sacrilegio auferri non possint. Religiosis solis denegandum autumant nostri impugnatores, quod reliquis indulgetur, quòd omnia liberè possident. An Ecclesiam carpunt, quòd filiis suis obsequentissimis, & fidelissimis suarum non deneget partem gratiarum, quas nemini non tribuit? An nesciunt, quia omnibus mater est, nulli nouerca cunctis munifica, nemini illiberalis? Non alio nomine iniqua est, nisi quia cunctis æqua, æmula (scilicet) pietatis, imitatrix Naturæ, quæ Vniuersi peregrina errat, de vniuersis bene meritura; omne solum peruadit, ciues Mundi, rerumque omnium vices & ordines lustrat, vt sua bona, suas vitæ opes degustent omnia, ne vni soli benefica audiat. Habet pariter & Ecclesia viscera materna; eam nimiæ culpant indulgentiæ, cùm alijs ita magnificè distribuat, vt nihil tamen nobis non tribuat. An quia Religiosi relictis rebus, spretisque Mundo, & concupiscentiis eius sua reliquerunt omnia, vt Christo, & sponsæ eius Ecclesiæ liberiùs inseruirent? An quia Religio suos omni æuo dedit alumnos Ecclesiæ, tot infula splendidos, tot purpura illustres, tot tyara gemmeos, putant Ecclesiam nihil gratiæ, nihil beneficentiæ reddituram, ingratamque fore nobis, quæ sese gratam pandit vniuersis? Pia mater suos omnes agnoscit filios, nullos spurios: bona sua in nullos, nisi in liberos dispendit, non dilapidat: quia non sine consilio, non sine ratione panem suum ita dilargitur, vt tamen frustum, aut quasi mica de mensis aliorum cadens veniat Religiosis; quibus minùs dat, vt det illis copiosè: eo tamen fine, vt distributæ nobis gratiæ illis non modo non obsint, sed continuè prosint. Priuilegia, vt vno verbo dicam, nobis dispensat, non in iuris alieni destructionem, *sed in ædificationem Corporis Christi, connexi per omnem iuncturam in mensuram vniuscuiusque membri ad consummationem Sanctorum in opus ministery* (hoc enim vnum spectant Regularium priuilegia) *euangelisare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare hortationibus suis, non solùm coram Gentibus, & Regibus, sed & filijs Israël:* Dei sacramenta ministrare, arguere, obsecrare, increpare opportunè, importunè. In hoc positi sumus, vt sine pera, sine baculo, in fame, in siti, in laboribus, in periculis Apostolicæ vitæ sequaces eamus, *& fructum afferamus: & fructus noster maneat.* Enimuerò manet fœliciter in nouo Orbe, manet in Iaponia, manet in India, manet in America, manet sub toto cœlo. Quot barbaræ Regiones Christianæ fidei iugum amplexæ? *quot oues, quæ non erant ex hoc ouili, vocem Christi Pastoris per ora Religiosorum audierunt?* Suos possunt vendicare sibi fructus in Germania Bonifacij, & alii: suos Augustini cum sociis in Anglia, suos in Hibernia Patricii, suos in Pannonia Mauri, suos in Suecia Augerij, suos in Tartaria, in Peruuio, & America Dominici & Francisci discipuli, suos in Orientali plaga Martini à Valentia, & Xauerij. Quid verò emolumẽti, quid vtilitatis in Gallia, in Italia, Hispania, & Europa tota perferãt Religiosi, nullus non videt, & si quis in hoc cœcutit Sole, Elleboro curandus est, non rationibus. Sed audio quosdam immeritò queritantes, aperto Marte buccinare, Religiosos scilicet ad veterum Monachorum institutum restringendos. Enimuerò si hoc à nobis exigunt, si eodem pas-

su debere gradi volunt nostra sæcula, quo antiqua: quidni Romanorum Pontificum census ad Diui Petri, primorumque eius successorum tenuitatem, egestatemque traducendos conclamant? quidni Antistitum bona in pauperum vsus dispensanda: quidni communes illis ædes, communis Mensa, & omnia communia cum Monachis? Porro suo more vixerunt antiqui Pontifices & Præsules, hi nostri tẽporis suo, & omnes bene. Vixerunt etiam suo more Monachi, nos nostro, illi vt plurimum sibi dumtaxat, nos nobis & proximo. At, inquient, sub ditione Præsulũ arctabantur: Verum est, sed eos ab hoc iure dispẽsauit Ecclesia, hoc voluere, hoc potuere Pontifices; hoc grauaminũ, à regularibus sub eorumdẽ præsulũ vexillo militantiũ toleratorum multitudo: hoc operariorum paucitas, hoc vineæ Dominicæ cultura, hoc regiones albæ ad messem, hoc omnia sæcula expostularunt. Attamen si nonnihil gratiæ nobis indulsit Ecclesia, nõ à debitis eisdem officiis charitatis auulsit; non ab amore exemit, sed ab onere distraxit, & attraxit ad cooperationem, *vt vnanimes vno ore glorificemus Deum*, sicut & vno opere, *Porro instantia nostra quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, ne tamen super alienum fundamentum ædificemus*: si quid enim gloriæ in infulis, si quid pompæ in cathedris, siquid stipendii in beneficiis, hoc totum illis lubenter cedimus, non ambimus, vt sit hæreditas nostra, & sit portio nostra; quod est squalloris, carceribus inuisendis; quod inediæ, Xenodochiis lustrandis? quod laboris, Exomologesibus; quod miserarium, *in itineribus, in periculis, in omni genere, ærumnis, fame & siti frigore & nuditate; in plagis supramodum, in mortibus frequenter.* Honores illis, vt par est, nobis partem oneris solùm appetimus: consolationes respuimus, dummodo *simus socij passionum.* Nihil certè, de illorum iure deperit, oues illorum nolumus, sed ouium salutem: non nostræ sunt, hoc vltro fatemur, sed illorum. Si saluantur, quid refert, si illorum labore, an nostro saluentur; dummodo saluentur. En scopus, en finis priuilegiorum Regularium. Horum quidquid inueni in diplomatibus, & oraculis Pontificum, Canonum, & Conciliorum decretis, Cardinalium declarationibus, Doctorum voluminibus, secretioris Regis Consilii, & Supremorum Senatuum placitis, in hunc congessi librum, quem æquis, & benignis iudicibus ingratum forte nequaquam auspicor, ni fortè impugnatoribus nostris fasciculum Myrrhæ.

Demum si illis priuilegia non placent, non displiceat quod dicam. Tollant quæso impietatem sæculi; tollant amplum Satanæ regnum, tollant hæreses, tollant schismata, tollant messem, operarios paucos, inopiam sacerdotum, qui in hoc opere ritè laudabiliterque versentur: & faciant vt corda multorum charitate erga Regulares ardeant; tollenda postmodum Regularium omnium priuilegia, eorumque memoriam penitùs obliterandam affirmabo. Ac denique, vt volunt Religiosi suis sese abdent in nidis, in claustris, in solitudinibus: nihil solliciti eorum, quæ foris sunt, tantummodo erectos habentes ad sidera vultus, in vigiliis, in ieiuniis, & orationibus deprecantes Deum opt. max. vt cum illis illius beatitate in perpetuas æternitates fruamur.



HOC TOTVM OPVS est bipartitum.

PRima pars sex tractatus complectitur. Primus verò tractatus Pontificis ad priuilegia concedenda, & Regum ad eadem tuenda potestate probata, priuilegia Regularium in communi legitimè concessa, eaque valida, & ab Ordinarijs independentia, alijsque proprietatibus ornata aduersus impugnantes, probat & tuetur.

2. Exemptionem Regularium ab Ordinarijs in communi, & in particulari latissimè expendit.

3. & 4. Ostensa priùs quidditate Hierarchiæ in communi, & Hierarchiæ iurisdictionis in particulari, probat in hac locari Regulares: maximè verò eorumdem Prælatos, quorum Priuilegia in subditos absque dependentia ab eisdem Ordinarijs ad eamdem spectantia, fusè demonstrat.

5. Copiosè refert priuilegia in eadem Hierarchia concessa Sacerdotibus Regularibus ad absoluendum, & dispensandum, independenter ab eisdem Ordinarijs, vtriusque sexus Sæculares, & Regulares.

6. Denique priuilegia Regularibus ad prædicandum independenter, vt suprà concessa, accurate examinat, eaque valere astruit manifestè.

Secunda pars, natura Hierarchiæ Ordinis explicata, priuilegia ad eandem spectantia Regularibus independenter ab Ordinarijs concessa recenset, quæ nonnisi duos tractatus continet, in quibus efficaciter probatur priuilegia hactenus Regularibus concessa valere, tam ad sacros ordines suscipiendos, ac alijs conferendos; quàm ad res sacras benedicendas, & consecrandas: necnon ad sacramenta Sæcularibus & Regularibus ministranda, & ad multa alia similia peragenda, quæ ad eandem Hierchiam pertinent. Hæc omnia stylo simplici & doctrinali edita, Lectori legenda offert Auctor: eundem enixè precatus, vt nulli sententiæ, & propositioni, si quæ sit sine doctore, aut lege in hoc opere ab ipso proposita assentiatur, nisi firma ratione, aut Doctorum huius temporis Regularibus minimè suspectorum iudicio fultam viderit. Quem etiam vult monitum, quod litera B. maior pro his duabus vocibus videlicet *Bulla inchoata*. Litera verò (.O.) maior pro viuæ vocis oraculis in fauorem regularium Cardinalibus concreditis. Litera (o) minor pro eisdem, personis inferioris dignitatis commissis in hoc opere sæpiùs vsurpabitur, vt sic repetitio & prolixitas vitetur.

NOS infra scripti Minister Prouincialis Fratrum Minorum Recollectorum Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis in Aquitania facultatem concedimus, quatenus liber de Priuilegiis Regularium à Reuerendo Patre BRVNONE CHASSAING eiusdem Prouinciæ Patre compositus, & grauium Theologorum iudicio examinatus, & approbatus prælo mandetur. Actum Sanctonis in nostro Sancti Bonauenturæ Conuentu, Die 10. Decembris 1644.

F. AVGVSTINVS ESMIER
M. Prouincialis.

Fr. Daniel à Dongo, lector Iubilatus, Vicarius Generalis, & seruus Ordinis Seraphici Patris nostri Francisci &c.

CVM nostri muneris sit his potissimum inuigilare, quæ ad Seraphici Ordinis splendorem spectant, manusque auxiliatrices præbere Patribus, ac Fratribus nobis subditis pro religione desudantibus, ne labor ipsorum inanis habeatur Hinc est quòd cùm Reuerendus Pater Frater. Bruno Chassaing nostræ Prouinciæ Recollectorum immaculatæ Conceptionis in Aquitania Pater Exprouincialis nobis exponi fecerit se volumen Priuilegiorum Regularium, & Exemptorum composuisse, typisque iam mandatum Burdegalæ cum approbationibus, & Priuilegijs inde necessarijs, ipsumque desiderare Prælo iterum mandari Siracusæ in Regno Aragoniæ, vt postulantium à se Regularium votis valeat respondere. Ideo nos paterno affectu ducti desiderijs eius annuentes facultatem ad id requisitam libenter inpertimut: quatenus cum ipse personaliter adire nequeat, vobis ad id opus destinatis ad meritum salutaris obedientiæ præcipimus, vt quàm citius supra nominatam Vrbem Siracusæ adeatis, collaboretisque ad operis perfectionem. Commendantes vos Reuerendo Patri Prouinciali illius Prouintiæ, & alijs Superioribus nostri Ordinis, maximeque. Patri Guardiano Conuentus illius prænominatæ ciuitatis vt vos pro charitate foueat, & faueat in his quæ ad vniuersam negotiationem attinent, patiaturque vos residere in Conuentu dònec opus perfectum fuerit. Præcipientes insuper P. Ministro Prouinciali Prouinciæ nostræ Immaculatæ Conceptionis, ne ordinationi huic impedimentum afferat, sub quouis prætextu. Dat. Romæ in nostro Conuentu Aracœlitano Die 9. Mensis Ianuarij Anni 1651.

F. DANIEL A DONGO Vic.

De Mandato Reuerendissimi F.
IVLIANVS PERES Secret.
Generalis Ordinis.

Digitized by Google

Hoc qualecumque Opus dicatum esto summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ: cuius pedibus semper subditus, & subiectus; necnon stabilis in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & sanctum Euangelium, quod firmiter promisit Auctor illius, obseruare desiderat.



INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HOC opere de Priuilegiis Regularium continentur.

NVMERVS PAGINAM DESIGNAT: p. VERO Princip.um, m. medium, f. finem paginæ significat.

Digitized by Google

Processio.

Professio.

Psalmus.

Q

Quæstor.

R.

Reclamatio.

S

Sanctificatio.

Sepulchrum.

Digitized by Google

FINIS.



Digitized by Google

APPEL COMME D'ABUS DE L'ORDONNANCE, DE MONSIEUR L'EVESQUE de Tulle, Prononcée contre les Freres Mineurs Recolets de son Diocese.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis. Salut. De la part de nostre Procureur General en nostre Cour de Parlement de Bourdeaux, nous a esté exposé qu'ayant esté aduerty de certaine Lettre Circulaire adressante à tous les Euesques de nostre Royaume de la part de l'Assemblée Generala du Clergé tenuë la presente année en nostre bonne Ville de Paris, par laquelle Lettre il leur estoit donné aduis de proceder contre Frere Bruno Chassain, Religieux Recolet de la Prouince de Guyenne, par emprisonnement de sa personne, & contre tout l'Ordre desdits Religieux Recolets, par suspension & interdiction de toutes fonctions Ecclesiastiques, il auroit esté obligé pour nostre interest, & celuy desdits Religieux qui sont en nostre speciale protection, de peur que quelqu'vn de nosdits tres-chers les Euesques du Ressort de nostre Cour ne defferast à ladite Lettre, d'auoir recours à nostredite Cour de Parlement, & d'icelle obtenir Arrest, portant defences generales à tous lesdits Euesques de deferer pour ce regard à ladite Lettre Circulaire Depuis lequel Arrest il a esté aduerty que nostre tres-cher & bien-amé le sieur Euesque de Tulle ayant receu cette mesme Lettre, & donné son Ordonnauce le 14. Feurier dernier, par laquelle il censure le Liure intitulé, *Priuilegia Regularium*, qu'il pretend auoir esté composé par ledit Frere Bruno Chassain, Interdit tous les Religieux Recolets de pouuoir confesser, & prescher, & generalement de faire les fonctions Ecclesiastiques, le tout sans aucune citation precedente, & sans garder aucune des formalitez requises en l'vn & en l'autre cas, en quoy il y a vne notoire entreprise, aussi bien que dans l'établissement d'vne peine generale contre tout vn Ordre, sur le fondement d'vn soupçon contre vn Religieux particulier, quoy que d'vne differente Prouince, & non suiet à mesmes Superieurs, duquel le fait ny le droict n'a esté examiné par voye iuridique: Et d'autant que ces façons de proceder, qui sont les effets de quelque jalousie, qui semble s'exciter auec trop de chaleur à l'occasion des Priuileges des Religieux, pourroit alterer la bonne correspondance, qu'il est de nostre intention estre entretenuë entre les Prelats & les Religieux: & troubler lesdits mesmes Religieux dans l'vsage de leurs Priuileges, ausquels ils ont tousiours esté conseruez par Nous, & maintenos par les Arrests de nos Cours Souueraines, pour le bien de l'Eglise, & de nostre seruice. Nostredit Procureur General, pour ces causes, & autres, à déduire en temps & lieu, a interest de se rendre, comme il se rend, appellant comme d'abus, à Nous & à nostredite Cour de Parlement de Bourdeaux, tant en vertu de sadite charge de Procureur General, que comme prenant la cause pour lesdits Religieux Recolets, des causes desquels comme de celles des autres Religieux Mandians; Nous auons chargé nos Procureurs Generaux de faire la poursuite: POVR CE EST IL, que Nous te mandons & commettons par ces presentes, qu'à la Requeste dudit Exposant tu assignes deuëment à certain & competant iour en nostre Cour de Parlement de Bourdeaux ledit Sieur Euesque du Tulle, afin qu'il compare audit iour, luy faisant cependant, & à tous, tres-expresses inhibitions & defences sur grandes peines à Nous appliquées, de rien attenter au préiudice dudit appel comme d'abus; ains si aucune chose y auoit esté faite au contraire, qu'ils la cassent & reparent sans delay, & autrement proceder sur le tout comme de raison: De ce faire te donnons pouuoir. Mandons à tous nos sujets ce faisant t'obeyr. Donné à Bourdeaux le 9. Mars l'an de grace mil six cens cinquante-vn, & de nostre Regne le huitiesme, Par le Conseil, Signé DE FAGES, & seellé.

Arrest de la cour de Parlement, Par lequel il est permis aux Peres Recolets nonobstant la susdite Ordonnance du Sieur Euesque de Tulle, de prescher & confesser, & faire les autres fonctions accoustumées audit Diocese.

VEV par la Cour la Requeste à elle presentée par le Procureur General du Roy, Contenãt qu'ayant esté aduerty de certaine Lettre Circulaire enuoyée aux Prelats du Ressort d'icelle, par l'Assemblée Generale du Clergé, prévoyant les troubles & desordres qu'elle pourroit causer s'il se seroit pourueu en la Cour, laquelle y auroit pourueu. Mais auparauant que ledit Arrest n'ait peu estre notifié, l'Euesque de Tulle, dés qu'il eust receu ladite Lettre Circulaire auroit donné son Ordonnance, par laquelle il interdit tous les Religieux de l'Ordre des Recolets de son Diocese, de toutes fonctions Ecclesiastiques; comme des Predications, Confessions, & autres administrations des Sacremens: De laquelle Ordonnance le Suppliant, tant en vertu de sa charge de Procureur General, que prenant la cause pour lesdits Religieux Recolets, auroit releué appel comme d'abus. Et d'autant qu'il n'est pas iuste que tout l'Ordre des Religieux se trouue fletry, & cessast ses fonctions pour vne faute qu'on veut improperer à vn particulier; Requiert qu'il plaise à ladite Cour iusques à ce que ledit appel comme d'abus soit iugé, ordonner que lesdits Recolets du Diocese de Tulle, continuëront leurs fonctions & exercices, comme ils faisoient deuant ladite Ordonnance, auec defences audit Euesque de Tulle de les y troubler, à peine de saisie de son temporel, & telles autres que de droict. Veu aussi vn Arrest du Conseil donné sur la Requeste des Religieux Augustins, Recolets, Carmes, Iesuites, Minimes, & de la Mercy de cette Ville, du 14. Octobre 1644. l'Arrest de la Cour, portant defences à tous Euesques de faire emprisonner le Pere Bruno, ny proceder contre l'Ordre desdits Recolets en consequence de ladite Lettre Circulaire,

du 27. Février dernier, l'Ordonnance dudit Euesque de Tulle, dont est l'appel du 14. dudit mois de Février, & les Lettres de relief du Suppliant; DIT A ESTE', ayant égard à ladite Requeste, que la Cour a ordonné & ordonne que sur ledit appel comme d'abus, les parties viendront plaider au premier iour: Cependant ladite Cour par prouision a permis & permet ausdits Peres Recolets de continuer leurs fonctions, iusques à ce qu'autrement, parties ouyes, en soit ordonné. Prononcé à Bourdeaux en Parlement, ce 13. Mars 1651. Signé SVAV.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis; à la supplication & Requeste de nostre Procureur General, & en suiuant l'Arrest donné ce iourd'huy par nostre Cour de Parlement de Bourdeaux sur la Requeste dudit Suppliant, dont l'extrait est cy-attaché soubs le contreseel de nostre Chancellerie: Te mandons signifier ledit Arrest aux dénommez en iceluy, & autres qu'il appartiendra, & dont seras requis, & iceux assigner à certain iour en nostre Cour pour proceder sur les fins y contenuës; Commandons à tous nos suiets t'obeyr. Donné à Bourdeaux en nostredit Parlement, le 13. Mars l'an de grace 1651. & de nostre Regne le huictiéme, Par la Chambre Signé, S V A V. Scellé. & Signé DE FAGGES.

Arrest de la Cour de Parlement de Bourdeaux. Portant pouuoir d'informer contre le Curé de Iuillac en Limosin, & contenant inhibitions & defences, tant à luy, qu'à tous autres, d'empescher les Questes ordinaires des Religieux Recolets.

Extraict des Registres de Parlement.

VEV par la Cour la Requeste à elle presentée par le Procureur General du Roy, tendante à ce qu'il est aduerty que les Religieux de l'Ordre S. François, appellez Recolets, ayant voulu faire vne Queste, comme ils ont de tout temps accoustumé, en la Parroisse de Iuilliac, en Limosin, ils en ont esté troublez & empeschez par le Curé dudit Iuillac, lequel lors desd. Questes, suiuoit & faisoit suiure lesdits Religieux, defendant à toutes sortes de personnes de leur faire l'aumosne; En sorte qu'il ostoit par là tout moyen de viure ausdits Religieux, & leur faisoit vn scandale notable, & au public, par vne contrauention aux Loix diuines, ciuiles & naturelles, fort punissables A tant ledit Procureur requeroit permettre audit Suppliant d'informer desdits excez, autres excez qu'il baillera plus à plein par *Imend t*, & ce par le premier Huissier ou Sergent Royal sur ce requis, appellé auec luy vn Notaire & Tabellion de Cour Laye, pour l'information faite, & deuers la Cour rapportée, y estre pourueu de decret conuenable; Et cependant faire tres-expresses inhibitions & defences, tant audit Curé de Iuillac, que tous autres de quelque qualité & condition qu'ils soient, de troubler ny empescher lesdits Religieux en leurs Questes à la façon accoustumée, és lieux où ils les ont faites de tout temps, par licence & permission de leurs Superieurs, sous quel pretexte que ce soit, à peine de tous despens, dommages & interests, ladite Requeste signée DE PONTAC, Dit a esté ayant esgard à la Raqueste du Procureur General du Roy que la COVR luy a permis & permet d'informer desdits excez, & autres faits qu'il baillera plus a plain par Intendit & Declaration, & ce par le premier Huissier ou sergent Royal sur ce requis, appellé auec luy vn Notaire & Tabellion de Cour Laye; pour l'information faite, & deuers la Cour rapportée, y estre pourueu da tel decret qu'il appartiendra. Cependant ladite Cour fait tres-expresses inhibitions & defences, tant audit Curé de Iuilliac, que tous autres de quelle qualité & condition qu'ils soient, troubler ny empescher lesdits Religieux en leurs Questes, à la façon accoustumée, és lieux où ils les ont faites de tout temps, par licence & permission de leurs Superieurs, sous quel pretexte que ce soit, à peine de tous despens dommages & interests, & autre plus grande si le cas y écheoit. Et en cas de contrauention a permis & permet d'en informer. PRONONCE' à Bourdeaux en Parlement le 20. Auril 1651.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, Au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, à la supplication & Requeste de nostre Procureur General en nostre Cour de Parlement de Bordeaux: Et suiuant l'Arrest donné ca iourd'huy par nostredite Cour, sur la Requeste du Suppliant, dont l'Extrait est cy-attaché sous le contreseel de nostre Chancellerie. Te mandons appeller auec toy vn Notaire & Tabellion de Cour Laye, informer bien & deüement des excés contenus audit Arrest, & autres faits que le Suppliant baillera plus à plein par Intendit & Declaration. Cependant fais, tant au Curé de Iuillac, que tous autres de quelque qualité & condition qu'ils soient, les inhibitions & defences portées par ledit Arrest, sur les peines y mentionnées: Et en cas de contrauention, Te mandons aussi informer de ladite contrauention. Le tout iouxte & conformément ledit Arrest, & faire, si besoin est, toutes significations, assignations, & autres actes necessaires. COMMANDONS à tous nos Subiets t'obeyr. Donné à Bourdeaux en nostredit Parlement, le 20. Auril 1651. & de nostre Regne le huitiéme.

Collationné à l'Original par moy Conseiller & Secretaire du Roy, Maison & Couronne de France, Audiencier de la Chambre de Bordeaux.



TRACTATVS I[mus]
DE
PRIVILEGIIS
REGVLARIVM
IN COMMVNI.

PRÆLVDIVM.

CVM omnis nostra cognitio per speciem fiat, ea priùs intellectus debet cognoscere, quæ ex primaria expressione in specie intelligibili continentur. Rerum autem naturæ communes directè nobis priùs repræsentantur, quàm singulares: vt optimè docet D. Thom. lib. 1. cont. Gentes, cap. 48. iuxta illud Philosophi 1. Physic. cap. 5. *Vniuersale est obiectum intellectus; singulare, obiectum sensus.* Quapropter de Priuilegijs Regularium in hoc Opere sigillatim acturi, hunc ordinem doctrinæ sequemur, qui nobis priuilegia in communi priùs cognoscenda monstrabit: exploratâ eorum naturâ, proprietatibus, effectibus, &c. legentis intellectus quasi manu ducatur ad specialia eorumdem Regularium priuilegia percipienda: & ex clarè cognitis, ad minùs cognita gradum faciat; quia facilior est descensus à genere ad speciem, & ab vniuersalis ad singulare eiusdem obiecti. Veruntamen cùm optima cuiuscumque effectus cognitio à suo principio semper petenda sit; nec integrum de ramis possit ferri iudicium, nisi priùs insita radici virtus dignoscatur; vel radij Solis inuestigari, quàm ipsius Solis natura

intelligatur: Hinc fit, vt ordine debito progredientes, necessarium duxerimus à suprema Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam potestate inchoare Tractatum, tanquam à solo ac generali principio, vnde legitima in Regulares priuilegia dimanarunt. Et postea à supremorum Principum, sæcularium potestate in ordine ad sacrorum Canonum & Priuilegiorum sic concessorum tuitionem (ad hoc enim gladium & sceptrum portant) illum extendere. Nec enim facile est in hac parte obiter agere, aut modicum immorari, cùm ex huiusmodi principijs fusè examinatis, Priuilegia regularibus abundè concessa, legitimè: nec non in publicam Ecclesiæ, licet etiam in priuatam eorumdem vtilitatem, tradita iudicanda iure meritò veniant.





DE SVPREMA ROMANI PONTIFICIS in vniuersam Ecclesiam potestate: Deque potestate Regum in ordine ad Canonum Ecclesiasticorum tuitionem.

CAPVT PRIMVM.

PROPOSITIO I.



APA, seu Pontifex Romanus, summam per vniuersum Orbem in spiritualibus super Episcopos, aliosque Christianos, possidet Regiminis & Iurisdictionis potestatem.

Hęc veritas, quę in Ecclesia Catholica Sole clarior emicat, Prophetijs, Figuris, & authenticis Sacræ Scripturę testimonijs, necnon Theologicis argumentis, vetustâ, ac etiam nouâ Ecclesiasticę Historię non interruptâ serie, euidenti demonstratione probari posset. Verùm, quoniam breuitati nobis studendum est, omissis illis & alijs huiusmodi probationum generibus, illam veritatem ab omni populo Christiano adorandam, eo argumentandi modo qui à Concilijs, Pontificibus Romanis, & antiquis Patribus, totum suum robur trahit; videlicet Decisionibus, oraculis & gestis eorumdem, nisi mentis oculus legenti deficiat, satis superque probabimus.

Conc. Nicæn. primum probationis genus inchoabit can. 39. in quo sic legitur. *Ille qui tenet sedem Romæ, caput est & princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Accedit ad hanc sententiam Concilium Calcedonense: scribens enim Leoni Pontifici Romano Act. 3. illum vocat *suum caput, cui Christus Ecclesiæ curam commisit.* Suffragatur successiuè altera definitio Concilij generalis Florentini sub Eugenio IV. sess. 14. præsentibus Imperatore Græcorum Palæologo, & Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, & alijs Episcopis Græcis, cum Legatis Patriarcharum Alexandriæ, & Antiochiæ, & Hierusalem in Decreto vnionis, his verbis. *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Ro anum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium totius lesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem, & ipsi in B. Petro pascendi, regen ., ac gubernandi vniuersam Ecclesiam à Domino Iesu Christo potestatem traditam esse.* Taceo alias Definitiones Concilij generalis Lateranensis sub Innocentio III. aliorumque Conciliorum, quas qui videre desiderabit, legat Petrum de Marca lib. 1. cap. 3. 4. 5. & 6. de Concordia Sacerd. & Imper.

Secundum probationis genus ex authoritate Pontificia, & Patrum, & Doctorum

deductum Anacletus Beati Petri discipulus incipiet, qui in sua tertia Epistola sic fatur. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino nostro Primatum, & eminentiam potestatis insuper vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem obtinuit.* Ergo & Papa qui in illa sedet, eandem eminentiam possidet. Subsequitur Optatus Mileuitanus Augustini amicissimus & contemporaneus, qui li. 7. contra Parmenian., sic pronunciat. *Beatus Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, & claues Regni cælorum communicandas cæteris solus accepit.* Finem huic generi probationis imponet D. Bernardus lib. de Considcr. ad Eugenium, qui loquens de Episcopis sic ait. *Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti sunt non vnus, nec modò ouium, sed Pastorum tu vnus omnium Pastor.* Quòd optimè nouerat D. Cyprianus in 1. lib. Epist. c. 3. ad Cornelium Papam, dum asserit. *Hæreses, & Schismata oborta in Ecclesia, ex eo quòd Episcopi supremo capiti non debitè obtemperarent.* Quo circa canonistæ, alijque doctores illum vocant ordinarium, cum omnibus illis concurrentem: Episcopum vniuersalis Ecclesiæ totum orbem pro diœcesi propria habentem; ac propterea vbique terrarum crucem ante se deferre, cùm Patriarchæ, & Metropolitani, ac Apostolicę sedis Legati in suis tantum Prouincijs ante se ferant: Denique Pallio, quo Patriarchæ & Archiepiscopo in solis missarum solemnijs & in suis Ecclesijs dumtaxat vti licet, illo solum semper vti & vbique asseuerant illi doctores quos copiosè citat Barbosa in praxi quæst. 3. n. 11. & quæst. 4. n. 9. & 10.

Denique probatur vltimò eadem propositio ex gestis, seu vsu illius potestatis supremæ in Pontifice Romano erga omnes Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos eisdem leges indicendo. Audiatur quoad hoc Concilium Nicænum ca. 39. *Veneramur secundum Scripturas, & Canonum definitionem, Romanæ Ecclesiæ Episcopum primum esse, & maximum omnium Episcoporum. Nam vt cunctis ditionis suæ Nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit: & vt à principio Petrus Christi vicarius Religioni, Ecclesiis, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus & rector erat. Ita ille cuius Principatus Romæ est, Petro similis, & authoritate par, Patriarcharum omnium dominatum & principatum obtinet.* Adstipulatur huic probationi Gregorius VII. in Apologia pro suo Concilio cap. 24. verbis sequentibus. *His autem rationibus declaratur, quòd cuiusuis Episcopi parochiani potius Domino Apostolico, quàm proprio Episcopo obedire debent: cùm authoritas proprij Episcopi nullatenus eum ab Apostolica damnatione valeat liberare, si Apostolicis præceptis inobediens exstiterit; & è contrà, Dominus Apostolicus si ei obedierit, eumdem ab omni violentia proprij Episcopi facillimè poterit defendere; videlicet, & ipsum Parochianum eius ditione penitus emancipare, & Episcopum ab iniuria per correctionem & damnationem Apostolica auctoritate refrænando. Attendat sanè cuiusuis Episcopi subditus, ne vel proprio Episcopo contra Apostolica præcepta obediat in aliquo, cùm sanctus Gregorius Archidiaconum Salonitanum in locum Honorati iam depositi, eò quòd proprio Episcopo se in locum illius ordinari post Apostolicam prohibitionem obedierit.* Fusiùs hanc doctrinam prosequitur idem Gregor. vt habetur in 2. parte, tom. 3. Conciliorum per Binium, in qua hæc Apologia ad longum refertur. Taceo sacros Canones qui & responsis, decisionibus, & sententijs Romanorum Pontificum in causis ad ipsos per appellationem, tum ab Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis: tum ab alijs totius Orbis Christianis delatis referta sunt. Omitto Ecclesiasticam Historiam in qua, & restitutiones Episcoporum in suas sedes Episcopales, eorumdem, & aliorum Prælatorum depositiones per Romanos Pontifex, sæpius factæ, à testibus omni exceptione maioribus memorantur.

Quæ omnia Spiritu sancto inspirante à Concilio Trident. edocta sunt. 1. in sess. 24. de Reform. c. 1. docetur, Romanum Pontificem Ecclesię Pastorem vniuersalem existere, ac propterea in ipso residere potestatem prouidendi Ecclesiæ vniuersali de Pastoribus particularibus. Accipe verba Concilij. *Vt beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem vniuersæ Ecclesiæ, ex muneris sui officio debet, eam hîc potissimum impendat, vt bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eò magis quòd ouium Christi sanguinem quæ ex malo negligentium & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus.*

2. Declaratur, ad Romanum Pontificem spectare grauium causarum Episcoporũ cognitionem, ipsumque illorum supremũ iudicem existere, sic enim loquitur eadē

sess. cap. 5. *Causæ criminales grauiores contra Episcopos, etiam hæresis, quæ depositione, & priuatione dignæ sunt, ab ipso tantùm Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quòd si huiusmodi sit causa vt extra Romanam curiam sit committenda, nemini prorsus committatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio specialis sit, & manu sanctissimi Pontificis signata, nec ijs plus tribuant, quàm vt solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reseruata eidem Sanctissimo sententia definitiua.*

3. Præcipit Episcopis Romano Pontifici obedientiam præstare, his verbis. *Necnon veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant, ac profiteantur.*

4. Denique sess. 25. de Reformat. cap. 21. volens in summo Pontifice summam supra vniuersam Ecclesiam ostendere potestatem, sic terminat, *Quæ in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, vt in his salua semper Apostolicæ sedis auctoritas sit, & esse intelligatur.* Claudo huius veritatis probationem per quædam capita decerpta ex Epist. ad Pelagij 11. quæ reperitur tom. 2. Epist. Roman. Pontificum de anno 587. in qua post damnatum Concilium Constantinop. à Ioanne eiusdem loci patriarcha eo fine congregatum vt in eo titulum Episcopi vniuersalis assumeret: hunc titulum sibi deberi vt Petri successori. 1. affirmat. 2. ad nullum præter Pontificem Romanum spectare Concilij generalis conuocationem. 3. minatur excommunicationem Patriarchis Orientis, si ea quæ dictus Ioannes temerarie præsumpserat, ipsi tentarunt, ac etiam eadem Ioanni nisi mentem in melius mutet. 4. Ecclesiam Romanam omnium aliarum Ecclesiarum à Christo fuisse institutam. 5. Vsum & consuetudinem Patriarcharum Orientis fuisse sedem Apostolicam in suis negotijs consulere & eius iudicium expectare, sicut etiam omnium aliorum totius vniuersi, & prædecessores Ioannis per suam fidei professionem in scriptis primatum Pontificis Romani apertè declararunt. Et alia quæ lector legere poterit, expressè affirmat. Posset hæc veritas probari alijs Pontificum Romanorum, Patrum, & Doctorum Ecclesiæ testimonijs propè infinitis; sed ob breuitatis studium supersedeo. Si priùs dixero in testimonium illius supremæ Papæ potestatis, perpetuis temporibus Papæ auctoritate non solum fuisse celebrata, sed etiam confirmata, & reprobata concilia prouincialia, & generalia. Quòd si aliquando conuocata fuerunt mandantibus imperatoribus, hoc factum fuit Pontificum Romanorum auctoritate; Quod si semel hoc tentauit Theodosius anno Christi 449. hoc vsurpatorio iure fecit, vt optimè post alios notat Baron. ad illum annum. Superest impræsentiarum, vt quibusdam obiectionibus aduersùs præfatam veritatem, summatim Respondeamus.

1. Vnus frater alteri semper est æqualis, sed Episcopi sunt fratres Papæ: Ergo sunt æquales illi. Ergo Papa non habet Dominationem & Iurisdictionem in Episcopos. Respondetur, Episcopos esse fratres Pontificis, quatuor modis intelligi posse.

1. Naturæ conformitate, & sic verum est, quòd non solùm Papa, verùm etiam Christus, qui fuit Deus & homo, non confunditur omnes homines fratres vocare, dicens *Nomen tuum nunciabo Fratribus meis.*

2. Meriti æqualitate, & similiter sic verum est, quòd sicut dignitati & principatui Petri non derogatur, licet quis affetat aliquem Martyrem, vel Confessorem esse illi Fratrem, vel æqualem in merito: sic etiam non præiudicatur Papæ quòd Episcopi dicantur Fratres Papæ, vt potè in merito æquales. Vnde dicitur, 2. q. 7. cap. *Puto*, ex August. lib. 2. de Baptism. contra Donatist. 1. *quòd sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Apostolo Petro comparatur, quantum attinet ad Martyrij coronam.*

3. Potest intelligi ordinis dignitate, sic Episcopi dicuntur Fratres Papæ, suntque illi æquales: quod tribus rationibus ostenditur. 1. Omnis dignitas Ordinis vel respicit characteris impressionem, vel characteris perfectionē: nam characteris impressio fit in septem ordinibus, aut secundùm aliquos doctores in tribus tantum; quia in quolibet ordine imprimitur character; in Episcopali verò licet nō imprimatur character, licet iuxta quosdam in illo etiam imprimatur, perficitur tamen character iam impressus, vt per talem perfectionem possit Episcopus, qui est perfectus sacerdos, similes generare. Sed omnes Episcopi habent characteris impressionem, & eiusdem perfectionem: ergo omnes Episcopi æquales sunt Papæ in potestate ordinis.

Secunda ratio est, omnes Apostoli simul cū Petro æqualiter receperunt potestatem

ordinis à Christo, nec talis potestas ordinis singulariùs fuit data Petro, quàm alijs discipulis; sed Apostolos repræsentant Episcopi, sicut Papa Petrum: Ergo omnes Episcopi sunt æquales Papæ in potestate ordinis, sicut omnes Apostoli çquales fuerunt Petro in prædicta potestate. Vnde dicitur xxi. distinct. cap. *in nouo Testamento*, quòd *cæteri Apostoli cum eodem Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt.* Quod est verum quantum ad ordinem, & ratione consecrationis, non ratione administrationis, vt Glossator notat superdicto verbo.

3. Ratio quia consideratione Ordinis & Officij eisdem titulis, quo Pontifices Romani decorantur, vocantur enim summi Sacerdotes, Papæ, & Sanctissimi, & Clemens Papa lib. 2. constitut. Apostol. cap. 30. sic de illis *in singulari loquitur; Episcopus est post Deum Pater vester, is Princeps & Dux & Rex vester. Denique is terrenus Deus post Deum cui à vobis honor debetur.*

4. Et vltimò potest intelligi, Episcopos esse Fratres seu æquales in iurisdictionis paritate, & sic non est verum, Episcopos esse Papæ Fratres seu æquales Papæ, quoniam hi vocati sunt tantùm in partem sollicitudinis & administrationis: solus autē Papa habet vniuersalem administrationem in toto orbe. Vnde dicit Chrysostomus in homilia super Ioannem, quòd *Christus Iacobum localiter in vno loco Prælatum determinauit, sed Petrum totius orbis ordinauit Magistrum & Doctorem.* Et idem super Act. Apostol. pronunciat quòd *Petrus à Filio super omnes, filij potestatē accepit, non vt Moyses in gente vna, vel in vno populo, sed in vniuerso orbe terrarum.* Ac propterea tantum abest, vt Episcopi sint Papæ Fratres, seu æquales; quin imò Papa est caput & pater Episcoporum sicut & Christus & Petrus in hoc fuit, caput & Papa Apostolorum: vt Cyrillus in libro Thesaurorum docuit cùm dixit, quòd *Apostoli in Euangelijs & Epistolis affirmauerunt in omni doctrina Petrum esse loco Domini, & eius Ecclesiæ regimen tenere, dantes eidem in omni Capitulo & Synagoga, & in electione, & confirmatione, cui, scilicet Petro, omnes iure diuino caput inclinant & Primates mundi tamquam ipsi Domino IESV obediunt.*

2. Obiectio desumitur ex Epistola ad Hebræos cap. 7. vbi dicitur, *Absque vlla contradictione verum est, quòd semper qui minor est, à maiori benedicitur.* Sed Papa benedicitur, & consecratur ab Episcopo Ostiensi: Ergo videtur, quòd non solùm Hostiensis Episcopus sit Papæ æqualis, sed etiam quilibet sit Papa maior in potestate, si illum benedicat.

Respondetur, Quòd nullatenus inconueniens est, Hostiensem & alios Episcopos esse aliquo modo maiores Papa, quia si aliquis Diaconus eligatur in Papā, simplex sacerdos erit maior illo, quantùm ad characteris impressionē, & simplex Episcopus erit maior illo quantùm ad eiusdem characteris perfectionem, totumque illud contingit, quia talis potestas ordinis non competit Papæ, nisi inquantum est sacerdos, vel Episcopus, aut aliquo ordine insignitus; vnde poterit esse verus Papa habens plenā administrationem, & iurisdictionē in totā Ecclesiam, & tamen carebit omni potestatē ordinis: quia si est Diaconus carebit potestate sacerdotali, & Episcopali, nisi consecretur. Sic etiam potest dici de Episcopo Ostiensi consecrante, & de confessore eumdē absoluente; ministerialiter enim aliquid operantur in Papa, ille consecrationē, hic absolutionem, non sua, sed eiusdem Papæ auctoritate; ac propterea secundū quid maiores Papa dicuntur, quod non est incōueniens, vt manifestum est.

3. Obiectio. Ille est maior alio in potestate, qui potest in aliquem effectum influere, in quem alius non potest: sed Imperator in multos effectus influere potest, in quos non potest Papa, vt leges condere, quibus ipse Papa vtitur, & iudicia secularia exercere: ergo Imperator maior est Papa in potestate.

Respondetur, dicendo quod dicit Apostolus ad Corinth. *Ad iudicia & litigia determinanda contemptibiles de Ecclesia debent eligi*, per hoc enim quòd Imperatores & Reges leges condunt, per quas litigia & iudicia determinantur, non habetur, quòd ipsi sint maiores; sed potiùs contemptibiliores, & inferiores in Ecclesia, vt dicit Cyprianus, & ponitur 10. distinct, cap. *Quoniam quidem* Quia Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent; Pontifices verò pro cursu rerū temporalium tantūmodò legibus Imperialibus vtuntur, ne seruientes Deo implicent se negotijs sæcularibus. Maior autem est potestas Papæ potestate Regum & Imperatorū, duplici saltem titulo: quia sicut dicit Ambrosius, & habetur distinct. 96. ca. *Duo sunt quippe,*

Digitized by Google

Aurum non tam pretiosus plumbo, quàm regia potestate, est ordo sacerdotalis; videmus enim colla Regum, & Principum submitti genibus sacerdotum, & ab eis benedici, & inungi: & secundum Apostolum ad Hebræos 7. sine vlla contradictione verum est, quòd semper quod minus est, à meliori benedicitur. 2. Majoritate causalitatis, quia potestas Papæ omnem aliam potestatem examinat, iudicat, & illam etiam confirmat; vnde dicitur, distinst. 22. quòd. *Cuiuslibet ordinis dignitatem, & potestatem Romanus Pontifex habet instituere, & confirmare.* Papæ autem potestas à nemine examinatur, iudicatur, & confirmatur, vt eadem distinctione habetur.

Quartò si Papa esset omnibus Episcopis superior, non posset ab Episcopo excommunicari, sed potest vt de facto Leo à Dioscoro Alexandriæ Episcopo excommunicatus fuit 449. Respondetur Papam ab Episcopo, & ab Episcopis congregatis non posse excommunicari, factum autem Dioscori implissimi Episcopi reprobatum fuit, non solum ab Episcopis Catholicis, sed etiam ab hæreticis illius temporis Dioscori hæresum sequacibus, vt post Theodotet. notat Baron.

Denique vltimò obijcitur, Pontificem Romanum suam iurisdictionem spiritualem exercere in Episcopos cæterosque Christianos, non vt Papam, seu Pastorem vniuersalem Ecclesiæ, sed vt Patriarcham, & vt caput particulare Occidentalis Ecclesiæ; sicut Patriarcha Constantinopolitanus in Ecclesiam Orientalem suam iurisdictionem spiritualem exercet, habetque cum Papa æqualem, sicut etiam eam habet Patriarcha Alexandrinus.

Antequam huic obiectioni, quæ ferè nullius est momenti, respondeamus, quædam de Patriarchalium Ecclesiarum, & Patriarcharum institutione, natura, dignitate, & officio notanda sunt, ac 1. Quòd Ecclesia Patriarchalis impropriè & propriè reperitur sumpta apud auctores antiquos: impropriè sumitur à Socrate in Histor. Ecclesiast. lib. 5. cap. 8. Cassiodor. Epistol. lib. 6. Epist. 15. & Greg. Turonens. in histor. lib. 5. cap. 20. Qui Ecclesiam Primatialem & Metropolitanam vocant Patriarchalem, & Primatem ac Metropolitanum Patriarcham, vt de Ecclesiis Aquiliensi & Lugdunensi & earum Episcopis narrat Baronius post alios ad annum 570. Propriè autem illa Ecclesia vocatur Patriarchalis, quæ sub vna iurisdictione & territorio habet subditas Ecclesias primatiales, Metropolitanas, Archiepiscopales, & Episcopales: & hic propriè Patriarcha dicitur, qui huiusmodi Ecclesiarum præfectos subditos habet, cap. *Antiqua*, de Priuileg. Et hanc differentiam optimè agnouit Cuiacius Parat. in lib. 1. Codic. tit. De sacrosancta Ecclesia, cum ait hisce terminis. *Lex Imperialis separat priuilegium Patriarchicum, & Priuilegium Metropolitanum.* Quocirca Ecclesia Antiqua non agnouit nisi tres Patriarchales Ecclesias tempore Apostolorum institutas, tresque Patriarchas illis præfectos, & duas alias supernumerarias, duosque Patriarchas supernumerarios, licet tunc temporis plures essent Ecclesiæ Metropolitanæ & Archiepiscopales, vt Cæsarea, quæ Metropolis erat Hierosolymitanæ, sicut testatur Iustinianus Imperator Nouel. 123. & Greg. Magnus Epist. lib. 2. Epist. 37. qui quinarium illum numerum expresse, & specificè assignant.

Potestas autem Patriarchæ est 1. suam Diœcesim regere, deinde Prouincias sibi subditas, cap. fin. de Confirmat. vtili. Ad illius autem potestatem nequaquam spectat cognoscere de causis maioribus, & de ijs quæ Ecclesiam vniuersalem respiciunt, vt sunt causæ fidei, consuetudines vniuersalis Ecclesiæ, ac causæ finalis depositionis Episcopi, quorum iudicium ad Romanum Pontificem spectat, sicut & cognitio causæ personalis Patriarchæ, vt supra diximus, & inferiùs etiam dicetur.

Notandum est 2. Petrum in distributione iurisdictionis spiritualis sequutum fuisse ordinem iurisdictionis temporalis à Romanis institutæ, vt sic facilius inter subditos & Prælatos Ecclesiæ communicatio haberetur, quem ordinem alij Pontifices successiuè sequuti fuerunt. Sicut ergo in quibusdam ciuitatibus Imperij præcipua tribunalia iurisdictionis temporalis erant constituta, à quibus cætera pendebant: ita in illis eisdem ciuitatibus præcipuas sedes iurisdictionis spiritualis, quas Patriarchales nuncupat Ecclesia, Petrus instituit. Tres autem erant ciuitates præcipuæ in Imperio Romano: quod præter Imperium Occidentis, constitutum erat ex duobus alijs Imperijs, Orientis scilicet, & Ægypti. Quarum vna dicebatur Alexandria, quam Dion. Chrysost. orat. 32. vocat secundam sub sole vrbem, quæ sedes erat Imperij Ægypti, & alia-

rum circumuicinarum regionum; postea in Præfecturam Ægypti redacta; Altera Anthiochia, quam Iosephus de Bello Iudaic. lib. 3. cap. 3. vocat tertiam orbis Romani vrbem; & D. Chrysostom. hom. 5. ad pop. Antioch. caput & matrem vrbium Orientis, quæ erat caput & sedes particularis Imperij Orientis: videlicet Imperij Asiatici: Posteà in Præfecturam Syriæ, & aliarum Prouinciarum Orientis mutata: Tertia, Roma nuncupabatur, quæ erat Occidentalis Imperij caput & sedes. Et hæ tres vrbes in Imperio Romano præcipuæ hunc inter se habebant ordinem, vt primum locum teneret Roma; secundum Alexandria, & tertium Antiochia; à quibus omnes aliæ Imperij Romani vrbes & loca penderent: & duæ vltimæ Romæ subordinarentur, vt pote capiti quoad iurisdictionem temporalem totius Orbis. Ea propter cùm Ecclesia primas suæ originis radices in Asia fixerit, & Antiochia illius Imperij esset sedes, Petrus suam iurisdictionis spiritualis in omnes alias illius Imperij sedes, seu Ecclesias, sedem posuit: in qua, aut in Ecclesiis vicinis septem annis sedit. Cùmque primordia fidei in vniuersum orbem dilatarentur, Romam perrexit, ibique sedem suam Episcopalem, quæ totius Occidentis Ecclesiis præesset, collocauit, in eaque 25. annis sedit. Verùm animaduertendo quòd Oriente & Occidente de Sedibus principalibus prouisis Alexandriæ, Imperij Ægypti capiti quod meridiem aspicit, non prouiderat, ideò in illa per Marcum dilectum discipulum sedem principalem collocauit: ac sic factum est, quòd illa sedes Patriarchalis cum aliis duabus vna tantùm sedes Petri existeret, vt post D. Gregor. lib. 6. Epist. sententiam docet Hincmarus in op. 55. cap. 16.

Notandum 3. Petrum tribus annis post sedem suam Romæ positam, Ecclesiæ Anthiochenæ cessisse, & in locum suum Euodium suffecisse; ac ita duos Patriarchas in illis partibus Orientis propriè nuncupati & Orientis meridionalis extitisse, Marcum Alexandriæ, & Euodium Antiochiæ: Illumque dignitate maiorem, licet institutione posteriorem: quia maior vrbs Alexandria, & dignitate temporali præstantior, quàm Antiochia. Et in Occidente tertium Patriarcham, videlicet Petrum, qui ideo maior duobus alijs Patriarcha, quia alijs duabus vrbibus maior Roma, & præstantior, & Petrus qui in illa sedebat cæteris potestate excellentior existebat.

Notandum 4. Petrum vltra Patriarchalem præeminentiam in omnes Ecclesias Occidentis, vniuersalem quoque præfecturam rum in dictas Occidentis Ecclesias, quam posuit Romæ, tum etiam in Patriarchales Alexandriæ & Anthiochiæ, cæterasque totius Orbis Ecclesias constituisse, imitatum Romanorum Politicam, quæ erat, vt præfectus Romæ in potestate æqualis & primus, inter præfectos Ægypti & Orientis existens haberet insuper vt tamquam Imperij Romani vicarius, & Caput Senatus, eisdē cæterisque totius Orbis superiorem gereret, deque illorum causis, iudicijs & personis cognosceret, illisque leges & pœnas, quādo ferret necessitas, imponeret. Ac propterea cum ipse Petrus non solùm Episcopus seu Patriarcha, sed etiā caput & superior totius Ecclesiæ existeret: non sibi solam sedem Episcopalem, sed etiam sedem Capitis vniuersalis Romæ constituit, è qua non solum vt Patriarcha, seu Episcopus Romanus sibi subditas Occidentis Ecclesias regit, sed etiam omnes totius orbis Ecclesias, earumque præfectos, leges pronunciat, responsa mittit, Episcopatus erigit, diuidit & vnit, Episcopos, Archiepiscopos, Primates & Patriarchas creat, illisque iurisdictionem impartitur. & quando opus est, aufert, corrigit, destituit, restituit, causas iudicat, controuersias super fidei & morum dogmatibus ortas dissoluit, & terminat, cæteraque peragit in sua persona aut suis successoribus, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ summū Pastorem spectant: vt latè probat Cardinalis Duperron in Replica ad serenissimum Regem Angliæ, cap. 30. & alijs, adiectis insuper ad confirmationem quamplurimis Conciliorum generalium in oriente, & occidente celebratorum, Patriarcharū orientis, Patrum Latinorum & Grecorum, Edictorum Imperialis potestatis, & aliorum illius temporis auctorum authenticis, probationibus & testimonijs. Idem etiam probat Baronius ad annum Christi 39. & in Martyrol. annotat. die 20. Octobris.

His prænotatis & suppositis, obiectioni directè respondetur. 1. Gratis, & sine probatione obijci, Pontificē sua iurisdictione vti in vniuersam Ecclesiam, quatenus Patriarcham: nam illā vtitur, vt Petrus, cuius successor est, ea vsus fuit, videlicet vt summus Pastor vniuersalis Ecclesiæ, vt vicarius Imperij Christi, & vt Senatus Apostolici

lici caput. Non nego, tamen quin Pontifex Romanus suam iurisdictionem exerceat tamquam Patriarcha, seu Episcopus Romanus, si illud nomen idem significet quod nomen Papæ, ac etiam, si velis, vt verus Patriarcha intra territorium sui Patriarchatus, vt solet exercere Romę quatenus Episcopus Diœcesis Romanæ; dummodo hanc superioritatem non separes à superioritate capitis vniuersalis Ecclesiæ. Quid enim vetat, vt quis duobus titulis suam iurisdictionē exerceat. Illa autem iurisdictio non habet æqualem: ac propterea iurisdictio, quâ potiuntur Patriarchæ Alexandrini & Constantinopolitani est illi maximè inferior, & ab illa participata, & dependens in fieri, & in conseruari, vt manifestè constat ex Concilio Constantinopolitano, quod est sexta Synodus generalis, in quo hæc propositio Papæ facta fuit, quæ habetur distinctione 23. cap. 6. *Renouantes sancti Constantinopolitani Decreta Concilij, petimus, vt Constantinopolitana Sedes similia priuilegia quæ superior Roma habet, accipiat; nec non in Ecclesiasticis rebus magnificetur, vt illa: sed hæc secunda post illam existens priusquam Alexandrina sedes numeretur, deinde Antiochena, & post eam Hierosolyma.* Decretum autem alterius Concilij Constantinopolitani præcedentis fertur his verbis. *Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit noua Roma.* Refertur cap. 3. præfatæ distinct.

Ex quibus manifestum est, 1. Potestatem Patriarchæ Constantinopolitani habere suam originem à Papa, cùm ab illo postulata fuerit, & ab eodem concessa, ac quòd sedes Romana sit prima, & illa secunda, atque sedi Romanæ inferior.

2. Potestatem eandem quæ in Petro residebat, in Pontifice Romano existere, cùm Constantinopolitano Patriarchæ locum secundum inter Patriarchas dedit, quem tamen Petrus Alexandrino antea concesserat.

3. Successores Petri regulam quam Petrus in constituendis Patriarchis, & eorumdem inter se præcedentijs tenuerat, etiam sequutos fuisse; cùm secundas Constantinopolitanæ Ecclesiæ dederint: causam assignando videlicet, quòd esset noua Roma: Id est, maior post Romam vrbs.

Ad illud verò quod de Alexandrino Patriarcha decernitur in Concilio Niceno, can. 6. videlicet, quòd *Antiquæ consuetudines seruatæ in Ægypto, Lybia, & Pentapoli perseuerent: videlicet, quòd Episcopus habeat potestatem omnium rerum: quia hanc etiam potestatem ex consuetudine habet Episcopus Romanus,* quod etiam asseritur de Constantinopolitano, *eadem auctoritate pollere, ac Papam.*

Respondetur, Huiusmodi decretis nihil aliud decerni præter æqualitatem potestatis inter illos tres Patriarchas, quatenùs Patriarchas, videlicet vt possent recipere appellationes omissis mediis, sicut Patriarcha Romanus, deponere non vltimè Episcopos, & alia huiusmodi exercere, quæ solita erant Patriarchæ Romano. Non verò æqualitatem potestatis inter dictos duos Patriarchas, & Romanum, quatenus caput vniuersale totius Ecclesiæ: Vt optimè notat Cardinalis Duperron in dicta Replica cap. 32.

Instabis, Patriarchatuum institutionem non à solo Petro fuisse factam, sed ab eodem coniunctim cum Apostolis, quibus hæc facultas, sicut & singulis eorumdem, coniunctim aut separatim faciendi Episcopos à Christo concessa fuerat. Vnde Apostoli vnâ cum Petro in Ecclesia Hierosolymitanâ, quæ nonnisi in concilio Calcedonensi in Patriarchalem euecta fuit, Iacobum fratrem Domini Episcopum instituerunt. Ergo non est verum, quòd Papæ iurisdictio præcisa ab Apostolorum iurisdictione in omnem Ecclesiam exercenda extendatur.

Respondetur, Fictitiam esse in Apostolis illam ad Patriarchatus instituendos potestatem, cùm, tum ex sacris Literis, cùm ex Concilijs, Patribus, & Doctorum testimonijs, de contrario constet, vt supra ostensum est; sicut de institutionibus Episcoporum per vniuersum Orbem à Petro, Petrique successoribus factis. Sique aliqui Apostolorum aliquem Episcopum instituerunt, vt Paulus Cretensem, hoc Petri authoritate factum fuisse, sicut hisce temporibus ab Episcopis auctoritate Papæ Episcopus instituitur.

Ad illud de Iacobo per Apostolos cū Petro instituto Hierosolymis Episcopo, dicendū est, id factum fuisse Petri prę̈sentis authoritate, de consilio & assensu Apostolorū ibidem etiam præsentium, eo modo quo Pontifex Romanus consilium &

assensum Cardinalium Romę præsentium in iisdem institutionibus, aliisque grauissimis Ecclesiæ negotijs adhibet: non vt effectum sortiantur, sed vt decentiùs, & solemniori modo fiant. Et ita Chrysostomus hom. 87. in Ioann. factum testatur dum sic loquitur, *Si quis à me percunctaretur, quomodo Sedem Hierosolymitanam Iacobus accepit, responderem ego, hunc totius Orbis magistrum pr posuisse Petrum.* Quocirca optimè Nicolaus Papa secundus, vt habetur distinct. 22. cap. 1. de Ecclesiæ Romanæ ad hunc effectum authoritate, sic definit, *Omnes siue Patriarchæ cuiuslibet apices, siue Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis Dignitates instituit Romana Ecclesia.*

Instabis: Esto, Petrum non dumtaxat Romanum Patriarcham extitisse, sed etiam caput, seu Ecclesiæ vniuersalis Prælatum: non posse tamen negari, quin vnà cum illo Apostoli eandem Ecclesiam rexerint: quinue fuerint illius capita, quemadmodum Petrus caput extitit. Quod etiam quidam Patres de Paulo arbitrantur, quem caput Ecclesiæ vnà cum Petro affirmant, ac propterea pontificem Romanum simul cum Episcopis esse caput Ecclesiæ, illamque regere, cùm illis maiori potestate minimè polleat.

Respondetur, Hanc instantiam monstrum in Ecclesia inducere, à quo veritas Catholica summopere abhorret, quæ contrariam docet, vt in principio propositionis probatum est: non enim aliis Apostolis dictum est à Christo, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* In quibus verbis Gelasius in decret. de Apochriphis scriptoribus, Primatum Petri, & Ecclesiæ Romanæ firmat his verbis. *Sancta Ecclesia Romana, Catholica, & Apostolica cæteris Ecclesiis prælata non fuit constitutionibus Synodicis, sed primatum obtinuit voce Domini nostri, & Saluatoris, cum dixit, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Atque hanc sententiam Gelasij, Imperatores, Theodosius & Valentinianus approbarunt, Nouell. Theodos. tit. 24. ad calcem Cod. Theod. sequenti decreto. *Primatus sedis Apostolicæ stabilitus fuit Petri merito, qui est princeps Episcopalis societatis dignitate vrbis, & sacra auctoritate Synodi.* Nec verba in hoc Decreto Imperiali addita detrahunt præfato Gelasij decreto, cùm 1. addunt, quòd vrbis dignitate illa sedes Primatum obtinuit, quoniam non omnes causas primatu Gelasius expressit, nec hanc exclusit. Nec insuper cùm 2. adiungunt, quòd authoritate Synodi stabilitus fuit ille primatus, quoniam insurgentibus in huiusmodi veritatem Hæreticis, Ecclesia in concilio congregata, hunc primatum antea firmiter stabilitum, ad eorumdem contumaciam retundendam, talem declarauit. Ex quibus vis obiectionis manifestè eluditur. Si enim Apostolici magisterij Petrus princeps constitutus est, alij Apostolici eiusdem potestatis cum illo capita, & principes nequaquam esse possunt.

Ad illud autem quod aliqui Patres de Paulo affirmant, respondendum hoc est, Patres Paulum nominasse caput Ecclesiæ, non quòd esset illius caput cum Petro, quoad iurisdictionem, sed quoad consilium; quo Petrus non coactus, sed volens continuò vtebatur; ac etiam quoad eminentem scientiam, & donum verbi Dei annunciandi, quibus vniuersam Ecclesiam docebat, & illustrabat; ac propterea vas electionis, & Doctor Gentium vocatus. Hanc responsionem afflante spiritu sancto Innocentius X. in cathedra Petri nunc sedens optimè fundauit, cùm 24. Ianuar. 1647. duo suprema capita, quæ vnum efficerent nusquam fuisse in Ecclesia, sed vnum dumtaxat declarat; ac propterea propositionem illam Petrum & Paulum fuisse simul vnum supremum caput Ecclesiæ, hæreticam pronunciat, Decreto in fine cap. primi tract. de Hierarch. referendo.

Ex quibus omnibus concluditur, 1. Petrum personaliter, & non coniunctim cum Paulo & Apostolis Ecclesiæ caput extitisse: ac ex consequenti Pontificem Romanum eiusdem Ecclesiæ caput personaliter, & non coniunctim cum Episcopis existere, ac independenter ab eisdem suam iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam suprema potestate exercere.

Colligitur 2. meritò multis nominibus supremā potestatē ostēdentibus decorari quæ numero sunt quindecim, videlicet, *Papa Pater patrū Christianorū Pontifex, summus sacerdos, Princeps sacerdotū, Vicarius Christi, Caput corporis Ecclesiæ, Pastor ouilis Domi-*

ni, Pater & Dominus omnium fidelium, Rector domus Dei, Custos vineæ Dei, Sponsus Ecclesiæ, Præsul Apostolicæ sedis, & Episcopus vniuersalis.

Vnde non absque ratione Bernardus lib. 3 de considerat, ad Eugenium Papam sic loquitur: *Age indagemus adhuc quis sis, quis est sacerdos magnus princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus:* & lib. 4. in fine, ob illius eandem potestatem, illum nominat *Christianorum ducem, pastorem plebium, vltorem scelerum, malorum metum, malleum Tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis.*

PROPOSITIO II.

QVæcumque Decreta à Papa emanata, siue sint Bullæ, siue Breuia, Rescripta, viuæ vocis Oracula, Signaturæ, & alia huiusmodi quocumque nomine nuncupentur, extra Concilia, & Ius commune vagantia, eadem vi pollent, ac Canones in dictis Concilijs, & Iure inserti.

Diuersis varijsque literis, & modis extra Concilia & ius commune suam voluntatem, suaque præcepta Christianis populis Romanus Pontifex explicat: vel enim ore tenus aliquid decernit, aut præcipit, & hoc vocatur viuæ vocis oraculum; vel priuata signatura, subscribendo alicui scripturæ, per se aut per suum delegatum sine sigillo, & hoc signatura simplex appellatur; vel per literas publicas Secretarij sui Syngrapho subscriptas, & annulo Piscatoris Munitas, & illa scriptura vocatur Breue: & si sit responsum Pontificis, vocatur etiam Rescriptum, vel per literas sub plumbo expeditas, & tunc hæ literæ Bullæ nuncupantur. Potest tamen Bulla, Breue, & signatum nomine Rescripti quasi rectè scripti nuncupari, vt communiter fit. Quæ omnia, & plura alia Romani Pontificis Edicta in re quidem vnum sunt; nomine autem & solemnitate, ac etiam vi in foro externo differunt; licet aliquando pro eodem sumantur, vt nos in totò hoc opere seruabimus, quoad Bullas, Breuia, & Rescripta, quæ nomine Bullæ per nos vsurpabuntur.

His positis probatur propositio nostra ex Nicolaï Papæ generali decisione, in Epistola directa ad Archiepiscopos & Episcopos per Gallias constitutos, inserta, distinct. 19. cap. Si Romanorum. In qua post multas graues & diuersas rationes ad id probandum adductas, sic verbis sequentibus concludit. *His ita fauente diuina gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter illa decreta quæ in codice Canonum habentur, sedis Apostolicæ præsulum, & ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia, & omnium prædecessorum suorum Decretalia constituta, atque decretales Epistolas quas Beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma dederunt, venerabiliter fore suscipiendas, & custodiendas eximios Præsules, Leonem scilicet & Gelasium, mandasse probauimus.* Adiunge huic decisioni sententiam Agathonis Papæ eadem distinct. cap. 2. *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius diuini Petri voce firmata sint.*

Rationes affert Nicolaus suæ Decisionis, quarum sequentem dumtaxat referam, quæ sic habet. *Quoniam sicut sacra Scriptura eandem vim legis habet, ac Decretum in corpore Iuris insertum, quoad illam scripturam declarat, licet illa in eodem corpore non inseratur: Sic leges Pontificiæ eandem vim habebunt ex decretis præcedentibus, licet in illo non sint insertæ*, & meritò; quod enim aliqua lex in corpore Iuris, vel Concilijs inseratur, vel per Bullam, aut Breue expediatur, aut scribatur, per accidens est ad naturam legis, alioquin lex Christi dictata, & non scripta ante mortem suam, & traditiones, non fuissent Leges & Canones.

Quapropter optimè Pontifex Leo X. in parte 5. Decreti, cap. 35. loquens vniuersaliter de omnibus à Papa emanatis, quæ diuersis nominibus vocantur, videlicet dog-

mata, *mandata*, *sanctiones*, *interdicta*, *vel decreta*, illa omnia paris efficaciæ, & ... tutis declarat, vt inferiùs videbitur, dum ipsius Decretum referemus. Et hæc dicta sint pro foro interno. Nam aliter iudicandum est in foro externo, præponderat enim ius commune, concilijs: concilia, bullis: bullæ, breuibus: & breuia, signaturis: signaturæ autem, viuæ vocis oraculis. Imò hæc duo vltima in pluribus locis vix locum habent, sicut nec etiam breuia. De quibus omnibus agunt Iurisconsulti: in hoc tamen Regno Galliæ breuia, vt plurimùm, sicut bullæ recipiuntur.

PROPOSITIO III.

Decreta à Sacris Cardinalium Congregationibus Romæ emanata, non æquiparantur Canonibus, aut Bullis, & Breuibus, & cæteris de quibus in præcedenti propositione egimus: etiamsi per viuæ vocis oracula, Bullas, vel Breuia confirmata sint.

Hanc veritatem quoad primam partem, facile probabit hæc ratio deducta ex natura legis: quæ talis est, vt à potente fiat, & ipsius authoritate promulgetur. Sed hæc decreta à potente condere legem non feruntur, nec cum auctoritate eorumdem Cardinalium promulgantur, nec promulgari possunt: ergo illa decreta non queunt denominari leges, nec illa promulgari in speciali constat, quia nunquam hanc potestatem à Papa acceperunt Cardinales, vt vsus ea non promulgandi demonstrat: Sic docent Sanchez de Matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 2 n. 10. Petrus Ledesma in Summ a, tom. 1. de Sacram. Pœnitentiæ, cap. 13. diffic. 1. Bonacina tract. de Legib. disp. 1. quæst. 1. puncto 8. n. 4. Villalobos in Summa, tract. 2. diffic. 7. n. 5. Ioannes Valerus in suis Different. vtriusque fori, verbo *Absolutio*, diffic. 1. num. 2. & verbo *Nullitas*, diffic. 5. n. 2. & verbo *Iurisdictio*, diffic. 4. n. 2. Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 13. §. 2. n. 7. Zipœus in nouo Iure Pontificio lib. 5. tit. de Pœnitent. & remiss. n. 9. Serarius in Prologo biblic. cap. 19. q. 11. Delrius in Disquisit. magicis libro 6. capite 10. sess. 3. Vega in Summa, tom. 1. cap. 62. casu 4. Villalobos tom. 1. in Summa, tract. 2. dub. 7. n. 5. Diana, tract. 10. de Legib. resol. 29 Qui omnes existimant, prædicta decreta esse tantùm doctrinalia, & magnæ existere auctoritatis, & ab eis non esse recedendum sine firmissimo fundamento, nullam tamen imponere obligationem. Et confirmatur; quoniam non sunt maioris auctoritatis, quàm decreta rotæ romanæ, quæ vt obseruat optimè Archangel. Romanus in præambulis ad lib. de priuileg. ad summum in curia Romana faciunt ius ad instar styli; non autem legis, vt etiam habetur in princip. extrauagant. Ioann. xxij. vt refert idem Archang. cuius auctoritatis magnifacio eo quod prædictum volumen Romæ prælo dederit sub approbatione magistri S. Palatij & aliorum Grauissimorum Doctorum; & hic est sensus Secretioris Regis Consilij & senatuum supremorum Galliæ, dum ad ipsos præsentata reijciuntur, & ea intimantes mulctantur, vt ex alibi dicendis constabit, & patet ex libello libertatum Galliæ pag. 8. relato in libellulo cui titulus Concordiæ virium Parochialium auctore M. P. Saluatore, qui absolutè asserit dicta decreta seu declarationes Cardinalium in Gallia non recipi, si ipsis infringuntur canones antiqui & recepti.

Nec obest obijcere, nostram rationem de natura legis solùm procedere in legibus quæ nouum ius condunt; non autem in illis quæ antiquum ius declarant, cùm declarationes, seu Cardinalium decreta, in principio cum ipsa lege insint. Nam respondetur, quòd licet in manifestis declarationes, seu decreta huiusmodi legibus insint, quæ rata sunt, si aliqua sint, & ex se sine alia promulgatione obligationem afferant, secus tamen militat in dubijs: quia tales declarationes sunt veluti nouæ leges, vnde noua plublicatione egent.

Nunc probanda venit propositio quoad secundam partem, quod fiet, si priùs

distinguamus, duobus modis Pontificem Decreta Cardinalium confirmare, vno modo, illa supponendo tanquam consilium sibi à Cardinalibus datum, vt cùm in suis bullis sic loquitur. *De consilio Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium*, & postea Pontifex decreta illorum in sua persona pronunciat, dicendo, *volumus*, *& decernimus*, *&c.* Altero modo, cùm Pontifex illa Decreta supponit, & exprimit in suis Bullis, vt à dictis Cardinalibus edita, & illa confirmat. His positis probatur ex cap. *Cùm dilectæ*. de Confirmatione vtili, vel inutili, in quo Innocentius III. declarat, quòd per confirmationem Sedis Apostolicæ aliquod nouum ius non acquiritur; sed antiquum si quod est, conseruatur. *Nolentes*, inquit, *quòd ex innouatione huiusmodi nouum ius Monasterio acquiratur: sed antiquum, si quod habet, per innouationem priuilegij conseruetur.* Ex quibus ratio nostra sic formatur: Confirmatio Papæ nouum ius rei quæ confirmatur, nullatenus confert, ergo nec confirmatio Apostol. decretis Cardinal. apposita: ergo illa quę sic reperiuntur confirmata, non sunt leges aut canones, sed manent in statu, in quo ante confirmationem reperiebantur. Atque hæc ratio innititur etiam capiti. *Examinata*, eodem titulo, vbi idem Innocentius III. quandam sententiam contra iuris ordinem latam, & à prędecessore confirmatam, nullam & irritam declarat his verbis. *Vnde nonobstante confirmatione Papæ prædecessoris nostri, qui illud confirmauerat, sicut proinde latum fuerat, & ab vtraque parte receptum, decernimus ipsum irritum & inane.* Ex quibus verbis Glossa concludit: *Et ita patet, quòd confirmatio nihil, vel modicum operatur: quia si aliquid inuenit, confirmat illud aliàs nihil operatur.* Accedit quod posito quod huiusmodi decreta vim Canonum aut legum sortirentur, non autem valerent contra priuilegia, nisi adhibita clausula reuocatoria, vt inferius probabitur (quæ tamen dictis Decretis non adhibetur) alioquin maioris essent roboris quàm Bullæ & Canones, qui illam requirunt ad priuilegia reuocanda.

Si autem objicias, Pontificem in dictis Bullis confirmando eadem Decreta apponere *Inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur*, ac, *Se velle dicta Decreta ab omnibus obseruari.* Respondebitur, has clausulas adiici, non vt decreta quę simpliciter doctrinalia sunt, leges aut canones fiant, sed vt in statu doctrinali remanentia, maiori cum reuerentia, & firmitate recipiantur, & obseruentur: quemadmodum approbationes, & confirmationes doctrinæ Sanctorum, Augustini, Thomę, & Bonauenturæ à pluribus Pontificibus factæ, non illi dederunt vim legis, sed eam magis acceptabilem Ecclesiæ Dei reddiderunt.

PROPOSITIO IV.

POtestas Papæ extenditur ad dispensandum in Sacris Canonibus.

Antequam hæc veritas probetur, sciendum est, quod cùm hoc verbum *dispensare* à iure canonico profectum sit, ex eo etiam petenda est eius explicatio, apud Iurisconsultos enim seruus dispensator dicitur, qui impendia domus curat, quique rationes Domini administrat. Hoc sensu etiam in veteri ac nouo Testamento vsurpatur: vnde Apostoli, & eorum successores dicuntur *dispensatores*, & Paulus *dispensationem sibi creditam* ad Corinth. scribit. Sed in Iure canonico alius est verbi istius sensus; sumitur enim pro venia legis, quam interpres *proinde iuris relaxationem* voceant: cuius is est effectus, vt lege, vel canone vim suam obtinentibus, is cui indulgetur, à vinculo, & obligatione legis, auctoritate superioris soluatur. Tribus autem modis, quoad præsentem materiam, illi canones dispensationem recipiunt. 1. Quantum ad eorum mutationem. 2. Quantum ad additionem, & multiplicationem. 3. Quantum ad eorumdem canonum interpretationem & explicationem.

His positis, probatur propositio quoad mutationem eorumdem canonum. 1. Ex dessi. Gregorij, quæ habetur distinct. 29. his verbis, *Pro varietate rerum, locorum, & temporum regulæ Sanctorum Patrum temperantur*: Et eadem distinctione, ex Isidoro sic definitur. *Ex causa, tempore, loco, & persona regulæ canonum intelliguntur*

obseruanda. Ex quibus duabus decisionibus constat, canones non esse ita immutabiles, quin à Papa ratione loci, temporis, & personarum mutari possint. Quod etiam in Concilio Carth. Africano nuncupato, determinatum fuit: cùm enim in Concilio Transmarino, idest Italico, seu Capuano, vetitum fuisset, ne Hæretici pœnitentes locum suum in Ecclesia retinerent, ideo vt Donatistæ sine iniuria vniuersalis Ecclesiæ ab Africanis recipi possent in clero, Synodi Carthaginensis ad hanc gratiam exequendam consensum, sedis Apostolicæ auctoritate firmari necesse fuerit. Hæc sunt verba Concilij Carth. can. 35. *Placuit, vt literæ mittantur ad Fratres, & Coepiscopos nostros, & maximè ad Sedem Apostolicam in qua præsidet memoratus venerabilis frater, & Collega noster Anastasius: quo nouerit, habere Africam magnam necessitatem propter Ecclesiæ pacem, vt & ipsis Donatistis quicumque clerici correcto Concilio ad Catholicam vnitatem transire voluerint, in suis honoribus suscipiantur.* Legatur causa 1. quæst. 7. per totam, in qua hæc Papæ authoritas ostenditur.

Probatur 2. ex vsu illius potestatis, qui eadem causa, & quæstione multiplex reperitur, cuius canones afferre nimis onerosum existeret. Quocirca supersedeo, vt dicam, summos Pontifices canones temperasse, seu mutasse in Oriente. Nam Damasus dispensauit in vitio ordinationis Flauiani Antiocheni, precibus Ioannis Chrysostomi, & Theophili Alexandrini, teste Socr. lib. 5. cap. 15. Anatolius ordinatus à Synodo Ephesina quæ nulla erat, assensu Leonis I. Episcopatum, Marciano Augustino supplicante, retinuit, vt habet Pontificis illius Epistola ad eumdem Marcianum. Idem accidit Maximo Antiocheno contra canones ordinato, cui vitium illud Leo indulsit, pacis studio, vt habet concilium Calcedonense act. 10.

Simile vitium Stephani dissimulauit Simplicius Papa in Zenonis Imperatoris gratiam, vt ipsemet in Epist. ad dictum Zenonem testatur.

Frequentiora extant exempla dispensationum Pontificiarum in Occidente. Leo I. in Africa tolerat Laïcorum ordinationes; sed bigamorum damnat, vt ipsemet scribit Epist. 91. ad Episcopum Mauritinm.

Hilarius Pontifex hac indulgentia se prosequutum duos Episcopos Hispaniæ ordinatos absque Metropolitani consensu, contra canones Nicænos, scribit Epist. ad Ascanium anno 465.

Gelasius in Epistola ad Episcopum Lucaniæ remissionem canonum concedit circa promotionum Ecclesiasticarum interualla, antiquis decretis præfixa: ita vt Monachis intra annum, & laicis intra decem & octo menses, presbyterij gradum adipisci liceret.

Plura alia dispensationum exempla priscis illis temporibus concessa omitto, cùm ex proxime memoratis sufficienter pateat, potestatem illam mutandi canones, eorumque rigorem mitigandi, summis Pontificibus à Christo concessam existere.

Probatur 3. ratione quoniam non censetur Papa auctoritatem concessisse in condendis & confirmandis canonibus, quin maiorem sibi & successoribus ad eos mutandos reseruauerit, adde huic rationi turmam Theologorum & Canonistarum huic sententiæ subscribentium quorum multi ipsique grauiores etiam affirmant Pontificem dispensare posse super ordinatione Apostolica, dummodò non lædat fidem, existatque iusta dispensandi causa, vt videmus fieri à Pontificibus dum in bigamis Neophytis dispensant: quod si obijcias cap. 2. de bigamis in quo dicitur quod *non licet* Pontifici super his dispensare, respondebit Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 6. n. 6. illud verbum *non licet*, importare difficultatem, non impossibilitatem.

Quoad verò additionem, & multiplicationem eorumdem canonum, satis constat ex præmissis, in Papa hanc potestatem reperiri legenti registrum Gregorij VII. à Petro de Marca de Concordia Sacer. & Imper. lib. 1. cap. 8. relatum, in quo habetur illa sententia ab eodem Gregorio pronunciata de Romano Pontifice, *Quod illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere. Constabit etiam legenti caput, His itaque respondetur.* causa 25. q. 1. in qua habetur, quod *Christus docebat tanquam potestatem habens, & tanquam Dominus legibus addens moralibus ea quæ deerant ad perfectionem, vmbras verò figuralium in lucem spiritualis intelligentiæ commutans. Sic sedis Apostolicæ Pontifices canonibus*

à se, vel ab aliis sua authoritate conditis, reuerentiam exhibent: nonnumquam tamen aliter diffiniendo, vel determinando, seu aliter agendo, se decretorum dominos, & conditores ostendunt.

Hanc etiam veritatem definiſſe legimus Vrbanum I. eiſdem cauſa, & quæſt. cap. 6. *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe nouas leges condere, quod nos non ſolùm non negamus, ſed valde affirmamus.* Quòd probè Pontifices Romani, & Romana Eccleſia nouerant, vt vſus illius poteſtatis euidenter demonſtrant. Et vt cętera exempla quæ in corpore Iuris, & concilijs inſerta ſunt, taceam, Pontifex nomine Siricius, qui viuebat anno 385. ſtatim ab obitu Damaſi conſultationi Himerij Taraconenſis Epiſcopi, ea reſcripſit, quæ ab omnibus cuſtodiri iubet, vt habetur in ſuis decretis 8. & 15. verbis ſequentibus, *Quid ab vniuerſis poſthac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum, generali pronunciatione decernimus.* Nec contentus ita loqui, ſub finem decretorum decreta ſua canonibus exæquat, dicens, *Quamquam ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, vel canonem venerabilia ſacerdotum Domini definita, nulli ignorare ſit liberum, &c.*

Quòd ſi obijcias, eadem præcitata cauſa, & quæſt. cap. 7. Zozimum Pontificem definiſſe, quòd *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem ſedis poteſt auctoritas: apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam.* Reſpondetur, hanc diffinitionem apud Epiſtolas Zozimi à quibus Iuo illam ſe accepiſſe teſtatur, non inueniri. Sed eſto, quòd ſit vera definitio illius Pontificis, Reſponſio in promptu eſt: illam intelligi de ſtatutis & canonibus quæ fidem, vel ius naturale, aut diuinum, in quibus nec concilia, nec ſedes Apoſtolica quidquam mutare poſſunt. Et ſic illud intelligit poſt alios Cardinalis Tuſchus tom. 6. lit. P. con. 49. n. 54. Quod autem ſic intelligi debeat, probatur: quia alioquin ſibi contradicerent canones illius cauſæ, in quibus contrarium omnino diſponitur, vt conſtat.

Quòd ſi iterum obijcias, eodem loco citato Pontificibus per canones commendari eorumdem inconcuſſam obſeruantiam: Reſpondet optimè Gratianus eodem loco citato, quòd *Sacroſancta Romana Eccleſia ius, & auctoritatem ſacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur; habet enim ius condendi canones, vt pote quæ cardo eſt, & caput Eccleſiarum, à cuius regula nemini diſſentiri licet. Ita ergo canonibus auctoritatem præſtat, vt ſeipſam non ſubijciat eis: ſed ſicut Chriſtus qui legem dedit, ipſam legem carnaliter impleuit, &c. Sic & ſummæ ſedis Pontifices ſiue à ſe, ſiue ab aliis ſua auctoritate conditis reuerentiam exhibent, & eis ſe humiliando, ipſos cuſtodiunt, vt aliis obſeruando exhibeant. Nonnunquam verò ſeu iubendo, ſeu diffiniendo, ſeu aliter agendo, ſe decretorum dominos, & conditores eſſe oſtendunt. In præmiſſis ergo capitulis aliis imponitur neceſſitas obſequendi, ſummis verò Pontificibus oſtenditur ineſſe auctoritas obſeruandi, vt à ſe tradita obſeruando, aliis non contemnenda demonſtrent: exemplo Chriſti, qui ſacramenta, quæ Eccleſiæ ſeruanda mandauit, primò in ſeipſo ſuſcepit. Oportet ergo primam ſedem, vt diximus, obſeruare ea, quæ decernendo mandauit, non neceſſitate obſequendi, ſed auctoritate impertiendi.* Quod etiam proſequendo idemmet Gratianus confirmat, ex eo quòd in multis capitulis Conciliorum additur, *Niſi auctoritas Romanæ Eccleſiæ aliter imperauerit*, vel, *ſaluo tamen in omnibus iure S. Romanæ Eccleſiæ*, vel, *ſaluatamen in omnibus Apoſtolica auctoritate.* Ex quibus manifeſtè patet, Pontificem non ſolùm mutandi canones, ſed etiam nouos condendi, & multiplicandi, facultare pollere.

Quantùm ad tertium, videlicet Papam habere facultatem interpretandi canones: diffinitum eſt cauſa & quæſt. proxime citatis, vbi habetur, *Sacri ſiquidem canones ita aliquid conſtituunt, vt ſuæ interpretationis auctoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruent, quia illi ſoli valent canones interpretari, qui ius condendi habent.* Qua definitione, & intentum probatur, & facultas condendi nouos canones in Pontificibus demonſtratur.

Et certè neceſſe erat, hanc poteſtatem ineſſe ſummo Pontifici, alioquin non ſatis prouiſum eſſet Eccleſiæ: cùm enim ipſe ſit illius caput illiuſque poteſtas ordinetur 1. Ad populi Chriſtiani correctionem cùm delinquit, & gubernationem cùm rectè agit. *Eius namque eſt, omnem poteſtatem inſtituere, cùm bona eſt, & au-*

ferre, vel corrigere, cùm bona non est, vt dicit Hugo II. lib. de Sacram. Ideò ad ea debite peragenda, facultate dispensandi in sacris Canonibus Pontificem potiri necesse erat: quocirca August. 1. lib. de Libero arbit. illud probat exemplo, verbis sequentibus expresso; *Quòd si populus sit moderatus & grauis, &c. meritò lege honoratur, vt possit sibi magistratus creare: si verò idemet paulatim deprauetur, &c. iustè tali lege priuatur, & alia lege castigationis, & flagellationis gubernatur.* Quod fecit Leo, cùm corrigendo Hilarium Episcopum Arelatensem, Metropolitana dignitate deiecit in concilio Romano habito 445. quam sententiam Valentiniani Imperatoris rescripto muniri, vt illius executio nulla cauillatione impediretur, idem Pontifex facilè impetrauit. Audiant nouatores illius constitutionis verba, & erubescant, *Cùm igitur sedis Apostolicæ Primatum B. Petri merito, qui est princeps Sacerdotalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, & sacræ etiam synodi firmarit auctoritas.* Quibus verbis in prooemio positis ad fulcienda quæ statuere volebat, addit, *Verùm ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui Religionis disciplina videatur, hac perenni sanctione decernimus, ne; quid tam Episcopis Gallicanis quàm aliarum Prouinciarum, contra consuetudinem veterem liceat, sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare: sed illis omnibus pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolica auctoritas.*

Hæc Nouell. Valentiniani tertia constitutio codici Theodosiano adiuncta est, cuius vsus codicis apud Gallos, Romanæ legis nomine in rebus Ecclesiasticis inualuit: id docentes canon I. Concilij Aurelian. §. II. congregati anno 511. & canon 20. & 21. synodi Turonensis XI. anno 567. etiam celebratæ, & Hincmarus Remensis Archiepiscopus; quæ sedis Apostolicæ auctoritas ante tempora Valentiniani inualuerat, non quod ante tempora Valentiniani illa Papæ auctoritas non inualuisset vt citatus Petrus de Marca probat, sed quod eo edicto fota fuerit, & per vniuersum imperium approbata.

2. Cùm eadem Papæ potestas ordinetur ad omnium quæstionum & negotiorum solutionem, & determinationē, vnde dicit Augustinus in illa verba Matth. 17. *Tibi dabo claues Regni cælorum*, quòd, *Christus vnum solum caput voluit esse in tota Ecclesia, ad quod diuersa membra recurrerent, si forte dissentirent.* Quapropter, cùm contingat humana negotia multipliciter variari, & propter diuersitatem humanorum actuum diuersas quæstiones insurgere; necesse est, ad illarum decisionem aliquando dispensare, cùm regula quæ vni tempori expedit ad terminandum vnum negotium, illo variato alteri tempori non conueniat. Vnde dicit August. lib. proximè citato, quòd *Lex humana quamquam iusta sit, commutari tamen per tempora iustè potest*; igitur vt tot negotijs, & quæstionibus soluendis debitè prouideretur, Christus Pontifici hanc potestatem est impertitus.

3. Cum potestas Papæ ad fidei & sacræ Scripturæ defensionem apertam, data sit; vnde Petro, cuius ipse successor est, specialiter dictum est à Christo Lucæ 22. *Ego rogabo pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ideo illa potestate decorandus erat, vt hæreticorum conatus citò confringeret. Quod vsu probatum est, cùm trecentis è toto Occidente Episcopis per literas Constantij euocatis, Ariminum Italiæ vrbem, & dolo, aut minis eò adactis, vt *Consubstantialis* vocem è formula Niceæ edita, delerent, Liberius Papa qui concilio Ariminensi non interfuerat, concilij istius profanam sententiam, vt pote fidei Niceæ formulæ aduersam, decretis suis infregit: hoc insuper addito, in quo à pluribus peccabatur, ne baptizati ab Ariaris, ad denuò suscipiendum baptisma redigerentur: decretaque sua hac de re edita per Prouincias emisit, vt testatur Siricius Papa in suis decretis cap. I. his verbis, *Quod non licet, id est, baptismum ab Arianis collatum iterari, cùm hoc fieri, & Apostolus vetet, & canones contradicant, & post cassatum Ariminense concilium missa ad Prouincias à veneranda memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.*

Quòd si ad multiplicandos fideles aliqui canones antiquitùs obstarent, in illis Papa dispensabat, iuxta S. Augustini consilium Epist. 50. ad Bonifacium: *In huiusmodi causis vbi per graues dissentionum scissuras non huius aut illius est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum esse aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis, charitas*

charitas sincera subueniat. Quod adhuc confirmando ex similitudine rami præcisi cùm arbori inseritur, sic prosequitur. *Ita ergo & isti cùm ad radicem Catholicam veniunt, nec eis post erroris sui pœnitentiam honor Clericatus, & Episcopatus aufertur. Fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem seueritatis, verumtamen quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiam precibus fusis coalescente insitorum, pace ramorum charitas operit multitudinem peccatorum.*

Plura Patrum testimonia hîc congerere possem ad hanc veritatem confirmandam: sed hæc sufficiant, vt constet, Pontificem Romanum habere facultatem dispensandi in canonibus Iuris communis, Conciliorum, & summorum Pontificum: non solùm in causis priuatis, & personalibus, sed etiam vniuersalibus, in quibus æquè ac in alijs habet potestatem illos mitigandi, mutandi, ac etiam interpretandi, & denique multiplicandi. Quòd si quis illos contempserit, sciat se duplici sententia, tanquam duobus mucronibus feritum, quas Iuo in part. 5. decreti. è Concil. Leonis Papæ IV. composito 72. Episcopis excerptas refert. Prima sic habet cap. 35. *Si quis dogmata, mandata, sanctiones, interdicta, vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à sedis Apostolicæ Præsule promulgata contempserit, anathema sit.* 2. Sententia est Gregorij VII. in dicta parte decreti cap. 36. *Qui Apostolicæ sedis præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, teste Samuele, & B. Gregorio astruente,*

PROPOSITIO V.

ROmanus Pontifex, vt est supremus Princeps in Spiritualibus, potest per vniuersam Ecclesiam concedere priuilegia.

Cùm ab omnibus doctrinarum tractatoribus mos ille solemnis obseruetur (vt pro rerum de quibus loquuturi sunt elucidãdarum gratia facem aliquam lectoribus suis præferant) illarum nomina, & naturas antequam vltrò progrediantur, prius explicare. Nos iisdem sapientiam vestigijs inhærentes, ante omnia priuilegiorum naturam, & nomen distinctione, & definitione enucleare debere censuimus. Priuilegium ergo, vt paucis multa complectamur, tribus modis apud Canonistas sumitur. 1. Strictè, & sic nominatur lex priuata, aliquid continens contra ius commune. 2. Minùs strictè, & tunc dicitur aliquid continens contra vel præter ius. 3. Latissimè, prout comprehendit fauores, gratias, indulta, immunitates, exemptiones, facultates, & cætera huiusmodi, quæ sunt contra, præter, ac etiam supra ius; quæ licet differant natura, & definitione tamen priuilegia nuncupantur.

Potest autem priuilegium tripliciter considerari 1. Ex parte illius cui conceditur. 2. Ex parte communis iuris quod relaxatur. 3. Ex parte ordinis iudiciarij, qui in eius concessione non obseruatur. Quantum ergo ad eum cui priuilegium fit, illud certum existimandum est, quòd semper conceditur alicui, vel aliquibus singulariter priuilegium distinguatur in generale, quod datur Ecclesiæ, seu collegio, vel congregationi; & singulare, quod datur vni personæ priuatæ: illa tamen quæ priuilegiantur, dicuntur esse quædam singularia, & quędam priuata, respectu totius communitatis, quia vt dicit Hieron. in cap. 1. Ionæ. *Priuilegia singulorum non possunt facere legem communem.*

Quantum verò ad secundum, videlicet ex parte iuris communis quod relaxatur, priuilegium dicitur priuata lex; non enim est priuilegium, nisi aliquid speciale indulgeat, vnde aliqui dicunt, priuilegium esse priuatum, siue singulare ius, contra ius commune indultum, cui consonum est illud quod à Canonistis vulgari axiomate pronunciatur. *Cùm priuilegia aliquibus conceduntur, si præter generalem legem nulli aliquid speciale indulgeretur, priuilegium non diceretur: nam priuilegia dicuntur ideo priuata legia, eò quod priuatam legem in singulis generent.*

Quod authoritate Gregorij confirmatur, dicentis, *Si hoc neque consuetudine, vel lege generali, neque priuilegio vendicas, restat te vsurpare quod fecisti.*

C

Denique quantum ad tertium & vltimum, videlicet iuris ordinem qui in confessione priuilegij non seruatur, dicitur priuilegium inde nuncupari, quòd in priuato feratur. Non enim priuilegium datur, nisi ab illis, qui sunt suprà legem, quos non oportet ordinem iudiciarium in concedendo priuilegium, obseruare; vt sedentes pro tribunali eorum sententia robur habeat. Ex quibus patet, quid sit priuilegium, & vnde dicatur.

Multiplex autem est priuilegij varietas, aliud dicitur scriptum, aliud non scriptum, siue à superiore concedatur, siue acquiratur consuetudine. Aliud est reale, quod directè conceditur alicui rei, vt loco, dignitati, prædio, mercibus; aliud personale, quod conceditur immediatè personæ, quando res, cui concessum est priuilegium, transit ad alium dominum, ad eundem etiam priuilegium transit; priuilegium verò personale cum persona extinguitur; aliud est gratiosum, quod gratis conceditur; aliud remuneratorium, quod meritorum ratione præstatur; aliud est conuentionale, quod conceditur ex pacto; aliud purum, quod absolutè conceditur; aliud est priuatum, concessum in priuatæ personæ fauorem, aliud commune, quod bonum communitatis immediatè respicit; aliud est fauorabile, quod priuilegiato confert fauorem, & commodum; nulli autem incommodum: aliud odiosum, quod in fauorem vnius, & in præiudicium cedit alterius; aliud est perpetuum, aliud temporale, seu ad tempus, aliud in foro conscientiæ, quod in foro externo non valet, sed tantùm in alio dicto foro. Sic Antonius de Scorbar ex plurimis Doctoribus in examine 15. de Priuilegijs in communi Theol. moral. tract. 1. tit. *Leges*, cap. 1. & alij. His præmissis, probatur propositio nostra.

1. Quia priuilegium concedere potest, quicumque potest legem vniuersalem condere; sed Papa potest vniuersalem legem in tota Ecclesia condere: ergo & priuilegium concedere. Confirmatur 1. maior ex præcedentibus, in quibus probatum est, Romanum Pontificem posse nouos canones facere, & in illis ac aliis canonibus vniuersalibus dispensare. Confirmatur 2. quoniam qui potest maius, potest & minus; sed probatum est Romanum Pontificem posse legem vniuersalem, quæ maior est, condere: ergo & priuatam, videlicet priuilegium quod minus est, concedere poterit.

2. Priuilegium in rigore sumptum, vt est concessio specialis contra legem vniuersalem, ab ipso legis auctore maxime potest fieri; nam ad illud principaliter ac primò spectat in propria lege dispensare: priuilegium autem latiùs sumptum, videlicet pro gratia & beneficio vltra ius, manifestè constat concedi posse à Principe, qui præter illud operari, aut potestates varias concedere potest. Sed hæc omnia, vt suprà probatum est, spectant ad Romanum Pontificem; ergo potest priuilegium concedere.

3. Probatur ex Glossa singulari super caput *Quod autem.* 25. q. 2. quæ nostram propositionem firmat, ex cap. *Bona rei.* q. 2. & cap. *Pronunciandum.* de Consecr. distinct. 3. & cap. *Contra morem.* distinct. 100. & ex 25. quæst. 1. in qua ex Iuonis Glossa pronunciatur, quòd *Valet S. Romana Ecclesia quoslibet suis priuilegiis munire, & extra specialia decreta, quædam speciali beneficio indulgere.* Sic etiam definit Nicolaus I. ad Rodolphum Bituricensem verbis sequentibus scribens cap. *Conquestus 9. q. 3. Primates & Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus: ita vt secundùm Nicenas Regulas sua priuilegia seruentur Ecclesiis, præterquam si Apostolica sedes antiquam Ecclesiam, vel rectores ipsius, quolibet priuilegio speciali decreuerit honorare.* Constat etiam ex consensu Concil. generalium, arbitrantium Romanum Pontificem posse Regularibus priuilegia concedere. Quod 1. notatur in Concilio generali Viennensi sub Clemente V. in quo Pontifex illa priuilegia impartitus est per Decretalem illam quæ incipit *Dudum.* tit. de Sepulturis. Hæc sunt verba Concilij, *sacro instante & approbante concilio.* Similiter Leo X. in generali Concil. Lateranensi V. priuilegia Regularibus concessit, eodem Concilio approbante in bulla quæ incipit, *Dudum intra mentis arcana.* Hanc etiam potestatem agnouit generale concilium Lugdunense sub Innocentio IV. in bulla quæ incipit, *Volentes*, in qua *prohibet Episcopis & Archiep. ne priuilegiatos regulares pro vlla causa, vlloue loco, excommunicarent, suspenderent, & in-*

& interdicerent. Concilium denique Trident. sess. 24. cap. de Regularibus, hanc facultatem in Pontifice agnouit. 1. Loquens de Episcopo ordinario his verbis. *In omnibus Monasterijs sibi subditis ordinaria, in alijs verò videlicet exemptis, sedis Apostolicæ authoritate clausuram sanctimonialium diligenter restitui, aut conseruari procurent.* 2. Verbis sequentibus. *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia & facultates; quæ ipsorum personas, & loca, & iura concernunt, firma sint, & illæsa.* Quæ priuilegia cùm sint à Pontificibus concessa, illa approbando & confirmando satis innuitur, potestatem illa concedendi, in Pontificibus extitisse, ac existere. Adde, quòd necessitas concedendi priuilegia reperitur in Ecclesia, quæ duplex est. Prima est humanorum actuum variatio. Secunda, aliqua iusta causa de nouo adueniens.

Quoad primam, contigit sæpissimè humanos actus multipliciter in bonum, vel malum variari, & ideò necessum est, quibusdam priuilegia indulgere, & à quibusdam alijs subtrahere propter casuum contingentiam, qui lege, seu iure communi determinari, & deffiniri minimè potuerunt. Atque hanc necessitatem Aug. superiùs relatus lib. 10. de Lib. arb. approbat, afferendo exemplum de populo qui sit moderatus, & grauis, communisque vtilitatis diligentissimus custos, qui ob id iure merito donatur priuilegio, quo sibi liceat magistratus creare, quibus respublica regatur. Si verò postmodum illemet populus paulatim deprauari incipiat, rem priuatam publicæ rei præferendo, rectè priuilegio huiusmodi priuatur. Et licet, vt ibi D. Aug. optimè considerat, lex humana contraria videatur continere, vt vna aliquando quibusdam honorem tribuat, aliquando verò auferat, vtraque tamen iusta est, vt superiùs diximus.

Secundam necessitatem concedendi priuilegium nemo negare auderet, quam multiplicem fatentur doctores. Quis enim negabit, ampliationem Christianæ religionis inducere obligationem concedendi priuilegia? quis dubitauerit quòd non sit necessarium concedere priuilegia illis hominibus, qui à proteruis, insolentibus, & malis vexantur, vt à vexatione liberentur? Numquid etiam beneficia singularia accepta illam necessitatem non inducunt? sine dubio: vnde huiusmodi causis & alijs similibus occurrentibus, concessum est, priuilegia concedi posse.

4. Si Papa non posset priuilegia concedere in Ecclesia, nec Reges, nec Principes supremo imperio vtentes, idem possent in subditos, cùm sit eadem prorsus ratio: hanc autem in Regibus potestatem & in Principibus supremis, agnoscit status politicus: cùm illis liceat ad arbitrium iudices instituere, subditos ab eorum iurisdictione eximere; sibi aut alijs à se delectis submittere: prout videmus in Augustalibus, siue domesticis Regis, & quamplurimis alijs, tam Ecclesiasticis, quàm laicis, à iurisdictione Ordinariorum exemptis, datos fuisse iudices augustales, aliàs magistros Libellorum, seu Requestarum Palatij regis vocatos. Sicuti tenent Panormitanus de Immunitate Ecclesiast. num. 13. Syluester suprà q. 2. distinct. 4. & 9. Quæ cùm ita se habeant, ex euidenti sequela Papa poterit concedere priuilegia.

5. Non denegandum est Pontifici, quod ciuitati Metropolitanę, aut supremæ, conceditur: at hæc potest dare priuilegium; potest enim eximere subditum suum à tributis, vel ab alijs oneribus per modum pacti, illudque est verum priuilegium. etiam irreuocabile, vt notat Panormitanus in cap. *Seruenit.* de Immunit. Ecclesiast. cum Bartholo in lib. *Quod semel.* §. de Decretis ab Ordin. faciendis, & in lib. *Omnes populi.* §. de Iustitia, & Iure, & alij multi qui ibi referuntur; & sumitur ex leg. 1. cap. *De his qui sponte* lib. 10.

6. Inferioris ordinis, & authoritatis Prælatus, non maiori potestate potitur ad priuilegia concedenda, quàm ipsius superior: cùm in Hierarchia quod potest Prælatus inferior, possit & superior: at sine dubio Episcopus qui est subditus Papæ vt omnia iura testantur, potest sibi subditis priuilegia concedere, etiam contra ius commune suæ Diœcesis: ratio est, quia potest in ea condere legem vniuersalem, vt tenet Hostiensis, Angelus, & Tabiena, in cap. *Constitutus*, de Religiosis domib. in quo Papa tuetur priuilegium concessum ab Episcopo: & ita etiam tenent Antoninus, Siluester, Rosella, & communiter alij in cap. *Cùm olim*, 2. de Priuilegijs; & confirmatur ex cap. *Cùm venerabilis*, de Censibus. Quod denique exemplis ostenditur: nam Episcopi, imò & alij priuati prælati, possunt ad se causas subditorum

Digitized by Google

euocare: & Iudices illis, vltra ordinarios, quando fert occasio, eligere: Parochorum, quando opus est, iurisdictionem moderari, & restringere: quæ omnia sunt priuilegiorum concessiones, vel iuris communis Diœcesis restrictiones. Cùm ergo hæc sint in potestate Episcopi, & priuatorum Prælatorum, quis poterit illud Papæ, supremo omnium Episcoporum, aliorumque Prælatorum, Prælato denegare, nisi sit parum sanæ mentis homo?

7. Si Papa non posset concedere priuilegia, nullum esset Alexandrinæ supra Constantinopolitanam Ecclesiam priuilegium; vana priuilegia Arelatensis, ac Rotomagensis Ecclesiæ, Vniuersitatis Pariensis, ac etiam totius Ecclesiæ Gallicanæ. Quid dico? Episcopatuum in Archiepiscopatus mutatio, sicut & sedium Episcopalium diuisio & translatio foret inanis, & deceptoria. Episcopi insuper minimè immediatè summo Pontifici, sed Archiepiscopis subijcerentur, & illustria Canonicorum Capitula non essent ab Episcoporum iurisdictione exempta; atque priuilegiorum plurimis Episcopis concessorum vsus caderent, qui vltra reditus suorum Episcopatuum, tot Abbatiarum & Prioratuum reditibus gaudent, & vt paucis multa edisseram; Regis Christianissimi priuilegia deficerent, ac etiam cum illis aulicorum ipsius, & clericorum Palatinorum, & aliorum eius obsequio mancipatorum exemptiones, & priuilegia, ac denique Indulta omnia Senatus Parisiensis, cùm illa omnia à Papa sint concessa; & sic omnis status Ecclesiasticus regularis, & secularis penitùs confunderetur.

8. Si vsus est potestatis optimus interpres, & testis; certo certius vsus ipse concedendi priuilegia in Pontifice antiquissimus est; nam in Ecclesia S. Hieronymi tempore extabat, vt ipse testatur de suo Bethleemitico Monasterio. Epist. 60. & 62. in quo asserit, *Quinque fuisse presbyteros, qui suo iure poterant baptisare.* Quod verbum, *suo iure*, notandum est: non enim ministeria iure alterius Episcopi exercebant, sed iure à Papa concesso, quod proprium per concessionem Apostolicam perpetuò valituram vocabatur. Successiuè Ioannes III. Epist. 92. indict. 10. dat priuilegia Monasterio S. Medardi Suessionensis, his verbis, *Ne vilescat tantæ sublimitatis locus, nullius ditioni patitur subesse, cuius Rectores, & filij præsentes, & successuri, tantùm sub Regum custodia positi, admonitionem S. Petri, & suorum successorum huius Sanctæ Romanæ sedis Pontificum authoritate proclamant.* Quæ S. Greg. Papa lib. 7. Epist. 33. indict. 1. confirmat, ac etiam auget lib. 5. Epist. 27. indict. 14. & lib. 7. Epist. 18. induct. 1. & causa 16. q. 1. cap. *Ex authoritate*, vbi hoc vltimo loco sic ait, *Sacerdotibus & Monachis Apostolorum tenentibus figuram, liceat baptisare, prædicare, communionem dare, pro peccatoribus orare*, publica videlicet oratione, *pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.* Hæc ille. Bonifacius IV. in concilio, cap. *Sunt nonnulli.* his verbis laudat optimum in Monachis priuilegiorum præfatorum exercitium *A sacerdotibus Monachis ligandi, soluendique officium Deo operante, dignè administrari credimus*, rationemque reddit, *quia quantò quisque est celsior, tantò est in his potentior.* sic Pontifex, successiuè Honorius anno 626. Bertolfum Abbatem Monasterij Bobiensis ipsumque Monasterium aduersus Proclum Cleronensis vrbis Episcopum conantem ipsum Abbatem & Monasterium sibi subiectum facere, ab eiusdem iurisdictione exemit. Quos successores in hoc vsu conferendi priuilegia secuti successiue regularibus priuilegia innumera concesserunt.

9. Sensus vniuersæ Ecclesię hanc potestatem in Papa agnoscit: nam omnes illius ordines, Ecclesiasticorum, Nobilium, & populi non cessant ab illo priuilegia postulare, & ambabus manibus recipere; ac vt cætera taceam, Ecclesiastici quotidie postulant Coadiutores ad suas prælaturas, multiplicia beneficia, dispensationes in matrimonialibus, & alijs huiusmodi, Iubilæa, concessiones facultatum ad absoluendum & dispensandum in casibus Papæ reseruatis, & ad largiendas indulgentias factas sæcularibus Ecclesiasticis qui missionibus agendis incumbunt, aliaque similia, quæ verè priuilegia sunt, quæque ab illo non postularent, & acceptarent, nisi potestatem illam in eo residere cognoscerent; Quòd si hæc potestas ad huiusmodi concedenda in illo cognoscatur, cur non etiam potestas ad priuilegia Regularibus impertienda, eò vel maximè, quod nullus audeat negare, quin ipse possit priuilegia in aliquibus temporalibus vbique terrarum impertiri, vt verbi gratiâ, in

decimis Ecclesiasticis, & in illegitimis: vt colligitur ex cap. 6. de Priuilegijs, & ex cap. *Per venerabilem*, qui filij sint legitimi, vbi Panormitanus & alij latè; Rosella verbo *Illegitimus*, & alij Summistæ: ergo à fortiori poterit priuilegia concedere in spiritualibus, cùm in his sit directus dominus.

Atque huius doctrinæ vt reliquos taceam, sunt Antonin. 1. part. lib. 19. cap. 1. in princip. Siluest. verb. priuileg. quæst. 2. Armilla eod. verb nu. 3. cum Hostiens. in summ. de priuileg. 5. *qui potest*. Miranda in man. quæst. 41. & Ioannes Lomede in supremo parisiensi Senatu aduocatus, ac etiam Vniuersitatis Parisiensis olim Cancellarius, agens de principali priuilegio, videlicet exemptione, in lib. de Exempt. priuil. cap. 3. n. 12. his verbis. *Nec refert, nec impedit, Papam posse exemptionem concedere, quòd Episcopi sint immediati & primi in ordine Hierarchico, nec illud quod scriptum est in actibus Apostolorum & in cap. Mutationes, 7. quæst. 1. Sanctum Petrum contentum fuisse sua sede, nec Sanctum Iacobum, & alios in suis sedibus turbare voluisse; quia penes Papam summa est iurisdictio Ecclesiæ, tanquam per Christum substitutum. Dicit enim, supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Pasce oues meas; ac si dixisset, vt doctores interpretantur, summum ius huius rei tibi concedo.* Ex quibus huius celebris Doctoris verbis, non solùm concludere fas est, priuilegium exemptionis esse in potestate Pontificis Romani, sed etiam quodlibet aliud. Sic etiam magnus ille Cancellarius Ioannes Gerson censuit textu 2. in Euangelium Marci, loquens de illa potestate ad priuilegia Regularibus concedenda, licet eisdem non impensè affectus. Sic denique Ioannes Petrus Camus, planè & ipse alioquin Regularibus auersus, vt eius opera testantur, arbitratur in suo Viatore incognito lib. 2. n. 12. vt huic sententiæ contrariam, *hæreticam & schismaticam*, iure meritò afferat. Cuius sententia conformis est censuræ Clem. IV. in bulla quæ incipit, *Quidam temerè sentientes*, pronunciata his verbis, *Esset errorem dubitare, an Papa in omnes, sine aliquius consensu, imo inuitis quibuslibet, posset concedere facultatem, &c.*

Nec aduersatur huic sententiæ Bernardus lib. 7. de consider. ad Eugen. cap. 4. vbi videtur reprobare illam facultatem in Papa, illam vocando non dispensationem sed dissipationem. Nam nostram sententiam, quæ Catholica est, ipse tuetur; cùm subdit, *vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est; vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: vtilitas, dico, communis non propria, Nam cùm horum nihil est, non planè fidelis est dispensatio, sed euidens est dissipatio.* Quod iterum eodem loco repetit, cùm laudat, *quæ ad necessitatem vel vtilitatem publicam, vel ex fundatione Monasteriorum, non autem illa quæ ad fastum & vanitatem, vel ad inobedientiam protegendam, vel quia pecunia procurata*, additque postea illa verba ad Pontificem directa, *facitis, quia potestis.* Ex quibus apertè dignoscitur, Bernardum existimare huiusmodi potestatem esse in Pontifice; illaque bene aut malè vti posse: bene, si ad vtilitatem publicam, & necessitatem vtatur; malè, si ad fouendam inobedientiam, fastus, &c. illa potestate vtatur. Et quod valde notandum est, Bernardus inibi vsum illius potestatis erga Regulares minimè reprobat: sed tantùm erga Abbates, Episcopos & Archiepiscopos, vt eius verba sequentia testantur, *Substrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Primatibus*, & postea loquens de Abbate & Monachis ait, *Quomodo tamquam vnus ex illis manens, inter humiles superbus, inter subditos rebellis, immitis inter mansuetos.* Fateor tamen hunc sanctum doctorem licet nostræ sit sententiæ, non tamen probare; quòd Papa dando priuilegia auctoritatem Catholicam toto orbe dilatare, & tueri intendat; quòd tamen multi sancti doctores sanctum existimant.

Non aduersatur 2. huic sententiæ. quod Papa Domnus confirmando priuilegium exemptionis Abbati & Monasterio S. Martini à Papa Deodato concessum, affirmat *consuetudinem & traditionem Ecclesiæ Romanæ non permittere; quod domus regularis à regimine ordinariorum subtrahatur*; nam quidquid sit de hoc Pontificis rescripto, quod referunt abbreuiatores idiomate Gallico Annalium Baronij illud aduersus regulares addentes ad annum 676. respondetur potuisse tunc temporis talem esse consuetudinem & traditionem maleuolorum forsan industriâ introductam, cui prædictus Pontifex huiusmodi confirmatione derogat.

Nec 3. aduersatur illud quod ijdem abbreuiatores addunt de P. Francisco; nam



certum est ex expositoribus mentis illius sancti non exclusisse à suo ordine exemptiones omnes, sed tantùm temporales; non verò spirituales, quod manifestum fiet legenti ipsius regulam, quæ plena est exemptionibus spiritualibus ab ordinariorum iurisdictione.

Obiicies 1. Papam non posse iustitiæ derogare; sed concedendo priuilegia, derogat iustitiæ, cùm deroget iuri, seu legi communi, quæ iusta est: alioquin non esset dicenda lex, vt docet Augustinus: non potest ergo vti lege priuilegiorum. Respondetur illud quod scribitur 25. q. 1. videlicet, *Cùm aliqua priuilegia ab Apostolico conceduntur, & si contra generalem legem aliquid sonare videantur, non tamen contra ipsam aliquid concedere intelliguntur, cùm ipsius legis authoritate priuilegia singulorum penes matrem omnium Ecclesiarum reseruentur.*

Obiicies 2. Potestas omnis concessa Papæ, in ædificationem, & non in destructionem Ecclesiæ data est, sed hæc potestas in destructionem & diuisionem membrorum Ecclesiæ inter se, & eorumdem erga Episcopos & alios Prælatos exercetur; vnde dissentiunt, & contradicunt huiusmodi priuilegijs Episcopi, alijque ordinarij: ergo illa potestas non est concessa Papæ. Respondetur, fatendo quod omnis potestas concessa Papæ, illi data est in ædificationem, & non in destructionem aut diuisionem; negando tamen quòd vsus huiusmodi potestatis diuisionem per se operetur, seu pariat; quia nemo vtens iure suo diuisionem per se generat, licet per accidens ex alieno liuore causetur; vt etiam accidit in vsu cuiusuis potestatis. Pacem autem & concordiam supremi capitis cum membris, & eorumdem cum Deo, huius potestatis vsus generat. Quòd verò huiusmodi potestati contradicunt quidam Episcopi, hoc nihil contra nostram sententiam & veritatem propositionis facit; nam principis supremi potestas subditorum contradictione minimè euincitur, cùm eidem vt Deo obedire teneantur. Adde, quòd si aliqui de facto se opposuerint vsui illius potestatis; alij tamen ambabus vlnis consenserunt; præcipuè illi qui concilijs generalibus adfuerunt, vt inferiùs probatur, & certè si Episcopi minimè conqueruntur, quod substrahantur ab Archiepiscoporum iurisdictione, vt præter Anicij Episcopum in Gallia, & alios forsan alibi, sunt in Italia 47. cur conquerantur non habent si aliqui à sua iurisdictione substrahantur.

Ex quibus omnibus manifestum habetur, vsum concedendi priuilegia, maximè Regularibus, non esse iniustum, sed sanctum: ipsaque priuilegia esse legitima, iusta, & sancta. Quam veritatem Ioannes Petrus Camus in suo Partochiano, pag. 368. fateri cogitur verbis sequentibus, *Priuilegia Regularium bona, valida, legitima, acceptabilia, sancta & venerabilia cognosco, & probo.* Denique si prædictæ rationes & testimonia ad illud probandum deficerent, quod docet Baldus cum alijs Doctoribus in cap. *Ecclesia* vt lite pendente colum. penult. foret plusquam satis, videlicet, *Cùm princeps sit causa causarum, non est de eius potestate requirendum, cùm prima causa nulla sit causa, & illud quod primum est aliud ante se habere non potest.* Hæc de hac veritate dicta sufficiant, de qua in tract. de exempt. redibit sermo.

PROPOSITIO VI.

Solus Papa potest huiusmodi priuilegia spiritualia concedere. Et si dubium occurreret, num poterit, ad eumdem solum spectat illius dubij declaratio.

Probatur hæc veritas, quoad 1. partem quoniam ille solus potest dispensare in lege, qui solus potest condere legem nouam vniuersalem in Ecclesia: solus autem Papa hoc potest, vt expresse deffinitur à Gregorio VII. Cùm pronunciat de Papa verbis sequentibus in suo Registro insertis, *Illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere*, quæ refert post alios Petrus de Marca de concord. sacerd. & imper. ergo illi soli licet priuilegia concedere, cùm sint nouæ leges.

Deinde ille solus potest priuilegia concedere, qui solus potest omnia iura conde-

re, confirmare, & relaxare: talis autem est solis papa: ergo solus Papa potest priuilegia, in vniuersa Ecclesia concedere. Vis huius argumenti melius concipietur, si noueris Papæ authoritatem in priuilegijs conferendis tripliciter differre ab aliorum potestate. 1. In vniuersalitate, quia ab illo concessa priuilegia omnes ligant, vel soluunt, & à nemine abrogantur. 2. In authoritate, quia ipse potest sua, & aliorum priuilegia confirmare, & de causa concessionis, vel substractionis priuilegiorum cognoscere, discutere, atque sententiam ferre, eius autem priuilegia nullius sententiæ subiacent. 3. In dignitate, quia ipse potest concedere priuilegia in spiritualibus, & temporalibus, clericis, & laicis: aliorum autem priuilegia, saltem laicorum Principum non conceduntur nisi in temporalibus, & personis laicis; licet etiam aliquando in quibusdam casibus, & Ecclesiasticis personis. Quòd si quis obiiciat, Episcopos posse concedere priuilegia, non negabo quin id possint in suis Diœcesibus, cum consensu Capituli, vt in præcedenti propositione supposuimus. Sed hanc facultatem à Pontifice Romano concessam possidere. sustineo, vt aliàs dicemus, dum de iurisdictone Episcoporum agemus.

Quoad verò secundum partem, probatur veritas propositionis ex Decisione Gelasij Papæ omnibus Episcopis directa relata 9. q. 3. c. 17. his verbis: *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissum.*

Deinde certum est, quod dubium de potestate papæ, an potuerit, vel non, concedere priuilegia, est vna ex maioribus Ecclesiæ causis, cùm respiciat supremam in Ecclesia potestatem; sed solus pontifex Romanus est iudex causarum maiorum ex sententia Innoc. III. dicentis cap. 3. de Translat. Episcopi; *Cùm ex illo generali priuilegio quod B. Petro, & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit canonica manauerint instituta, continentia, maiores Ecclesiæ causas ad Apostolicam sedem perferendas;* Ergo illius dubiæ potestatis interpretatio ad pontificem spectat. Atque sic hanc propositionem ex illis duobus capitibus probat Siluester, verb. *Interpretatio.* q. 2. Illam etiam tenent cum multis alijs Panormitanus in cap. *Cum venissent* de iudicijs, & Miranda in Manuali q. 44. art 1. concl. 1.

Ex quibus apertè meo iudicio colligitur. Theologos operam perdere in agitanda illa quæstione, videlicet, an cùm dubitatur de iusta causa dispensationis, valeat dispensatio Papæ. Nam si certum est ex dictis Pontificem Romanum esse iudicem suæ dubiæ potestatis, cùm ipse per dispensationem iuridicam super huiusmodi causa iudicauerit se posse, ex consequenti iudicauit dispensationem.

PROPOSITIO VII.

SVpremi Principes temporales nullum habent ius in condendis Canonibus Ecclesiasticis, Rerum fidei, & disciplinæ.

Definiuit hanc veritatem ex mente antiquorum Patrum Felix Papa in Epistola ad Zenonem Imperatorem, in qua Regibus hanc regulam sequendam proponit, scilicet, illis nihil in causis Dei relictum præter obsequij gloriam, his verbis, *Certum est, hoc rebus vestris esse salutare, vt cùm de rebus Dei agitur, iuxta ipsius institutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre. Et sacro sancta per eorum Præsides discere potiùs quam docere; Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda iura præfigere, neque eius sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ deuotionis colla submittere; ne dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.* Eandem Regulam sequendam à Regibus per Cecropium, Episcopum pronuntiatam Concilium Calcedonense præscribit, videlicet, *Quando quæstiones canonicæ examinantur, neque iudices, neque alios laicos interesse oportet.* Quocirca eam-

dem sententiam Fœlicis, & Patrum Antiquorum, abundè expressit Synodorum Ille præses Osius Cordubensis, dum Constantium principem, qui se disceptationibus Ecclesiasticis immiscebat, officij sui grauiter admonet, verbis sequentibus, quæ refert Athanasius, *Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit; & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens magno criminis obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei, Deo.*

Ideò perfectè hanc lectionem didicerat Valentinianus senior, qui interpellatus ab Hypatiano Episcoporum Orientalium Legato, pro restauranda fide quam Constantius pessum dederat; respondit teste Sozomeno lib. 6. *Sibi, qui vnus è laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere.* Atque quod ipse verbo testatus fuerat, edicto constituit, nempè, *fidei causas à sacerdotibus esse iudicandas; ac propterea* Theodosius Iunior, cùm Candidianum Comitem Synodo Ephesinæ interesse iussit, hoc fecit, *Ea lege & conditione, vt cum quæstionibus, & controuersiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: ne fas enim eum, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.*

Denique vt Martianum, & cæteros taceam, Basilius Imperator in allocutione ad VIII. Synodum act. X. edoctus illam veritatem, sic pronuntiat, *Laico cuicumque nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi fas esse dico.*

Quòd si 1. obiicias, quòd in antiqua, & veteri lege, quæ erat figura nouæ legis, regia à sacerdotali potestate non diuidebatur: ita vt Ecclesiasticis dirimendis, & iudicandis, ac etiam diuinis, Reges & Principes præsiderent, æque ac temporalibus. Respondetur, Legem veterem fuisse imperfectam, & præficiendam lege nona; ac propterea diuisam fuisse regiam potestatem à sacerdotali; ita vt, nec rebus fidei discutiendis, & diiudicandis, nec negotijs Ecclesiasticis, nec Concilijs, & Synodis Reges vt iudices, sed vt filij obedire parati, præsidere, & interesse valeant. Cùm huiusmodi potestas, & auctoritas quæ spiritualis est, Petro præcipuè, & cæteris Apostolis à Christo data fuerit, & iis quos ipsi huius ministerij participes facturi essent, in quo, cùm nulla Regum mentio fiat, quibus hæc potestas asseri non potest, (quæ omnem naturæ ordinem exuperat) nisi desertissimè illis à Deo collata sit.

Si 2. obijcias, multos Imperatores & Reges interfuisse in Concilijs & Synodis, Canonibus fidei & disciplinæ faciendis, illosque approbasse, & confirmasse. Respondetur, quòd quidquid sit de quibusdam Imperatoribus & Regibus qui per nefas, omni modo repugnantibus Romanis Pontificibus, & Episcopis, hanc sibi arrogarūt, & vsurparunt potestatem; certum est, probos, & bonos interfuisse, vt approbarent canones & posteà legem ferrent populis, ad obedientiam præstandam, vt ex Historia Ecclesiastica manifestè patet.

Si 3 objicias Carolo magno & Othoni Imperatoribus ius factum fuisse ab Adriano & Leone Pontificibus, eligendi Romanos Pontifices, vt habetur distinct. 63. ca. *Hadrianus*, 2. & cap. *In Synodo*: ergo etiam ius condendi canones, cùm potestatis maioris sit effectus, Pontificem Romanum, eligere, quàm canones condere. Respondetur, Gratianum qui horum duorum canonum est compilator, errasse, nusquam enim illi Canones à Pontificibus aut Concilio conditi fuerunt vt copiose probat Baronius in suis Annalibus Tom. 9. pag. 323. & vt ipsius probationes taceam, vnam dumtaxat afferam desumptam ex antedicto Canone, *Hadrianus*, in quo dicitur de Carolo, quòd, *Post sanctam resurrectionem reuersus Papiam, cepit Desiderium Regem: deinde Romam reuersus constituit ibi Synodum, &c.* Hæc autem narratio, vt constat ex Historia, est merum mendacium; nam nec est reuersus Papiam; nec Synodum constituit.

Verùm, concessis illis duobus canonibus respondetur 2. illos nusquam sortitos fuisse suum effectum, vt optimè notat Bellarminus in Responsione ad libellum factum à quodam Theologo aduersus censuras à Paulo V. pronunciatas & publicatas contrà Venetos.

Respondetur 3. potestatem spiritualem eligendi Pontificem Romanum, posse delegari

legari potestati sæculari, sicut videmus delegatam Regibus, qui ad Episcopatus nominant; & alijs inferioris notæ laicis, qui hoc etiam iure ad beneficia, Episcopatibus minora concedenda fruuntur: nec vllus ex eo concludet. Reges aut illos laicos potiri alia facultate, aut iurisdictione ad condendas leges pro Diœcesum & Ecclesiarum regimine: nam hoc ius ab illo præcisum est, & illud concessum Apostolica auctoritate, hoc verò denegatum. Sic similiter de illa facultate prætensa eligendi Pontificem Romanum ratiocinandum est, quæ sicut eidem Pontifici electo potestatem spiritualem in vniuersam Ecclesiam non conferebat, sed Deus, mediante electione, vt in principio tractatus de Exemptione ostendemus: sic nec Imperatores illa potiebantur, ac proindè nec facultate condendi canones, vt probè etiam notat proximè citatus Bellarminus.

PROPOSITIO VIII.

Reges ac Principes supremi, & ex consequenti supremi Senatus, cùm suprema potestate delegata polleant, sunt tutores & protectores sacrorum Canonum, Decretorum & Priuilegiorum à Pontificibus, & Concilijs emanatorum.

Multis modis possunt supremi principes tueri sacros canones aut decreta Pontificum, vel eripiendo oppressos subditos à grauaminibus sibi per suos prælatos inflictis, vel suspendendo mandatorum eorumdem; ac etiam Pontificum executionem, dum imminet rei publicæ perturbatio aut maximum tertij detrimentum: vel denique obseruantiam inuiolabilem illorum Canonum in suis tenoribus conseruando, & violatores castigando, & de hac vltima protectione fertur propositio: de alijs verò in sequentibus: veritatem aurem illius docet Augustinus Epist. 50. 164. 166. & alibi: vnde Sixtus in Epist. ad Ioannem Anthiochenum ait eleganter, *Cœlestem Regem fœderatos habere Reges terrarum.* Et Leo I. ad Leonem Imperatorem in eam sententiam sic scribit, *Debes incunctanter aduertere regiam potestatem, tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatum, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ sunt benè statuta defendas, & veram pacem ijs, quæ sunt turbata, restituas.* Hæc Leo, qui considerando Epist. 33. humanarum actionum imbecillitatem, & aliundè quàm potens sit regia potestas iuncta cum sacerdotali, ad illas seruandas sic fatur, *Res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas.* Eadem sententia habetur ex Isidoro lib. 3. Sentent. de Summo bono, relata 23. quæst. 5. cap. *Principes sæculi. Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Huic veritati subscripserat Iustinianus; qui alicubi illos vocat *Tutores, & vindices vetustatis.*

Atque hinc factum est, vt singula quæque Concilia Oecumenica Imperatorijs Decretis confirmata sint ad tuendam Canonum publicam executionem; & compescendos auctoritate Principis eos, qui, rebus semel decisis, se contumaces exhibuerint. Quo circa facundus Hermuniensis in Affrica, qui tempore antedicti Iustiniani florebat. lib. 12 cap. 3. accuratè expressit hanc veritatem, cùm exemplo Marciani, Principum audaciam, qui canonicas quæstiones ad suum iudicium reuocare tentabant, exagitatus sic concludit. *Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus* (de Marciano loquitur) *Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non factor.* Atque hanc sententiam tenent Rodericus tom 2. quæst. 63. art. 13. Aufrerius de potestate sæculari super Eccles. pers. Reg. 2. num. 10. qui hoc etiam specificè affirmat de Regibus Francorum, respectu Canonum Concil. Constantiensis, loco cit. nu. 31. vers 211. Petrus de Marca lib. 2. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 10. 11. & 12. vbi hanc facultatem ex lege naturæ, ex Scripturis, ex

Digitized by Google

sententijs Pontificum, & Patrum, & ex vsu, Imperatoribus, & Regibus, maximè Regibus Galliæ competere, latè probat. Quod autem ea facultas etiam competat supremis Senatibus constat tum ex inferiùs dicendis, cum etiam quod omnis Principum supremorum potestas ordinaria vniuersaliter delegata sit eis commissa, vt patet ex diplomatibus quibus hi Senatus instituti sunt, & ex alijs quibus illorum facultates amplientur & augentur, vt norunt optimè iuris periti, nec nouum est tanta pollere auctoritate huiusmodi Senatus; cum Probus Imperator, referente Vopisco, Senatores Romanos *Patres & Principes mundi vocarit; quocirca idem iurisperiti censent appellationem ad Senatum esse appellationem ad Principem, cum Princeps se nominet Senatus membrum* l. 8. C. de dignit. & l. 5. C. à l. Iul. Mat. Quod à Iustino Imperatore confirmatum est vt notat Corispus: vnde Imperator Probus illi scribens vocat illum *vestra Maiestas* & Patres *Conc. Calced. act. 1. clamat: viuat Imperator & Senatus* quam proclamationem etiam fecerunt patres Concil. Constant. act. IV.

PROPOSITIO IX.

Potest legitimè appellari de abusu ad Principem secularem, seu Senatum supremum, quotiescumque potestas Ecclesiastica pronunciat, aut agit contra Canones & priuilegia, potestque Princeps & Senatus supremus appellationem suscipere: & appellantes à violenta suorum Prælatorum vexatione eripere.

Veritas hæc quoad 1. partem euidenter concluditur ex præcedenti propositione. Si enim Princeps sæcularis Canonum & priuilegiorum tuitor, protector, & defensor existit, possunt subditi ad illum recurrere; cum dicti canones, & priuilegia læduntur à potestate Ecclesiastica: ac ex consequenti appellare de abusu.

Abusus autem, ne in terminis erremus, nomen est antiquum in Gallia, quod significat *Aberrationem ministerij spiritualis in negotiis spiritualibus, vel transgressionem potestatis spiritualis extra terminos, à lege, aut canone assignatos, vel dicitur malus;* vel dicitur *illicitus vsus: abusus enim est, qui propriè committitur in actu, cuius vsus nullus est* l. ob quæ vitia § Idem Pomponius ff. de ædilit. edicto: vel denique dicitur *vbi actus contra naturam fit* l. 1. §. sed sciendum, eod. &c. Quando verò prælatus sæcularis, vel regularis abutitur suo ministerio, seu potestate spirituali, tunc dicitur illa actio abusus, & potest tunc subditus appellare de abusu ad Principem seu Senatum supremum. Quod fit in 5. Casibus generalibus, ad quos cæteri referuntur, vt plures doctores asserunt. Primus est si prælati, aut iudices Ecclesiastici aliquid decernunt aut iudicant aduersus iurisdictionem regiam, aut sæcularem. 2. si contra libertatem, aut immunitatem subditorum Regis. 3. si contra ordinationes Regum galliæ, & placita Senatuum supremorum. 4. si contra sacros canones Conciliorum generalium, decreta Pontificum, constitutiones & statuta Episcoporum. 5. si iudices Regis & alij iudices laici aliquid decernunt, iudicant, & vsurpant in præiudicium & diminutionem iurisdictionis Ecclesiasticæ, libertatis & priuilegiorum Ecclesiæ gallicanæ. Duplex autem est huius appellationis effectus, Primus est suspendere. 2. deuoluere. Suspensiuum habet effectum, cùm exemptus ab Episcopo, aut ab alio ordinario appellat, per citationes, informationes, aut pœnas grauatus in sua exemptione: tunc enim talis Episcopus aut ordinarius spirituali potestate abutitur, quia extra limites iurisdictionis sibi præfixos egreditur. Vel cùm idemmet exemptus à sententia Superioris contra sacros canones, vel regias ordinationes, aut Regulares constitutiones lata, appellat: licet iurisperiti arbitrentur, quòd vt appellatio suspendat, requiritur literarum regis super huiusmodi appellatione in Cancellaria expeditio, & earumdem Ordinario grauanti, intimatio, cum prohibitione formali à supremo Senatu eidem facta, ne quid agat contra huiusmodi apellantem. Quod tantum in foro contentioso necessarium crediderim,

vt multi tenent citandi in fine prop.5. cap. 4. tract. 3. nec vllatenus necessarium in eo foro, quando Episcopus procedit contra manifestè exemptum cum eiusmodi appellatio sit tantùm vocatio supremæ potestatis, vt protegat exemptum castigando violentiam facientem, vt mihi clarum videtur.

Non habet autem effectum suspensiuum in non exempto, sed tantum deuolutiuum, quando à correctione appellat in materia Ecclesiasticæ disciplinæ, potestque appellans pro illo negotio, cuius causa appellauit, adire Senatum supremum, ad quem deuolutum est.

His prælibatis, prætermissis pluribus Canonibus ex quibus Doctores nostram propositionem concludunt, quos causis 7. 9. 11. & 23. legere quis poterit, se offert 1. cap. *Petimus* 11. q. 1. in Concil. Carthag. 3. cap. 38. pronunciatum, *Petimus vt dignemini dare fiduciam, qua necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis Rectorem Prouinciæ secundum statuta gloriosissimorum Principum aduersus illum adire, qui plebem quam inuaserat vsque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere contemnit, vt qui miti admonitioni acquiescere noluit, & emendare illicitum; auctoritate iudiciaria penitus excludatur, &c. Honoratus, & Vrbanus Episcopi dixerunt: hoc enim omnibus placet: ab vniuersis Episcopis dictum est, iustum est, placet.* Super quo Glossa explicando ait, quod quidam multoties monitus nolebat reddere plebem quam inuaserat, quare quidam Episcopi petebant in Concil. Carthaginens. vt per Rectorem Prouinciæ expelleretur, & respondet Aurelius Episcopus, *Nulla fit ei iniuria, si per sæcularem potestatem, &c. ex quo admonitus non desistit.* Postea Honoratus, & Vrbanus Episcopi dixerunt, *hoc omnibus placet*. Ex quo adhuc Glossa concludit verb. *Excludatur*, quòd si quis auctoritate iudicis mittitur in possessionem, & aduersarius eum non admittat, qui nec attendit excommunicationem, videtur quod manu militari possit auferri ei res: affertque ad id multos Canones & leges. 2. probatur ex cap. *filius* 16. q. 7. quod illud subindicat, dum facultatem facit recurrendi ad Regem, cum per iudices Ecclesiasticos grauamen minime auferri potest. 3. probatur ex Epist. Leonis ad Ludouicum Imperatorem missa, in qua sic scribit *si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iuxta leges, tramitem non seruauimus, vestro, ac missorum vestrorum volumus emendari iudicio.*

Ex quibus optimè colligitur, quòd possit appellari ad Principem sæcularem, & ad Senatus supremos, quibus suas vices princeps commisit, quotiescumque potestas Ecclesiastica abutitur, facitque contra canones, & priuilegia, nec monita desistit à vexatione: & hoc est in terminis (iuxta denominationem Gallorum) appellare de abusu.

Deinde iure naturali potest subditus se tueri contra suum Prælatum, suæ libertatis, & iuris iniustum inuasorem, vt docent Theologi; ergo quotiescumque ab illo opprimitur, nec aliâ viâ potest se tueri, potest Principem sæcularem per appellationem tanquam de abusu adire, vt se tueatur. Dixi aliâ viâ, quia si ad Prælatum supremum appellare potest, nec sit periculum damni inferendi ratione moræ temporis, tenetur hunc ordinem sequi. Et ita etiam tenent doctissimus Franciscus Salgado de Somora, cum alijs quos refert tract. de Reg. protect. 1. parte cap. 1. per totum, Ioannes de Castillo in tract. de hac materia cap. 41. à nu. 163. Suares lib. 4. contra Regem Angliæ, cap. 34. Simancas de Catholicis inst. tit. 45. n. 35. Couarruuias pract. quæst. ca. 35. Caietanus, Gerson, & alij, qui sequenti propositioni subscribunt; Cœpit autem praxis huius appellationis in Gallijs à tempore Petri de Cugneres causarum Regis in supremo Parisiorum Senatu Patrono, vsusque illius sub Ludouico XII. in praxi extitit, in dicto dumtaxat Senatu, non autem in alijs, in quibus etiam his temporibus inualuit.

Secunda propositionis pars ex prima sequitur, nam cùm recursus subditorum ad Principem sæcularem, & supremos Senatus licitus sit, non frustra aut superuacuus esse debet: attamen ad maiorem illius certitudinem probanda est, ac primò ex Scriptura, quæ describens officium Regum, dicit esse huiusmodi, videlicet, *Facere iudicium, & iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos.* Ergo quotiescumque subditi ad illos de abusu appellant, possunt recipere appellationem, & sic oppressos liberare. Quod ex sententia Hieronymi in cap. 22. Hierem. inserta 23.

quæſt. cap. 23. confirmatur, cùm dicit. *Regum officium eſt proprium, facere iudicium & iuſtitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos*: & poſt aliqua additur, *ſi hæc feceritis, ô Reges Iuda, tenebitis priſtinam poteſtatem.* Quibus verbis hanc facultatem ineſſe Regibus, & illam Reges antiquitùs poſſediſſe manifeſtè oſtenditur. 2. Probatur ex Canonibus in iure inſertis, diſtinct. 96. in qua reſoluitur, quòd Principis munus ſit, Eccleſias contritas reſtaurare, & nouas ædificare; ex eo quòd boni Principis eſt Sacerdotes honorare, & tueri Et clariùs 23. q. 5. *Cognoſcant ſæculi Principes ſe eſſe rationem reddituros propter Eccleſiam, quam tuendam ſuſcipiunt.* Verùm euidentiùs hanc veritatem habet Caput *Chriſtianis*, 2. quæſt. 1. in quo Gelaſius Papa Zeiæ Comiti ſic fatur, *Clericos tibi committo, vt tuæ ſublimitatis tuitione valleantur, ne quid illis, aut ſubreptio, aut inimica legibus violentia neceſſitatis imponat.* Quibus protectionem Clericorum vi oppreſſorum Zeiæ Comiti, & conſequenter alijs ſupremis Principibus commendat. 3. Specialiter probatur pro Regibus Galliæ, ex extenſione tuitionis in poſſeſſione Beneficiorum, vt Bullâ Martini V. quæ incipit *Apoſtolicæ Sedis*, ſub data 1431. manifeſtum eſt. Nam cùm quadam præcedenti Bulla prohibuiſſet ſub pœna excommunicationis Iudicibus ſæcularibus, ne de cauſis Eccleſiaſticis cognoſcerent, ſic poſtea ſuam mentem explicat. *Declaramus, noſtræ intentionis non fuiſſe, nec eſſe per dictam, aut quamcumque aliam conſtitutionem eidem Regi, & eius regiæ iurisdictionem, per quam, vt aſſeritur, tam Rex, quàm ſui progenitores ſuper huiuſmodi poſſeſſione à tanto tempore, circa quod, de eius contrario memoria hominum non exiſtit, conſueuerunt cognoſcere, & in aliquo derogare voluiſſe, aut velle quoquo modo: ipſoſque Reges, & Iudices decernentes, & partes moleſtatas, cùm ſuper earum conſeruatione ad ſuorum Beneficiorum poſſeſſionem ipſius Regis auxilium implorant, dummodò in contemptum Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt partes ſibi aduerſas in rebus Eccleſiaſticis diutiùs perturbarent, hoc non fecerint, pœnas in dicta noſtra conſtitutione contentas nullatenus incurriſſe, aut debere incurrere.* Sic etiam ſpecialiter habetur in Concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I. quibus idem Pontifex ſub finem, tuitionem eorumdem Concordatorum contra impugnantes, Regi prædicto, & eius ſucceſſoribus commendat.

Quòd ſi obiicias, illis tantùm ex Bullis Martini, & Leonis ante dictis conceſſam eſſe tuitionem in conſeruatione poſſeſſionis beneficiorum, vel in contentis in Concordatis; non autem vniuerſalem Eccleſiaſticorum, & Regularium iurium tuitionem. Reſpondetur, fatendo ita eſſe: ſed ex legitimè præſumpta mente Pontificis ſemper Eccleſiæ Gallicanæ perſuaſum fuit, in cæteris articulis eam tuitionem extraordinariam, quæ in Gallia ante Concordatorum publicationem vigebat, à ſummis Pontificibus tacitè fuiſſe conceſſam; cùm in rebus maioris perſæpè momenti quæ in poſſeſſione, Beneficiorum conſeruatione, & præmiſſis Concordatis continentur, præſidium Regium ad decreta cuſtodienda impendi gratiſſimum habuerint: qui conſenſus Pontificum inde etiam probari poteſt, quòd ab aliquot ſæculis à Romana curia nihil profectum ſit, quo non gratam ſibi huiuſmodi ad Regem prouocationem, Regiſque tuitionem oſtenderit.

Probatur quartò ex vſu Regum & Senatuum Galliæ, quem in omni materiarum genere longum eſſet oſtendere. Quocirca de vſu illius poteſtatis in tuendis Regularium priuilegiis ſolùm agemus. Sic S. Ludouicus anno 1265. tuendo Regularium priuilegia, regno Guillemus à ſancto Amore, exulauit quoniam libellum ediderat aduerſus iura, & priuilegia Regularium, & ſeuerè caſtigauit quemdam nomine *Iuliot*, qui D. Thomam actu prædicantem, ſcandaloſè interruperat, aſſerendo, quòd ipſe priuilegio prædicandi careret. Similem caſtigationem, eiuſdem criminis occaſione, paſſus eſt Ioan. de Poliaco. Sic etiam ſupremi Conſilij Regis, & Senatuum decreta, & Sententiæ diuerſis temporibus latæ, quæ partim à Chopino libro 2. de Sacra Polit. tit. 8. n. 8. partim ab aliis referuntur, quarum quaſdam in hoc opere adducemus, quæ obligationis, & poteſtatis in Regibus & Senatibus, Regulares in poſſeſſione ſuorum priuilegiorum conſeruandi, ſunt teſtes omni exceptione maiores; ac ſic in genere de omnibus rebus tenent Salgado, de Regia protectione vi oppreſſorum, parte 1. cap. 1. n. 95. cum iis quos citat Emanuel Rodericus tom. 2. quæſt. 63. art. 19. Aufrerius de Poteſt. ſæculari ſuper Eccleſiaſt. perſonas, reg. 2. n. 10. & Portel. in dub. Regular. cum ijs, quos citat in addit. verb. ap-

pellare, qui hanc ſententiam ad perſonas Regulares, aduerſus Prælatos eiuſdem inſtituti extendit, ſoluitque argumenta deducta de bullis Pontificum, quæ huiuſmodi recurſum ſub pœna excommunicationis prohibere videntur. Vide etiam Doctores, quos citat Diana prima parte tract. 2. reſolut. 14. & in 5. parte tract. 1. reſolut. 13. hanc ſententiam ſuſtinentes.

Notabis hîc Franciſcum primum Galliarum Regem, vt ſe ab onere expediendarum litium eximeret, curam cuſtodiendorum Concordatorum in ſupremos Senatus refudiſſe, literis hac de re datis 1517. ac modum præſcripſiſſe huiuſmodi appellationi in conſtitutione edita 1539. art. 5. ab appellantibus, & iudicibus ſequendum, à Regibus Carolo IX. Henricis III. & IV. ac demum Ludouico XIII. confirmatam videlicet, Iudices poſſe recipere apellationes de abuſu, cùm iuriſdictio Eccleſiaſtica abutitur poteſtate ſibi conceſſa erga Clericos, tum in morum cenſura, tum in actionibus merè perſonalibus, vel etiam cùm realium actionum cognitionem ſuſcipit.

PROPOSITIO X.

POſſunt Reges, & ſupremi Senatus licitè retinere Bullas Apoſtolicas, in caſu videlicet magni ſcandali, aut perturbationis, aut præiudicij tertij, aut aliorum ſimilium.

Delicata eſt hæc veritas, & ideò accuratè tractanda, ne ſcrupuloſorum, & timoratorum aures offendat. Ac primò probanda auctoritate Doctorum eam ſuſtinentium, interquos ſunt Ioannes Diedorus in lib. 2. de Libertate Chriſtiana pag. 183. Simancas in tract. de Catholic. inſtit. tit. 45. de Pœnis, à n 34. Caietanus 1. Tom. tractat Sancti Thom. tit. de Auctoritate Papæ, & Concil. in 21. propoſit. cum ſequentib. Palatius Rubeus in tractatu ſeu Libello de beneficijs vacantibus in curia, §. 4. 5. 7. & 8. Couarruuias in Pract quæſt. 36. nu. 4. verſic. *ſic etiam*, & ipſemet in eiſdem cap. 36 n. 3. 11. & 12. Nauar. cap. 17. n. 70. verſ. 2. Bannes 2. 2. q. 67. art. 1. Vega in Summa, 1. parte, verb. *Excomm.* ca. 85. caſu 18. & 19. Villalobos in Summa, tractat 17. diffic. 21. à num. 22. Bonacina in Morali Theolog. tom. 3. tract. de Cenſuris in Bulla Cœnæ, diſput. 1. q. 15 punct. 4. §. 2. Filiucius tractatu 16. cap. 10. q. 4. n. 158. Rodericus, quæſt. Reg. tom. 1. q. 6 art. 7. Ioannes de la Cruz de Statu Relig. lib. 1. cap 6. art. 2 dub. 5. conclu 1. Henriques lib. 4. cap. 12. in Gloſſ. Gerſon in tractatu circa materiam excommunic. & irregul. vbi ſic ſcribit, *Contemptus Clauium non ſemper apud illos inuenitur, qui ne dum non obediunt ſententiis excommunicationum promulgatis per Pontificem, vel ſuos: ſed etiam non eſt iudicandus apud illos, qui per poteſtatem ſæcularem aduerſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant. Lex enim naturalis dictat, vt poſsit vis vi repelli. Conſtat quòd tales excomm. non debent dici ius, ſed ius & violentia; contra quam fas habet liber homo, vel animus ſe tueri.* Sic Gerſon & alij quampluriimi, quos refert Franciſcus Salgado in tract. de retentione Bullarum in Senatu. 1. p. cap. 2. & Diana 1. part. tract. 2. reſolut 13.

Probatur 2. quia ex iure naturali, Gentium, diuino, & poſitiuo, prouenit Principem poſſe obuiare violentis executionibus; atqui executiones literarum Apoſtolicarum aliquando ſunt huiuſmodi, vt in caſibus in propoſitione contentis: ergo poteſt Princeps dictas literas retinere, ne executioni mandentur.

3. Quia Princeps, aut Rex, eſt protector ſui regni, vel principatus; ad protectorem autem regni vel principatus ſpectat pro officio ex iure naturæ ſedare tumultum, aut periculum ſeditionis, & ſchiſmatis, ac tollere violentias, imò. & ad id tenetur: quam rationem affert Henriques cum multis alijs Doctoribus in 3. tom. Summæ de Pontificis claue, lib. 2. cap. 11. §. 3.

4. Probatur ex conſuetudine omnium ferè regnorum. De Galliæ, & Hiſpaniæ regnis dubitandum non eſt, cùm ſit frequens vſus retentionis in illis: & vt à multis aſſeritur illa duo regna habent ad hoc priuilegium. ita vt Reges exerceant illam retentionem quaſi à Papa legati, ex Alexandro VI. Vrbano II. De regnis autem Siciliæ, & Neapolis teſtatur Anthonius de Amato, allegans plurimos tom. 2. Variar. reſolut. 82. ann. 26. vſque ad 28.

5. Probatur à fimilibus. Nam fi ex Innocentio in cap. *Nifi cùm pridem*, De renunc. certum eft, quòd propter fcandalum imminens, non folùm gratia non eft exequenda, verùm etiam poteft quis compelli cedere beneficio fuo iam obtento, in quoius. habet radicatum: pro quo facit cap. *Cùm decorem*, De Cleric. coniug. in finem, & poft Abbatem Felinum & Decium probat Couarruuias in Regula. *Peccatum*. 1. parte n. 7. ad medium. Imo propter fcandalum poteft quis compelli ad dimittendum, & renunciandum Epifcopatum, vt tenent Federicus de Senis in tractatu de Permut. Benefic. num. 4. Hoftienfis in cap. *Nifi cùm pridem*. nu. 63. de Renun. Cardin. Iacob de Concil. lib. 9. art. 3. nu. 34. & nu. 27. Mart. in dialog. n. 55. & eft communis opinio, in praxi quoque recepta, vt affirmat Flaminius Parifius de Refign. benefic. lib. 3. q. 18. n. 22. Nec dumtaxat poteft quis compelli ad dimittendum Epifcopatum propter fcandalum, verùm etiam poteft illo priuari: vt tenent Gambat. in extrauag. Iulij II. de Simoniaca Papæ electione, n. 15. & Steph. Aufrerius in Clement. *Vt Clericorum*. n. 12. de officio Ordin. Si, inquam, hæc omnia certa funt, quis dubitauerit, quòd ratione fcandali licitum etiam fit retinere literas Apoftolicas, ne executioni mandetur; quod probat Henriquez citatus lib. 2. de Pontificis claue, cap. 24. §. 3. cùm illarum executio fit in detrimentum, & præiudicium boni communis & publicæ vtilitatis, vt ibi videre licet.

Confirmatur 1. hæc ratio adhuc à fimili. Nam ad euitandum fcandala quæ futura effe timentur, ex quibus damnum publicum oritur, licita eft lex regni, vel ftatutum difponens, ne alienigenæ obtineant beneficia Ecclefiaftica in Regno, vel Prouincia, vt exiftimant Angelus Confil. 23. Capitius decif. 132. num. 6. & 7. Azeuedus in lib. 14. tit. 25. & titul. 3. lib. r. Recompilation. fub num. 46. Anton. Thefaur. decif. 131. num. 3. & 7. Petrus Anton. Petra in tract. de poteftate Princip. cap. 6. num. 9. Codex Fabian. lib. 3. tit. 1. de Iudicijs, diffinit. 39. Quintilian. Mandof. in tractatu de Monitor. quæft. 13. num. 3. Hieronym. Portoles, & ab eo citati, additis, ad Molin. §. Alienigeno, num. 1. cum fequent. Iacob. Cancer. Variarum Refolut. lib. 3. cap. 14. de Manutent. à nu. 67. cum fequentibus, vbi mirabiliter agit de hac ratione fcandali, & alij quibus adde Flaminium Parifium de Refignat. lib. 4. q. 7. n. 3. Oiedam de Beneficio incompatib. 1. parte cap. fin. n. 116. Azorium in Inftit. Moral. part 2. lib. 6. cap. 4. q 25. verficul. *Deinde cùm alienigena*: ex quo ita infert ibi. *Hinc eft quòd ftatutis, & legibus Principum, & Regum, exteri, & alienigenæ penitùs excludantur à beneficiis in regno, Prouincia, vel vrbe inftitutis, quæ leges Iure canonico permittuntur, nec improbantur, &c.*

Confirmatur 2. Quoniam propter fcandalum vitandum, & quietem Reipub. poteft etiam Clericus expelli à Regno, aut ciuitate per Regem œconomica poteftate, vt ex adductis Doctoribus per Iacobum de Graffis in tract. de effectibus cleric. Effectu 1. n. 10. & 11. conftat; ea propter cùm publicaretur Pij V. Breue, quo concedebatur, *Vt Epifcopus fucceffor in dignitate poffet ad fuæ confcientiæ fecuritatem iterum examinare Religiofos ex licentia prædecefforis fui adminiftrantes Pœnitentiæ facramentum*, orta eft maxima diffenfio inter omnes: quare ob bonum publicum, & euitanda fcandala in damnum Reipublicæ Ecclefiafticæ, & temporalis, quæ antea inter Clerum & Regulares exorta fuerant, vt conftat ex Clement. *Dudum*. & precipuè verfu, *Olim*. Philipus II. Hifpaniarum Rex fupplicauit ab eodem Breui, & inftanter petiit à Sede Apoftolica eius reuocationem, ob hoc fcandalum futurum; quod quidem propterea reformauit Gregorius XIII. anno 1572. quæ reformatio reperitur in Bullario tom. 1. pag. 1208. & fequentibus. A c illas Bullas fcilicet Pij V. & Gregorij XIII. referendo latè & optimè hanc propofitionem, examinat nouiffimè Ioannes Maria Nouarius in pract. conclus. noui Iuris Pontif. tit. de Confeffione facrament. abfque loci Ordin. approbatione non audiend. confeffionibus, conclus. 2. aliàs refpectu illius operis conclus. 69. per totam.

Obijcies, hanc retentionem literarum effe contra bullam Cœnæ, ac proinde excommunicari retinentes. Refpondetur, tantùm abeffe quòd ifta detentio fit contra dictam Bullam, quinimò in cafu 14. illius in quo habetur prohibitio detentionis literarum huiufmodi, fic in quibufdam exemplaribus legitur, *Nifi fupplicationes huiufmodi coram nobis, & Sede Apoftolica legitimè profequantur*: quibus oftenditur,

prædictam detentionem ad faciendam & prosequendam supplicationem coram Papa, & Sede Apostolica esse licitam, & in dicta Bulla permissam. Et ita tenent Roder. in summa, 1. part. cap. 156. num. 8. & in addit. ad §. 9. n. 87. Cenedus in quæst. canonic. q. 45. n. 11. allegans Viualdum in explicat. bullæ Cœnæ n. 109. Villab. in Summa, tract. 17. diffic 21. a. 2. Nauarr. in Man. cap. 27. nu. 69. & 70. Corduba in Summa, q. 35. Legatur etiam super hoc Suares de Censuris to. 5. disput. 21. nu. 76. & Simanchas de Catholic. Institut. tit. 45. de Pœnis num. 54.

PROPOSITIO XI.

Concilium Tridentium non est in Gallia receptum, nec etiam Bulla Cœnæ.

Huius primæ veritatis probatio necessaria est ad plurimorum priuilegiorum veritatem indagandam: quæ antequam probetur, notandum est 1. Constitutiones dicti Concilij esse in multiplici differentia: quædam enim ad ius naturæ pertinent, vt prohibitio duelli: aliæ ad ius diuinum in vetere & nouo Testamento exaratum, vt quæ ad fidem, & Sacramenta spectant; aliæ quæ declarant aliqua de iure diuino, de quibus antea, an essent iuris diuini dubitabatur, quales sunt quæ contra Lutheranos, & Caluinistas, cæterosque hæreticos sancitæ sunt. Nec dubium, quin quoad istas constitutiones Concilium Trident. receptum sit, & obliget Gallos, cùm certum sit, illas non esse noui iuris introductiones; sed antiquas, vel antiqui iuris declaratorias. Aliæ autem sunt quæ ad ius antiquum positiuum, seu Ecclesiasticum, olim à Pontificibus, vel Concilijs præscriptum, spectant: vt clausura Sanctimonialium, Clericorum immunitates, & reliqua id genus, & de iis etiam non fertur propositio, quoniam illæ obligant, vel non obligant Gallos, si vsu receptæ sunt, vel non. Alię denique sunt quibus ius humanum & positiuum inducitur; & quoad istas constitutiones enunciatur, quòd Concilium Tridentinum non sit receptum.

2. Notandum est, in duplici genere Pontificem, & Ecclesiam leges condere; aliæ enim sunt quę bonum particulare alicuius in dicto regno respiciunt, aut si ad vniuersum regnum spectent, minimi sunt momenti; aliæ autem quæ maximi sunt ponderis, pertinent vel ad vniuersale bonum, vel regno aut priuilegijs eius damnum non leue inferunt. Quoad primum genus legum, certum est, quòd sigillo Pontificis munitæ habent, & sortiuntur suum effectum, absque eo quòd regi præsententur, vt declarauit Senatus supremus Parisiensis in suo placito de die 15. Maij 1647. emanato, occasione cuiusdam decreti congr. s. officij. Alię verò secundi generis necesse habent, vt regi præsentatæ ab eodem testimonio authentico approbentur, vt vsus vniuersalis regni demonstrat, & illum probant Literæ patentes plurimorum Regum Galliæ; & præcipuè Literæ Francisci primi sub data Blesi 29. Maij 1523. & alię eiusdem Francisci de eodem mense, anno & loco sub data diei 30. quæ in Archiuis Recollectorum Burdigalæ seruantur, in quibus adducitur in primum fundamentum illius iuris cap. *Inunctæ*. Ac præterea hęc constitutio postulat, vt sigillo Pontificis munitę literę exhibeantur sub pœna nullitatis. In secundum autem adducitur præscriptio, ab immemoriabili tempore ducta quoad præsentationem dictarum legum Regi, & ipsius approbationem. Et denique tertium, quòd contrarium facientes per Regis consilium, & suos Iudices, fuerunt correcti, & emendati: ipseque Franciscus dicto iuri inhærendo, Archiepiscopum Burdigalensem prędicto iuri non parentem, quamuis consanguineum, correxit & emendauit: vt ex dictis Patentibus manifestum est. 2. Probatur ex Placitis supremi Regis consilij primò sub data diei 14. *anni 1636.* his verbis, *Rex in suo Consilio annullauit, & cassauit, annullat & cassat arrestum seu decretum Senatus Burdigalensis, quo quadam Breuia Apostolica registrabantur, vt emanatum in legis Regni præiudicium: & expresse eidem Senatui, & cæteris aliis prohibetur in posterum, Breuia Apostolica registrare absque Patentibus, & authenticis literis maiori Regni sigillo munitis.* Sic Rex 2. placito alibi re-

ferendo emanato etiam occasione cuiusdam decreti congregationis S. Officij occasione alibi referendi. Et hæc fuit semper consuetudo in Regno à Carolo Magno, & Sancto Ludouico, alijsque Regibus in praxi posita, vt leges Ecclesiasticæ, seu Breuia Apostolica Regum Patentibus Literis munita promulgarentur; vt in præcitato libro probat de Marca Petr. Ac sic responsum fuit à doctoribus Sorbonensibus super hoc consulti, qui addiderunt publicationem Bullarum aliter factam non valere. Nec hoc priuilegium Regni, sicut nec alia damnanda veniunt, cùm Franciscus Suarez alioquin sedis Apostolicæ iurium ardentissimus propugnator, lib. 4. Defensionis fidei, cap. 34. n. 29. de priuilegijs illius Regni sic loquatur, *Non audeo damnare vsum talium priuilegiorum, sed hoc Apostolicæ sedi remitto; nam etiam Cardinalis Bellarminus cap. 25. contra Barclaium, cùm esse diceret in Gallia grauia quædam delicta, quæ priuilegiata dicuntur, ipse respondet, ideò dici priuilegiata, quia priuilegio sedis Apostolicæ indultum est Regibus Francorum, vt ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut eam non improbant IuliusClarus, & Aufrerius quos allegat.* Hæc Suarez. Et certè si vsus est immemorabilis in regno, ac ideò vetustissimus, pro lege à Pontifice sciente, & non contradicente, habendus erit: vetustas enim pro lege habetur. leg. 1. de aqu. pluu. arc.

Notandum 3. Quòd definitiones fidei in Concilio Trident. factæ, in Gallia per edictum an. 1570. admissæ sunt; præcipua verò capita quę Gallicanæ Ecclesiæ mores receptos, & iura antiqua non infringunt, comprehensa sunt varijs constitutionibus regiis, quæ hac de re diuersis temporibus editæ sunt: quod gratum, & acceptum fuisse summo Pontifici Clementi VIII. testatur Henricus IV. in quodam rescripto de anno 1606.

His positis probatur propositio. 1. Quia cùm Concilium Trident. sit lex respiciens vniuersalem regni statum, authenticè Regi præsentari debuit, & ab illo approbari, & publicari; sed hoc nondum factum est in regno, ergo receptum esse non potest. Probatur 2. Regula Iuris est, vt quod ad omnes spectat, ab omnibus approbari necesse sit: constat autem legenti Concilium, quòd illud ordines regni omnes, Ecclesiasticorum Nobilium, & tertij status tangat, quibus omnibus in comitiis generalibus anno 1614. congregatis: post multas hinc inde disceptationes; & propositiones quoad promulgationem, & receptionem dicti Concilij, res infecta cum plurimorum iusto dolore remansit. Ergo cùm illud ab iis ad quos spectat non fuerit receptum, nec in aliqua prouincia receptum esse potest; cùm ad prouincias peculiares illud recipere contra ius regni minimè spectet, nisi speciali, expresso & irreuocabili summi Pontificis mandato; quod cùm nec pro vniuerso regno, nec pro aliqua prouincia exierit, censendum est, dictum Concilium, etiam auctoritate sedis Apostolicæ, & illius assensu non esse receptum.

3. Quis melius scire potest prædicti Concilij receptionem, quàm proceres singulorum Ordinum in dictis comitijs congregati; sed dicti proceres ordinis Ecclesiastici, & Nobilium illud publicandum in Regno, & recipiendum præsentarunt: Ergo nec est promulgatum, nec receptum: alioquin non præsentassent publicandum & recipiendum.

4. Vsus, cùm sit optimus legum interpres, hoc satis demonstrat. Quia videre est 1. in Regis supremo Consilio singulis diebus contra Concilij decreta sententias pronunciari. 2. In supremis eiusdem regni Senatibus placita etiam passim contra eiusdem Concilij constitutiones enunciari; & oratores, seu causarum patronos argui, si Concilij decreta vt leges sequendas proferant: quæ omnia fiunt Episcopis vsu huiusmodi minimè contradicentibus. 3. In ordine Ecclesiastico vsus Concilio contrarius demonstrat, illud non esse receptum: nam Ecclesiastici Beneficiorum, pluralitate gaudent; nec ad beneficia Curata per concursum ad disputationem Ecclesiastici assumuntur, nec promoti professionem fidei emittunt, nec pacificè possidentes resident: ac insuper exemptionis priuilegijs antiqua cathedralia Capitula potiuntur. Demum Episcopi è sua Diœcesi egredientes, Archiepiscopum de egressu minimè monent, nec Archiepiscopi antiquiorem Episcopum suffraganeum: quæ omnia & plura alia quæ recensere longum esset, receptioni Concilij Tridentini repugnant, cùm sint illi aduersa atque contraria: maximè cùm de contra-

contradictione & non receptione eiusdem manifestè constet, ex narratis in dicto Mercurio, & præcipuè ex artic. 2. secretorum articulorum approbato, & concesso per Ludouicum XIII. Regem in suo Consilio, rege ipso, & matre Regina præsentibus, die 6. Maij 1616. & ex Edicto publico eodem mense, & anno emanato, vt habetur in Codice eiusdem Ludouici lib. 9. tit. 38. his verbis, *Quod gestum fuit à Clero super promulgatione Concilij Tridentini, non fuit à Rege approbatum, nec ex eo quidquam sequutum est, nec ipse Rex quidquam imposterum circa illud fieri sinet, aut contra authoritatem suam.* Sic Rex.

Obijcies 1. Concilium Tridentinum receptum fuisse anno 1615. die verò I ulij 6. à Clero congregato, procurante eminentissimo Domino Cardinali Rupifocaldo. Respondetur, Hanc receptionem fuisse factam à dicto clero, vt decretis illius in suis administrationibus vterentur, & cum illa conditione expressa, vel saltem tacita; videlicet si Regis, & populi consensus accederet; qui cùm non accesserit, vt ex prædicto edicto illo receptionis decreto posteriore constat, manifestum existit nõn esse receptum; cùm receptio eorum omnium ad quos spectat, necessariò requiratur.

Dices, Concilium Trident. receptum esse quoad præcipua capita, vt in principio huius propositionis suppositum est; ergo cùm non maior sit ratio cur receptum sit in illis, quàm in alijs decretis eiusdem concilij, concludendum est in Vniuersum esse receptum. Respondetur, illam consequentiam non valere, sicut nec illa valet; videlicet, Concilium Trident. non esse receptum Romæ quoad nomina prophanorum hominum baptizandis non imponenda: ergo nec alia decreta concilij: nam quędam decreta alicuius concilij recipi possunt, non receptis alijs, vt de Concilio generali Lateranensi tenet cum alijs Doctoribus Caietanus, cui interfuerat, expressè asserens, excommunicationes per illud in prędicantes falsa miracula, & interpretantes Scripturas Sanctas aliter quàm Patres interpretati fuerint, non esse receptas. Sic in præsenti casu dicimus, quoad illa capita (quæ videnda sunt in constitutionibus Regijs) receptum esse: ex quibus omnibus manifestè constat, dictum concilium non fuisse in Gallia receptum, nec etiam promulgatum, ac proinde non obligare Gallos: vt etiam tenet Duuallius in 2. 2. D. Thomæ, part. 2. in tract. *de Disciplina Ecclesiastica*, qui scripsit anno 1636. & Petrus de Marca in sua Concordia, Tamburin. de iure Abbat. disput. 2. q. 5. & alij.

Hic obiter notabis, multos esse eius sententiæ, vt existiment, quòd licet regiæ ordinationes illud idem, quod multa Tridentini decreta, contineant; non tamen propterea vllum Tridentini decretum quoad mores, vt Tridentini præcisè decretum existit, esse receptum; sed illud in regno seruari, quatenus dumtaxat in ordinationibus regijs continetur.

Secunda veritas nempe quod Bulla Cœnæ non sit recepta in Gallia probatur 1. ex communi omnium sententia; 2. ex non eiusdem publicatione & receptione impedita à Statibus & principibus Gallicis: & ita acriter vt Apostolici legati ad eam promulgandam missi admodùm laborarint vt propriæ vitæ saluti consulerent, non potuerunt tamen honoris iacturam effugere, vt refert Bocchelius in decretis Eccles. Gallic. libro 2. tit. 16. capite 2. in fine, in quo refertur placitum, quo eius publicatio prohibetur de anno 1580 Qui auctor fusè ostendit prædictam Bullam esse contrariam & destructiuam priuilegiorum Eccl. Gallic. probatur 3. quia Pontifex sciens prædictam Bullam non fuisse receptam & publicatam, propter bonum pacis, non curat vt publicetur.

Ex veritatibus in decursu huius capitis probatis, satis quis colligere poterit, primò. Omnem spiritualem potestatem Ecclesiæ à summo illius capite Papa pendere; nec Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos cæterosque Prælatos; imò nec Concilia generalia, quidquam iuris spiritualis possidere, nisi dependenter ab illo, à quo omnes leges spirituales, tanquam à primario fonte emanant: quas sicut potest per se, aut in concilijs condere, sic & mitigare, aut in illis priuilegiando dispensare: aut denique cùm opus est, illas penitùs abolere.

2. Supremas in orbe Ecclesiastico potestates sic inter se esse connexas, vt temporalis subiaceat spirituali, sicut corpus animæ, cui in omnibus quæ ad hominem spi-

ritualem ſpectant, parere cogitur. Spiritualem verò, ad ſuas ordinationes, & præcepta executioni mandanda, ope temporalis indigere, velut anima corpore, ſine quo nec ſentire, nec intelligere, nec velle, imo nec etiam moueri poteſt: ac vtramque legi naturali obedientiam præſtare debere: cùm ipſa non ſolùm legem ſæcularem, & Eccleſiaſticam; verum etiam Diuinam, ancillas habeat. Et ſileant, dum de ſuo iure agitur, ad quod tuendum & conſeruandum, iure proprio poſtpoſito, vtraque ordinatur.

3. Omnes leges à Concilijs, aut à Pontifice editas promulgatione, & inſuper receptione indigere, ſine quibus, Chriſtianis nullam obligationem inducunt, qui ob iuſtam cauſam poſſunt receptioni earumdem obicem ponere: ſicut etiam eaſdem conſuetudine contraria abrogare.





CAPVT II.

DE CONCESSIONE, CONFIRMATIONE, ET VALIDITATE PRIVILEGIORVM REGVLARIVM.

PROPOSITIO I.

A PRISCIS sæculis vsque ad nostra Pontifices Romani priuilegia Regularibus concesserunt.

Archiuia Vaticana priuilegiorum Regularibus concessorum voluminibus, quasi tabulis authenticis referta, necnon Bullaria & compendia eorumdem diuersis Ordinibus concessorum, hanc veritatem plenissimè probant Hieronymus, Gregorius, & alij Doctores Ecclesiæ, cum plurimis vtriusque Iuris Doctoribus, & Theologis eidem veritati subscribunt: decreta Sacrorum & sæcularium tribunalium, necnon vniuersus orbis, eamdem veritatem fatentur: vsusque illorum priuilegiorum in Clero, Nobilibus, & tertio Ordine regnorum, antiquitatem & veritatem concessionis eorumdem confirmat. Nec vllus est, si sanæ mentis sit compos, qui audeat negare, quin diuersis temporibus Regularibus concessa fuerint priuilegia à Romanis Pontificibus.

Nec obiiciendum, sine causa fuisse concessa, ac proinde esse vana. Nam hoc posito, licet falsò, priuilegia non essent vana, aut nulla, cum à sola potestate dantis pendeant, ac proinde possint concedi cuilibet etiam sine causa sicut videmus persæpe à quibusdam Principibus sæcularibus fieri, qui ex leui amicitia, aut potiùs ex leuitate animi, priuilegia temporalia concedunt, de quorum concessione, ac etiam validitate nemo dubitat: poteftque similiter à Pontificibus Romanis factitatum fuisse; nec propterea vana, & nulla priuilegia existere censendum est, nec Pontificibus improperandum, quod iniustè concesserint. *Cum in omnibus gratiosis, aut à iure positiuo procedentibus, sola voluntas principis pro iusta causa habeatur.* vt Bartol. in l. Regular. ff. de pœnis cap. cum à nobis in fine de testibus: Abbas in caput *nisi specialı* de offic. delig. Baldus & alij allegati à Barbosa in praxi quæst. 4. n. 16. eruditè docent. vnde optimè Cornel. Tacitus licet Ethnicus lib. 6. Annal. pronunciat. *Non est nostrum æstimare, Cæsar, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas: tibi summum rerum iudicium dy dedere, nobis obsequij gloria relicta est.* Apposite etiam in simili, Virgilius lib. 2. Æneid. *Tuum ô Regina quid optes explorare labor, mihi iussa capessere fas est:* quocirca prudentissime Baldus in prælud. feudor. *nulli enim licet dicere principi superiorem non recognoscenti, cur ita facis?*

Verùm hanc iniuriam videlicet quod iniustè & sine causa priuilegia huiusmodi concesserint, Pontificum dignitati, longè, imò infinitè, Principum sæcularium superiori, inurere esset nimis iniustum; cùm naturâ duce, prudentia illorum senectam comitetur, quæ ratione, pro præuia luce, omnia fieri dictitat, & radius Spiritus sancti quo inseparabiliter regitur, qui Ecclesiam, omnesque illius status non nisi rationabiliter regendos, incessanter inspirat, & imperat.

Quòd autem rationabilibus ducti causis huiusmodi priuilegia concesserint, facilè agnoscet, qui potiora motiua ad illa impartienda attentè meditatus fuerit: Inter quæ elucet primò status professionis Regularium indissolubili vinculo Deo, & Sanctæ sedi Apostolicæ consecratus, illorum virtutes, capacitas, & indefessus labor in peccatoribus, hæreticis, & infidelibus è faucibus tartari eruendis, & ad misericordiam Dei conuertendis; ac etiam Christi fidelibus probatæ & innocentis vitæ in gratia & bonis operibus confirmandis. 2. Prompta, & expedita eorumdem obedientia in exequendis summorum Pontificum mandatis, tum in partibus catholicorum, ac etiam hæreticorum, tum in profectione ad orbis partes longinquiores, pro procuranda animarum salute, vniuersæ Ecclesiæ manifesta. 3. Eximia illorum sanctitas, & scientia, quæ tot Sanctos, totque Concionatores, Doctores, Episcopos, Patriarchas, Cardinales, & Pontifices Ecclesiæ Dei parturiuit, de quibus ipsa quotidie gloriatur. Quartò, difficultas maxima quam in pluribus Catholicæ Religionis exercitijs sæculares, præcipuè circa confessiones suorum peccatorum emittendas, patiuntur. Et denique vt cętera taceam, vnio perfectissima quæ inter membra Ecclesiæ vniuersalis, & illius caput, necessaria est; quæque huiusmodi priuilegijs conseruatur, ac etiam augetur. Hæc sunt potiora motiua propter quæ Concilia, & Pontifices Regularibus priuilegia concesserunt, confirmarunt, protexerunt, & vsque impræsentiarum concedunt, confirmant, & protegunt. Plures alias causas hic omittimus, quas ad tractatum de Exemptionis priuilegio referre iudicauimus.

Obijcies: Conceditur, quòd priuilegia à Regularibus fuerint impetrata, attamen subreptitiè, & absque causæ cognitione; Regula autem datariæ habet, *Quòd qui malè narrat, malè impetrat*. Vnde in Bullis additur, *Si preces veritate nitantur*. Respondetur 1. Plurima Regularium priuilegia, imò omnia, esse simpliciter concessa proprio Pontificis motu, ac proindè non esse subreptitiè impetrata: & sic cadere vim obiectionis, & regulæ datariæ, quæ de solis impetratis loquitur.

Respondetur 2. Quòd aliæ sunt Bullæ in forma dignum, videlicet cùm diriguntur ad Ecclesiasticum iudicem, vt authoritate Apostolica illas exequatur; & hæ subreptitiæ sunt, si preces veritate non nitantur: aliæ autem sunt quæ in forma gratiosa expediuntur, quas Papa motu proprio, & ex certa scientia concedit: & huiusmodi sunt Bullæ, in quibus Regularium priuilegia continentur, quas Pontifex largitur ob multa beneficia, & obsequia Ecclesiæ Dei à Regularibus collata, vt Leo X. loquitur in Bulla quæ incipit, *Dum intra mentis arcana* & huius generis Bullę subreptitiæ nequaquam dici possunt, vt omnes Canonistæ tenent.

PROPOSITIO II.

Priuilegia Regularium per ius commune, Concilia, Bullas, & Breuia concessa, in suo firmo robore existunt.

Haud dubium est, quin quædam Regularium priuilegia fuerint à Pontificibus Romanis reuocata, sed eorumdem benignitate postea reualidata, & in pristinum statum restituta, & illa, cum alijs confirmata fuerunt: vt tenet Baptista Confectius Protonotarius Apostolicus, qui tempore Clementis VIII. scripsit in Summario priuileg. Maris magni, tom. 1. cap. 4. citatque ad hanc veritatem probandam constitutionem primam Pauli III. constit. 1. Pauli IV. constit. 8. 9. & 10. Greg. XIII. constit. 6. Sixti V. & constit. 8. Clement. VIII. Miranda in Manuali, tom. 2. q. 42. qui scripsit anno 1610. & prælo dedit sub Paulo V. qui eodem loco plurimas Pontificum confirmationes refert, quibus reualidata, & confirmata fuerunt eorumdem priuilegia: affero vnam, quam ipse omisit inchoatam: *Et si ad bene merendum*, expeditam à Iulio II. 1508. in qua mendicantium priuilegia confirmat. Sic etiam tenet Cellotius qui scripsit sub finem Pontificatus Vrbani VIII. lib. 5. de Regul. in Hierarchia Iurisdictionis, cap. 22. qui etiam arbitratur tunc temporis dicta priuilegia neutiquam fuisse reuocata: ignoratur autem, quòd ab eo tempore illa reuocauerit Pontifex, sic denique sustinent omnes illi qui arbitrantur Bullam

Pij V. quæ inchoat *& si mendicantium* subsistere in suo vigore citandi inferius in ca. 5. proposit. 6.

Probatur 1. propositio ex Concilio Trident. de Regular. sess. 25. cap. 20. in quo expresse dicta priuilegia confirmantur, his verbis, *In cæteris omnibus prælatorum Ordinum priuilegia & facultates, quæ ipsorum*, videlicet Regularium *personas, loca, & iura concernunt, firma sit, & illæsa.* Quibus verbis manifestè omnia illorum priuilegia, exceptis paucis quibusdam de quibus infra in tract. de Exemptionis priuilegio agetur, à Concilio Trident. confirmata esse constat.

Probatur 2. ex Bulla Pij V. quam valere inferius ostendemus, Decreta quædam Conciliij Trident. ad Regulares spectantia interpretantis, quæ incipit, *Et si Mendicantium*, in qua hæc verba sæpè repetita inferiùs, habentur, *ac insuper vt faciliùs præmissa omnia illibata persistant, omnia & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, fauores, facultates, libertates, indulta, dispensationes, & gratias quæ decretis Concilij Trident. aliàs, quàm vt superiùs est dictum, concessum, & declaratum non contrariantur, expresse eisdem Fratribus* & cætera quæ inibi videre non pigeat, *auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, &c.* Quæ verba cùm ex certa scientia Pontificis pronunciata sint, habent non solùm vim confirmationis, sed etiam reualidationis priuilegiorum, licet reuocata fuissent.

Probatur 3. ex specialibus priuilegiorum eorumdem confirmationibus cuilibet Ordini concessis, ac vt cæteras taceam, priuilegia Minorum ex certa scientia confirmata fuerunt à multis Pontificibus, ac ex consequenti, vt dicetur in cap. de Priuilegiorum communicatione, omnia aliorum Regularium priuilegia, qui gratiâ communicationis cum illis potiuntur. Sic illa confirmarunt, præter Paulum II. Clement. VII. Paulum IV. Pius V. Bulla quæ incipit *ex Clementi* & Greg. XIII. B. *ex Benigna* & successiue Sixtus V. B. *Et si Mendicatium, Clemens. VIII. B. Ratio Pastoralis officij* & Paulus V. B. *inuncti nobis* cum exquisitissimis clausulis derogatorijs maximè conciliorum generalium, & multarum iuris communis constitutionum qui vltimus licet illa ex certa scientia non confirmarit, eius tamen confirmatio, confirmationi ex certa scientia æquiualet, cum confirmet Bullam confirmationis eorumdem sub data 20. Decembris 1597. à dicto Clemente VIII. ex certa scientia emanatam, vt tenet Portel. verb. *Priuileg. confirmatio.* n. 36. & in additione ad idem verbum, quarum Bullarum partim originalia, & partim authentica extant Burdigalæ in varijs Conuentibus.

Obijcies 1. Gregorium XV. priuilegia illa reuocasse per Bullam quæ de Exemptorum priuilegijs nuncupatur, sub data nonis Februarij 1622. emanatam, nec ab Vrbano VIII. eius successore fuisse de nouo concessa. Quòd si priuilegia Dominicanorum, & consequenter aliorum Regularium qui cum ipsis in priuilegijs communicant, per Bullam quæ incipit, *In pleniudinem potestatis*, sub data 3. idus Maij. 1625. confirmauit, illud fuit cum hac clausula, *Dummodo non fuerint hactenus reuocata.* Verùm hæc obiectio nullius est momenti: nam 1. hæc Bulla Gregorij XV. in Hispania nequaquam recepta fuit, vt contendit August. de Belis. in quodam libello, cui titulus, *Alegaciones en derecho en la causa de excommunion qucha fulminado el Senor Vicario General, &c.*

Nec etiam in Gallia, vt à deputatis per Clerum in Concilio Prouinciali Burdigalensi celebrato anno 1624. affirmatum fuit, & probatum, teste Mercur. Gallico in 1. tomo, & specialiter à Iacobo Desaigues Decano Ecclesiæ Metropolitanæ Burdigalensis, Petro Peyrissas Archidiacono Blauiæ, & Gilberto Grimaud eiusdem Ecclesię Canonicis deputatis à Capitulo ad assistendum prouinciali Concilio per Petrum Moysset eiusdem Ecclesię etiam Canonicum & pronotarium Apostolicum, & notarium à Dominis illustrissimis in Concilio congregatis specialiter designatum, qui nomine totius capituli antedicti aduersus præfatam Bullam & alia suis exemptionibus & priuilegijs aduersantia quæ in dicto Concilio antea lecta fuerant & in posterum legenda, & publicanda in congregatione publica sess. 2. Octob. 1624. opposuit, &c. Quam integram oppositionem videre poteris in actis dicti concil. post finem dictæ congregationis, quæ est 15. eiusdem sess. pag. 68 ex quibus patet non fuisse in dicto Concil. receptam, nec constat in aliqua Galliæ Diœcesi receptam fuisse.

Quod vsus contrarius decretis in eadem insertis euidenter ostendit: nam Episcopi Abbatissarum electioni in monasteriis exemptis minimè præsunt: nec illis omnes Ecclesiæ Cathedrales & Collegiales sæculares subiiciuntur, in iis quę ad Sacramentorum administrationem spectant: nec de Monialium confessarijs cognoscunt: nec (vt cætera capita in dicta Bulla contenta taceam) in administratione bonorum temporalium earumdem Monialium se ingerunt. Quòd si id tantare præsumant, à Regis Consilio & Parlamentis emendantur, vt Archiepiscopus Burdigalensis in facto particulari Monialium Sancti Benedicti eiusdem vrbis anno 1643. expertus est 2. priùs acceptanda erat à rege prædicta Bulla, iuxta legem Regni, quàm publicanda, quod minimè factum est; cum Status Ecclesiasticos & regulares vniuersaliter tangat & maximè lædat.

Adiunge, quòd etiam si prædicta Bulla recepta foret, Regulariū priuilegia minimè reuocata essent, quoniam illa circa administrationem Sacramentorum, & prædicationem verbi Dei à Regularibus faciendam, ac regimen Monialium, ijs quæ à sacro Concilio Trident. constituta sunt, quasdam ordinationes dumtaxat adiunxit vt legenti principium eiusdem Bullæ, & dispositionem illius notum est. In reliquis autem nihil penitùs derogauit, vt Concregatio Card. expositioni Concil. Trident. & mentis Pontificiæ præposita, mentem Gregorij in præmemorata Bulla contentam, pluribus responsionibus ab eodem approbatis aperuit; quarum secunda verbis seqq. enunciatur, *Respondit hac in parte, constitutionem Sanctissimi Domini nostri nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse, ideoque in vi ipsius constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, aut temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant; vel alia illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari.* Et hanc responsionem potiùs retuli quàm alias, quia quoad hanc partem magis contendunt aduersarij, Zelotypya potiùs, quàm salutis animarum zelo perciti.

Nec obest obiicere, quòd hæc declaratio est priuilegium, seu priuilegij confirmatio, quæ non valet, cùm sit viuæ vocis oraculum. Nam respondetur.

Declarationem non esse priuilegij concessionem, aut confirmationem; cùm declaratio, iuxta canonistas, nihil noui faciat, sed ius explicet, nec quidquam concedat, nisi conscientiæ quietem; vt præter alios tenent Suares de Leg. lib. 8. cap. 1. n. 7. & Portel verbo *Priuilegium*, n. 2.

Verùm, supponamus has declarationes Bullæ Greg. XV. non existere, non propterea priuilegia Regularium, manebunt reuocata. Quoniam Bulla Vrbani VII. præcitata illa confirmat. Quod vt pleniùs intelligatur, notandum est 1. Pontificem quoad aliqua priuilegia sic pronunciare, *Omnia & singula, priuilegia, exemptiones, libertates, confirmationes, facultates, indulgentias, gratias, & indulta quæcumque tam spiritualia quàm temporalia; tam per Romanos Pontifices, quàm etiam per nos, & sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis & expressionibus, ac cum quibusuis clausulis & decretis, quomodolibet concessa: necnon ipsorum priuilegiorum & indultorum declarationes, & decreta à congregationibus venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium desuper legitimè emanata, dummodo tamen priuilegia huiusmodi sint in vsu, nec hactenus reuocata, approbamus, confirmamus, ac denuò concedimus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur addicimus.*

Deinde ad alia confirmanda progrediendo sic loquitur, *Necnon etiam priuilegia, gratias, indulta, & immunitates in literis Apostolicis quæ appellantur Mare magnum, denuò concedimus, seu innouamus: decernentes priuilegia, exemptiones, & indulta huiusmodi semper, & perpetuò valida, efficacia esse, & fore, ac à locorum Ordinarijs; ac quibuscumque alijs quauis auctoritate fungentibus, inuiolabiliter, ac inconcussè obseruari.* Quibus verbis manifestè ostendit Pontifex, se duo genera priuilegiorum confirmare, quorum aliqua comprehenduntur his verbis, *Omnia & singula, &c. Dummodò tamen priuilegia huiusmodi sint in vsu, nec hactenùs reuocata.* Posteriora verò absolutè, & sine vlla restrictione confirmare, velleque illa ab Ordinariis, & aliis quibuscumque inuiolabiliter obseruari; ac denique approbare ipsorum priuilegiorum declarationes, & decreta à sacræ congregationis Cardinalibus pronunciata. Quis autem non videat restrictiones priuilegiorum per Bullam Gregorij XV. positas per priuilegia quæ in Mari magno, in dictis declarationibus; & decretis continentur, aboleri? Scio

obijci posse clausulam restrictiuam in principio Rescripti appositam omnes sequentes dispositiones afficere; ac proinde cum Pontifex confirmarit in principio huius rescripti quędam priuilegia cum prędicta clausula restrictiua; videtur quod ad sequentia etiam confirmata extendatur. Verum quidquid sit de illo Canonistarum axiomate, mihi vix persuadere possum Pontificem voluisse hanc clausulam ad posteriorem priuilegiorum in mari magno contentorumne confirmationem extendere cum diuersimodè in hac loquatur, & expressè exprimat velle ab Ordinarijs inuiolabiliter ea obseruari, si enim nil noui concedere voluisset satis fuisset confirmasse priuilegia sub terminis generalibus cum illa clausula, vt fecerat, cum itaque addiderit nouam specificam confirmationem signum est eum, non cum ea clausula sed voluisse absolutè ea priuilegia confirmare cum iuris regulam, *exceptio firmat regulam in contrarium.* Meum tamen iudicium doctioribus omninò submitto.

Accedit concessio priuilegiorum Benedictinorum congregationis sancti Mauri (cum quibus Regulares Mendicantes participant) facta per Bullam inchoatam *in supereminente* ab eodem Vrbano emanatam 12. calend. Februarij 1627. publicatam die 16. Maij 1629 per Vicar. generalem Archiepiscopi Parisiensis his verbis pronunciata, *Eidem verò Congregationi Sancti Mauri, ac illius Monachis professis commissis, famulis, officialibus, domesticis, & aliis quibuscumque personis ab illa dependentibus, ac ei & illius monasteriis inseruientibus, vt non solùm omnibus & singulis tam dictæ Casinen. seu, Sanctæ Iustinæ de Padua, quàm SS. Victorij, & Hydulphi congregationum, sed etiam aliarum omnium: & quorumcumque non Mendicantium siue Mendicantium ordinem, siue militarium & hospitalium, ac aliorum piorum locorum, priuilegiis, gratiis, & prærogatiuis eisdem congregationibus, ordinibus, etiam militiis, per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros concessis, seu deinceps à sede præfata concedendis, non solùm per participationem, communicationem, seu illorum extensionem; sed perinde ac si illa omnia in specie eidem congregationi S. Mauri per nos concessa fuissent, vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant perpetuò Apostolica auctoritate præfata, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.* Ex quibus videre est, priuilegia quocumque tempore concessa, & concedenda, alijs Regularibus impertita esse dictis Monachis, & consequenter alijs Regul. qui cum ipsis in priuilegijs communicant, confirmata. Verum esto, quòd priuilegia Regularium reuocata à Gregorio XV. non confirmentur per dictas Bullas Vrbani VIII. attamen non erunt reuocata, quoad prædicationes faciendas, & confessiones audiendas, vt videbitur inferiùs in cap. 6. de Reuocatione priuilegiorum, in quo probabitur, quod dicta Bulla Pij V. inchoata, *Etsi Mendicantium*, in fauorem Mendicantium edita, non fuit reuocata, quia est quoad illa duo explicatio, seu declaratio sacrorum canonum, & sess. 23. cap. 15. sess. 24. cap. 4. Declaratio autem non est priuilegium, sed facit legem, vt tenent Suares de Leg. lib. 6. cap. 1. num. 6. & sequentibus, & Portel. p. 2. cap. 16. n. 4. & alij. Gregorius autem XV. non reuocat in dicta sua Bulla Concilium Trident. vt legenti illam videre est: & constabit inferiùs ex declarationibus super ea editis, & ex alijs decretis.

Denique supponatur quòd præmemorata Bulla Greg. XV. recepta fuerit, ac priuilegia reuocet; non propterea Regulares vsu suorum priuilegiorum priuabuntur; quin imò asserendum est, illis Regulares posse frui, sicut ante illius Bullæ emanationem; quoniam Vrbanus VIII. per Bullam quæ incipit, *Alias fœlicis recordationis Greg. XV.* &c. sub data die 7. Februarij 1625. suspendit omnes, & singulos prædictæ Bullæ Greg. XV. articulos, aliqua priuilegia Exemptorum reuocantes.

Obijcies 2. Plurima priuilegia Regularibus fuisse concessa, sed non esse in Ecclesia Dei recepta, ac proinde non valere. Respondetur, valere priuilegia spiritualia, etiamsi non recipiantur à Regibus, Episcopis, & populo: quoniam sunt priuatæ leges, quæ valent à scientia priuilegiati, vt inferiùs probabitur; dummodo tamen vsus illorum non fiat in publici, & in tertij præiudicium, quia tunc temporis debent publicari, & recipi. Receptionem autem huiusmodi necessariam in Gallia conatur probare Petrus de Marcha, in Concord. Sacerd. & Imper. lib. 3. cap. 17. qui eodem loco sustinet multis exemplis & testimonijs, illa priuilegia esse à Regibus & Episcopis recepta; quod etiam tenet Ioannes Lomede de Exempt. cap. 8. & 9. vt fusiùs ostendetur in tractatu de Exempt.

Quod probatur 1. ex decreto habito in Comitiis generalibus regni, die 7. Nouembris anni 1614. relato in tom. 3. Mercurij Gallici, in quibus cùm in Ecclesiastici ordinis consessu vnanimi voce fuisset conclusum, articulo peculiari supplicandum esse Regi, *vt Concilium Trident. admitteretur, & publico edicto in vniuerso regno promulgaretur, eiusque statuta & canones obseruarentur (saluo Regis ipsius iure, Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus, priuilegiis, & exemptionibus Capitulorum, Monasteriorum, & Sodalitatum) pro quibus priuilegiis sanctissimo Papæ Domino nostro supplicaretur, vt reseruari possent, & in integro permanere, vtique illa ea supplicatio nullo modo præiudicaret*; cui etiam decreto nobilitas subscripserat. Cùm res in deliberatione in 3. Ordine versaretur, ecce Libellus prodit, in quo excerpta plurima Concil. Trident. statuta Regum Galliæ iuribus, immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ, priuilegijs, & exemptionibus capitulorum, monasteriorum, & sodalitatum repugnantia legebantur, quæ res meliorum conatus disturbauit, & negotium indecisum reliquit: qua narratione, ex sensu illorum trium Ord. Regni priuilegia Regularium in Gallia recepta esse euidentissimè patet, ac ex consequenti de Regis, ac etiam Episcoporum consensu.

Et constat specialiter de eorumdem receptione in Diœcesi Burdigalensi ex sententia officialis, seu Vicarij generalis eiusdem ciuitatis, in auditorio causarum Curiæ suæ, coram quinque Notariis publicis ad hunc effectum testibus vocatis lata die 26. Aprilis 1550. qua priuilegia Carmelitarum, & consequenter aliorum, qui cum ipsis communicant, recepit & recepta & authenticata per alium notarium: etiam tunc præsentem promulgari mandauit, mandatumque ipse Notarius executioni dedit. Accipe tenorem illius sententiæ, ne te lateat illius cognitio: *Nos igitur Officialis prædictus visis per nos, & diligenter inspectis litteris præinsertis, & contentis in eisdem, supplicationibus huiusmodi fauorabiliter annuentes literas supra-scriptas de verbo ad verbum transcribi, exemplari, & collationari: ac in publicam formam redigi per infra scriptum, Notarium publicum mandaumus: indeque transcripto, seu transsumpto huiusmodi nostram auctoritatem interponimus, pariter & decretum volentes de cætero huic transcripto, seu trassumpto per omnia tantam fidem adhiberi debere & fore adhibendam in iudicio & extra, sicut eisdem originalibus litteris supra-scriptis: ipsaque eamdem vim, & eamdem vigorem habere, vti ipsis originalibus literis si in iudicio, vel extra forent exhibitæ vel ostensæ, in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium, præmissorum literas seu præsens publicum transcriptum seu transumptum exinde fieri & per Notarium publicum infra-scriptum, vt præmittitur, publicari mandaumus, sigillique nostræ Curiæ iussimus & fecimus appensione muniri*: quibus manifestum est prædicta priuilegia in dicta Diœcesi Burdigalensi publicata fuisse & recepta Episcopali auctoritate imperante. Verum quia aliquantulum à generali probatione promissa quod in omnibus Diœcesibus Galliæ recepta sint, paululum digressi sumus ad eam faciendam progrediendum est.

2. Probatur ex Doctorum sensu, & praxi vniuersi Regni Episcoporum, Regum supremi Consilij, & Augustissimorum Senatuum, qui Regulares cum suis priuilegijs in vrbibus regni susceperunt, & conseruarunt, eisdemque concesserunt, vt illis liberè vterentur, aususque temerarios dicta priuilegia impugnantium, quoties opus fuit, represserunt, vt manifestum est: primò ex solemnibus sententijs supremi Senatus Parisiensis, quæ referuntur à Chopino lib. 2. Monast. tit. 2. vbi multa refert priuilegia Regularium vniuersaliter recepta, & in praxim redacta, ac etiam vsu vniuersali, & generali possessione 500. annorum præscripta, quarum vna est in Fratrum Prædicatorum fauorem, anno 1505. alia in vtilitatem Fratrum Minorum, opponente & contradicente quodam, qui tunc temporis Parochus, & Archipresbyter, ac etiam Archidiaconus Parisiensis, & Consiliarius in dicto Senatu existebat, sub data 14. Augusti. 1531. 2. Ex arrestis supremi Secretioris Consilij: quorum vnum est in fauorem Regularium ciuitatis Rotomagensis aduersus illius ciuitatis Archiepiscopum, sub data 7. Nouembris 1634. in quo sic pronunciatur, *Rex in suo Consilio partibus auditis decernit, quòd regulares gaudeant suis priuilegiis, sicut hactenus gauisi sunt, donec lis inter partes Romam delata terminata fuerit*. Aliud in fauorem Regularium Societatis IESV contra Episcopum Petrocorensem emanatum sub die 4. Ianuarij 1639. quo, *Rex prohibet dicto Episcopo, ne imposterum dictos Regulares turbaret in possessione & vsu suorum priuilegiorum, quæ integra, & salua vult permanere, vt futuris temporibus*,

Digitized by Google

temporibus, ficut antè hac potiti fuerant, absque obligatione ea dicto Episcopo exhibendi, possent gaudere. Plura alia afferre arresta dictorum Concilij & Senatuum, quæ antiquis temporibus, & his annis proximè elapsis in fauorem Regularium ciuitatis Burdigalensis aduersus Archiepiscopum Burdig. pronunciata sunt, mihi foret facillimum; vt recepta esse in Gallia probarem, sed ob breuitatis studium illa omitto.

3. Posset hæc receptio in specie probari in fauorem singulorum Ord. Regularium si illorum archiuia voluerentur, in quibus procul dubio reperiretur, nullum esse Ordinem regularem, quin Patentibus regiis sua priuilegia muniri non meruerit. Et vt antiquiores prætercam, inter quos Ordo S. Antonij cuius Priuilegia regio Ludouici XIII. diplomate de anno 1618 recepta & in Senatu Parisiensi eodem anno, nec non in magno consilio 1620. registrata fuerunt. & Ordo Minimorum cuius multa Priuilegia à pluribus Regibus recepta & Parisiis publicata extiterunt, vltimus quem Gallia suscepit, priuilegia quæ eadem sunt cum priuilegijs cæterorum Mendicantium à Rege Ludouico XIII. Literis patentibus approbata, & recepta accipere meruit, & hic est ordo Fratrum Carmelitarum Discalceatorum; cuius priuilegia authentica sic regio diplomate munita in Conuentu Burdig. illius ordinis reperiuntur: quarum Patentium tenorem, hîc referre iudicaui, vt ostendatur, quanti fecerint Regularem statum reges Christianissimi.

LVdouicus Dei gratia Galliæ, & Nauarra Rex omnibus præsentibus, & futuris salutem. Cùm summa benedictiones quibus dignatus est Deus hanc Monarchiam prosequi, manifestum faciant, quòd sicut sola Dei manus potest regna stabilire, ita etiam securior via qua conseruantur, & augentur est pietatis, atque deuotionis tuitio. Quod Reges prædecessores nostros mouit, vt tot Ordines vtriusque sexus in hoc regno susciperent, atque fundarent, qui vita puritate, assiduis orationibus, continuas omnis generis gratias huic statui promererentur. Nosque eorum imitantes exempla, & ad petitionem Papæ Pauli V. fœlicis memoriæ, per Literas nostras patentes in forma de Chartre *datas mense Maio 1611. Carmelitas secundum Reformationem Sancta Teresia, Excalceatos vulgò nuncupatos, antea suscepimus, sub ea conditione, quòd sub obseruantia primitiuæ Regulæ, antiquarumque Constitutionum eiusdem ordinis viuerent, & fruerentur omnibus similibus, ac ijsdem priuilegiis, quibus reliqua monasteria à nobis, aut prædecess. nostris Regibus fundata potiuntur. Notum fecimus, quòd liberaliter inclinati humilibus precibus Prouincialis prædictorum Carmelitarum Excalceatorum huius regni, quatenus dignaremur eosdem in possessione suorum priuilegiorum, prærogatiuarum, & concessionum sigillatim relatarum, & expressarum in Bullis Summorum Pontificum conseruare, quarum exemplaria hîc affixa sunt, sigillo nostra Cancellaria munita: quarum prima est Sixti V. sub data 22. Iunij anni 1581. secunda, tertia & quarta Clementis VIII sub datis 20. Decembris anni 1593. 23. martis anni 1594. & 20. Augusti anni 1603. quinta & sexta Pauli V. sub data 24. Septembris, & 12. Decemb. anni 1605. & Decretum sacra Congregationis Cardinalium præposita negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium decidendis, sub data 9. Ianuarij anni 1608. ex speciali gratia, plena potestate, & authoritate Regia indulsimus, & confirmauimus; indulgemus, concedimus, & confirmamus his præsentibus nostra manu subscriptis, prædictis Religiosis Carmelitis Excalceatis prædicta, priuilegia, prærogatiuas, & concessiones contentas & expressis in supranominatis Summorum Pontificum Rescriptis, perinde atque si hîc nominatim & sigillatim exprimerentur, Volumus placetque nobis, vt ijs plenè & quietè fruantur in omnibus vrbibus, locis, & ciuitatibus huius regni, in quibus tam nunc monasteria possident, aut in futurum possidebunt: dummodo tamen in prædictis Rescriptis nihil reperiatur contrarium Concordatis inter nos, & Sanctam sedem transactis, iuri & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ; Expresse omnibus personis cuiuscumque dignitatis aut conditionis sint, prohibentes ne vllam molestiam, aut impedimentum super possessione eorum ob quamcumque causam aut occasionem præbeant, aut afferant, &c. Datum Parisiis mense Aprili anno 1635. & regni nostri 25. fueruntque hæ litteræ registratæ in supremo Senatu Parisiensi die 7. Febr. 1636. & in Burdigalensi eadem die & anno.*

Taceo, quòd priuilegia præcipua & in quę Antiregulares magis insurgunt à Concilio generali Viennæ in Gallia celebrato, præsentibus Clem. V. approbantibus

& recipientibus Rege Philippo Lebel, & Episcopis eiusdem Regni, promulgata fuerunt, & recepta.

4. Vbi Concilium Trident. receptum est, haud dubium quin illa priuilegia sint recepta, cùm ea paucis exceptis confirmet, vt superiùs dictum est per hæc verba, *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia & facultates quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt, firma sint, & illæsa.* sess. 25. cap. 20. de Regul. Quod similiter asserendum est de priuilegijs illis quæ iuri communi sunt inserta. Plura circa hanc materiam in tractatibus de Exemptione, de Confessariis, Prædicatoribus & alijs.

Obiicies 3. Esto, quòd vera, valida, & recepta sint priuilegia Regularium, tamen absurdissimum est, quòd homunciones (sic enim appellantur Regulares à quodam Antiregulari Ecclesiaste neoterico) maioribus fruantur priuilegiis, præcipuè in Hierarchia Iurisdictionis, quàm Episcopi, & Archiepiscopi, cæterique Prælati: Ergo rescindenda sunt huiusmodi priuilegia. Respondeo, quòd si hæc obiectio valeret, valuisset hæc in veteri Testamento: absurdissimum est quòd homunciones Tribus Iuda, & Tribus Leui priuilegijs ad Regiam & Sacerdotij dignitatem fruerentur, & nobiliores & ditiores aliarum Tribuum illis priuilegiis non gauderent; Ergo abscindenda erant illa priuilegia. Item hæc obiectio: absurdissimum est, quòd serui à pedibus Regis, & coquinæ regiæ seruientes, qui verè sunt homunciones, maioribus priuilegijs potiantur, quàm Comites, & Marquisii: Ergo rescindenda sunt eorum priuilegia. Verùm has obiectiones nullus admittet; Ergo nec obiectionem factam contra propositionem nostram. Sicut enim non absurdum est, quòd in domo Regis minimi hominum seruientes, maioribus gaudeant priuilegijs, quàm maiores regni, cùm hoc maiestatem Regiam deceat; sic etiam nullatenus absurdum est, quòd Regulares, ac minimi Regularium, qui sunt de familia Pontificis Romani, maioribus fruantur priuilegijs, quàm maiores Ecclesiæ Prælati, cùm hoc deceat illius Pontificis dignitatem, & maiestatem.

Quod in Ecclesia non est nouum: videmus enim non solum in nouo iure, sed etiam in antiquo, vt pote cap. *quod nonnullis* de priuileg. priuilegium anteà Regularibus quibusdam concessum, ad Episcopos per Gregorium IX. extendi, & insuper Cardinales charectere Episcopali non insignitos ob illam specialem rationem quòd Papæ sint proximiores ministri in Ecclesiæ regimine, præcedere Episcopos, licet hi eisdem sint suapte natura superiores, quod optimè notat Baron. in suis annal. ad ann. Christi 431. vbi reddens rationem cur Philippus Cardinalis Legatus in Concilio Ephes. cum esset dumtaxat presbyter, & non Episcopus, ante duos alios Cardinales Episcopos etiam legatos, Primus sententiam damnationis Nestorij subscripserit, sic fatur: *Quibus intelligas, quòd & si præstare dignitate certum sit Episcopos Presbyteris, eos tamen, qui proxima connexione capitis Cardinales Presbyteri nominantur, aliquid habuisse, quo interdum præferrentur Episcopis.*

Obiicies iterum duobus priuilegiatis concurrentibus præferendus habens potentius priuilegium; attendenda est enim qualitas potentior L. cum quæritur. Vbi DD. ff. de statu hom. sed priuilegia Cleri sunt potentiora priuilegijs regularium quorumcumque, cum habeant clausulas derogatorias, quæ destruunt quidquid reperiunt sibi obstare, quas non habent priuilegia regularium; ergo clerus quando habet priuilegia contraria priuilegijs regularium, vt habet in plurimis in hoc opere contentis, præferendus est. Respondetur priuilegia Cleri non habere clausulam derogatoriam Priuilegiorum regularium, at vero priuilegia regularium illam possidere, vt legenti vtraque constabit. Deinde priuilegia horum posteriora esse illorum priuilegijs, eisque derogare. Vltimò priuilegia cleri habent tantum clausulas generales, nec per illas derogatur priuilegijs in posterum concedendis, at verò Regularium priuilegia habent clausulas specificas, & efficacissimas, & ideò hæc sunt potentiora, & præferenda priuilegijs Cleri.

Obiicies 5. quod priuilegio ad instantiam Regis vel Reginæ concesso Papa non solet derogare, ita statuente Alexand. VI. in huius reg. tit. De cession. nec illi per clausulas generales censetur derogatum, vt consuluit Romanas consil. 393. vt refert Paris. cons. 14. volum 4. & alij post ipsum tenent. Sed multa priuilegia Cleri sunt ad instantiam regum concessa, contrariaque aliquibus priuilegijs Regularium,

nec à priuilegiorum regularium concessionibus per debitas clausulas reuocata; ergo illa priuilegia tenent, & regularium his contraria non valent. Respondetur negandum quod priuilegia cleri sint ad instantiam regalis potentiæ concessa, & dato & non concesso quod ita esset (quod prius probari debere) (vt docet Barbosa clauf. 73. 7. Gregor. xvi.) multa priuilegia regularium ad instantiam illius potentiæ fuerant concessa, Greg. xvi. In bulla confirmationis priuilegiorum Cisterciensium [quibus omnes regulares communicant] reuocat, omnia priuilegia contraria ad illam instantiam concessa: vltimò priuilegia sic data duobus modis considerantur 1. vt data in fauorem Regum &c. 2. vt data ad eorum instantiam; priuilegia autem 2. modo considerata reuocantur eo modo quo alia, non autem 1. modo considerata, & de his priuilegijs, non de alijs est intelligenda regula Alexand.

PROPOSITIO III.

PRomulgatio publica Bullarum, quibus priuilegium aliquod conceditur, non est necessaria ad priuilegij in eisdem contenti valorem; sed vt obligent Episcopos, aut alios quorum interest, ad summum requiritur, vt eisdem authenticè ordine Iuridico exhibeantur.

Satis probata videtur prima pars huius propositionis ex superioribus; si enim Bullæ, breuia, decreta, viuæ vocis oracula scripta, & non scripta, & alia huiusmodi à Pontifice Romano emanata, eamdem vim habent ac canones; Ergo & bullas quibus aliquod priuilegium continetur, eamdem vim ex se habere necesse est. Verùm vt omnis difficultas tollatur, vlteriùs probanda est propositio, ac 1. Quoniam Bullæ quæ aliquod priuilegium concedunt, naturam priuilegij sortiuntur: sed probatum fuit in superioribus, naturam priuilegij exposcere, vt sit priuatum, & non publicum: Ergo cùm promulgatio sit quid publicum, non est necessaria ad illius valorem, & efficaciam: quod confirmatur: nam Bullatio, aut scriptura, non est de natura, aut essentia priuilegij, ac propterea potest stare priuilegium sine Bullatione, aut scriptura: Ergo nec etiam publicatio, seu promulgatio eiusdem priuilegij. Quòd autem dicta bullatio, vel scriptura non sit de essentia priuilegij, docet manifestè Clemens V. Clementina *Dudum*, de Sepulturis; in qua ostendit, priuilegia aliqua Regularium non esse scripta. Ecce verba illius, *Nos etiam vniuersa priuilegia, gratias, indulgentias, verbo, seu scripto, sub quacumque forma, vel expressione, seu conceptione verborum, à nobis, vel prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, cuicumque Ordinum prædictorum concessa*. Sic Pontifex. Cuius etiam sententiæ est Glossa ibi, & Innocentius in cap. *Constitutis*. Archidiaconus, & Ioannes Andræas in prooemium Sexti, Siluius, Siluester, & Armilla verbo *Gratia*. Panormitanus in cap. *Nostra*, de Rescriptis. Nauarrus Concil. 1. de Priuilegijs. Felinus in Rub. de constit. n. 5. Decius n. 26. Extrau. *Etsi Dominici*, vltimò de Pœnitent. & Remiss. Suares lib. 8. de Leg. Miranda tom. 2. q. 42. art. 6.

Quod iterum confirmatur: nam consuetudo, seu possessio immemorialis est priuilegium, iuxta cap. *Super quibusdam*, de verbor. signif. & cap. *Nouit*, iuxta Glossam, verb. *Consuetudo*. de Iudic. & iuxta communem Doctorum resolutionem; & maximè Nauarri lib. 3. Consil. de Reg. consil. 15. n. 4. vbi dicit, quòd, *Possessio & consuetudo immemorialis vim habet priuilegij, ita quod si ipsis allegaret sibi aliquid competere ex priuilegio Papæ, ad quod probandum literas Apostolicas non haberet, probando consuetudinem immemorialem, probaret priuilegium à se allegatum secundum omnes*: Sed possessio, & consuetudo non est bullatio, aut scriptura: ergo bullatio, vel scriptura non est necessaria, vt valorem habeat priuilegium. Quod verbis expressis de bullatione non necessaria determinauit Iulius II. in fauorem Augustiniensium Bulla inchoata *nihil est quod sæpiùs* his verbis: *Præterea vt omnia quàm firmissima sint, quæ vobis Apostolica sedes elargita est, proprio motu & scientia, atque de plenitudine potestatis volumus, statuimus, decernimus, vt hæc nostra concessio, & quæcumque alia, vel tibi, vel tuo ordini facta, siue per se, siue per communicationem, quam fecimus cum alijs ordinibus, & congregationibus, eamdem*

omnino vim, atque efficaciam perpetuò habeant tam in iudicio, quàm extra iudicium, ac si plumbeo sigillo obsignatæ essent, quod intelligi volumus tam de his, quæ in forma Breuis, quàm de his, quæ per supplicationem expeditæ sunt, in quibus placuit vt sola signatura sufficeret. Refertur hæc concessio in compend. Priuileg. Mendic. verb. priuileg. §. 18.

Quoad verò secundam partem, videlicet quòd sufficiat easdem Bullas authenticas Ordinarijs suo tempore exhibere: probatur primo, ex praxi fundata in natura priuilegij, quæ obtinuit, vt dictæ bullæ non publicentur solemniter, sed simpliciter iuridicè exhibeantur, & sic exhibitæ, si contineant excommunicationem, aut præceptum, statim ligant illum cui exhibentur: vt tenent Suares lib. 8. de Leg. cap. 24. n. 8. cum aliis quos refert. Sic etiam Augustinus de Ancona, de Ecclesiast. potestate, q. 66. & Portel. in dub. Reg. *Priuilegia.* n. 9.

2. Quoniam licet censura excommunicationis sit lex, ac proinde requirat promulgationem, quæ quid publicum est, tamen in certis casibus non promulgatur, & tamen obligat, nempè cum priuatis personis priuatim exhibetur, quæ excommunicatio ad aures nuncupatur: ergo similiter, & à maiori, priuilegium, cùm non sit propriè lex, sed priuata lex; Quocirca Pontifices Romani non obligant ad exhibitionem bullarum in originali aliquod priuilegium continentium, sed ad exhibitionem tantùm transsumpti. Sic Leo V. vt habetur in Compil. priuil. Mendic. verbo *Priuilegia. §. 31. Statuit, quòd transsumptis quarumlibet literarum Apostolicarum Fratribus Minoribus Obseruantiæ concessarum, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Apostolica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in iudicio, vel extrà, adhibeatur, quæ ipsis literis originalibus adhiberetur, si originaliter exhibitæ, vel ostensæ forent: non obstantibus quibuscumque, &c.* Expressiùs hanc veritatem explicuit Iulius II. in fauorem eorumdem Augustiniensium, vt citatis Bulla, & compend. refertur, §. 19. cùm, *Motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine suæ potestatis, decreuit, & mandauit, vt quæcumque priuilegia dicto Ordini Augustiniensium, vel eiusdem ordinis Generali, vtcumque concessa, siue ipsa exemplaria, siue ipsa transsumpta, ostendantur, Prælati cuiusuis aut publici Notarij manu signata, aut etiam Generalis dicti ordinis sigillo firmata, eamdem omnino vim habeant, & illis fides adhibeatur, ac si plumbi signum haberent, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sibi reseruatæ.*

Dixi in propositione, ad summum requiri exhibitionem bullarum, aut aliarum scripturarum, continentium aliquod priuilegium, vt obligent illos quorum interest vt ab hac regula merum priuilegium excludatur, qui omnes suos effectus operatur à scientia priuilegiati, dummodò non sit in præiudicium tertij: vt tenet Syluester verb. *Priuileg.* qu. 16. & ponit exemplum de priuilegio Apostolico alicui concesso, vt non excommunicetur; & dicit esse sententiam Geminiani, & aliorum quos ipse refert in cap. 1. de Concession. Præben. lib. 6. Ac etiam sic docet Barth. in l. Omnes populi. ff. de Instit. & Iure, cùm dicit, quòd statutum priuilegiatiuum ligat etiam ignorantes, & quòd statim ac conceditur, omnes suos operatur effectus. Quod debet intelligi quantum ad ius quæsitum, quod ex tunc priuilegiatus habet: & potest poni exemplum tum in legatario, cui absenti statim est ius quæsitum ad ea quę continentur legato, tum in impetrantibus Indulgentias, qui statim atque impetratæ sunt Romæ, lucrantur ab impetrantibus, licet absentibus. Sic etiam Miranda tom. 2. in Manual. quæst. 42. artic. qui post Siluestrum distinguit inter priuilegium per se, vel per nuncium impetratum: & priuilegium per tertium impetratum, vel motu proprio à Pontifice concessum: & tenet, prædicta debere intelligi de priuilegio primo modo sumpto, non autem de secundo modo accepto, quod existimat non operari suos effectus, nisi à scientia priuilegiati, vel nisi Pontifex in suis literis aliud significet. Sed quidquid sit de hac distinct. quæ mihi videtur satis infirma, & falsa in priuilegio remuneratorio (vt sunt omnia Regularium priuilegia) de quo, vt valeat non requiritur scientia, nec acceptatio in priuilegiato, vt docet Scobar, cum plurimis Doctoribus in examine 15. suæ Theologiæ Moral. tract. 1. tit. *Leges.* cap. 2. de Priuilegijs in communi, constantissimum est apud illos Doctores, nullam exhibitionem literarum priuilegium continentium necessariam, nisi sit in præiudicium tertij; probabimus autem inferiùs spiritualia priuilegia regularia, non esse in præiudicium Ordinariorum, & aliorum, nec in alicuius tertij: ergo non sunt illis literæ exhibendæ.

Denique præmissis superaddo, quòd ad potestatis Ecclesiasticæ functionem, & vsum saltem in remissione peccatorum, nulla est necessaria priuilegij publicatio, vt patet in Vicarijs & substitutis per Parochos, qui nusquam sunt visi, nec auditi publicè, multò minùs de loco superiore fideles de facultate sua certiores facere. Accedit, quod Pontifex cùm in hac materia potestatis Ecclesiasticæ in remissione peccatorum delegat, non concedit priuilegium, sed sibi substituit Sæculares & Regulares quos vult, ad huiusmodi potestatem exercendam, ac sic facit actionem Iuris communis, non secùs ac Episcopus aut Parochus, cùm similiter substituunt. ac propterea cùm non sit priuilegium, non est ad valorem necessariò publicanda, licet priuilegium esset publicandum.

Ex quibus, ac ex superioribus propositionibus in 1. cap. positis, satis etiam videtur concludi 1. Quòd priuilegium suos sortitur effectus, licet ignoret illud is, contra quem priuilegium obtinetur: vt tenent Barth. in leg. cit. *Omnes populi*. q. 105. part. princip. nu. 37. ff. de Iust. & Iure, & Ioan. de la Cruz de Statu Relig. lib. 2. cap. 1. dub. 3. concl. 3. Ratio est, quia si priuilegium est gratia Principis independens à subditis, quibus scientibus & contradicentibus potest illam cui voluerit concedere, quomodo potest obesse huiusmodi gratiæ, ignorantia illius contra quem obtinetur. Ergo cùm non suppetat aliqua ratio quæ obsit, concludendum est, quod illo ignorante, priuilegium concessum valeat.

2. Colligitur, illos admodum falli, qui dictas Bullas priuilegiorum debere esse intimatas existimant, & alioquin non valere; valent enim, vt probatum est ante dictam intimationem: quod autem etiam intimatæ fuerint Ordinarijs satis constat, ex eo quod priuilegia susceperunt, vt superiùs probatum est.

PROPOSITIO IV.

Quoties ex certa scientia priuilegia antea per specialem Rescripti, aut Bullæ clausulam reuocatoriam abrogata, confirmantur, valida est confirmatio eorumdem, licèt non fiat mentio huiusmodi clausulæ reuocatoriæ.

Ratio est, quia hæc clausula, *Ex certa scientia*, habet vim nouæ concessionis, & inualidatorum reualidationis: ergo si ex sua natura reualidat inualidata, seu reuocata, frustrà fieret clausulæ reuocatoriæ mentio. Sic tenent Glossa in cap. *Sicut graue*. de Transact. in cap. *Veniens*. eod. tit. & in cap. *Quia diuersitas*. de Concess. Præbendæ, Sigismondus à Bononia tract. de Elect. part. 2. cap. 4. dub. 76. n. 6. Rosella verb. *Absolutio*. n. 4 Portel. verb. *Priuilegij confirmatio*, & Marcellinus à Sancto Benedicto in Compend. priuileg Fuliensium, verb. *Priuileg*. in *Notabilibus*, vbi docet, ex Eman. Roder. qui est huius sententiæ, quòd tria operatur prædicta confirmatio ex certa scientia. Primum, quòd priuilegia sic confirmata sint firmioris auctoritatis. 2. Quòd si minùs sunt valida, fiunt valida, & sic validat nulla & inualida, dando nouam vim. 3. Quia propter auctoritatem confirmantis nullus superior, seu Prælatus, potest de illis cognoscere, sed solus Papa. Eumdem etiam effectum operatur clausula, *De plenitudine potestatis*: vt citati Roder. & Marcell. cum alijs afferunt: clausula verò, *De nouo concedimus*, non operatur eosdem effectus, sed tantùm facit illa reuiuiscere, si in vsu essent, & impedit præscriptionem per non vsum. At verò clausula simplex *Confirmamus*, nihil ferè operatur, vt in tract. de Exempt. latiùs ex Doctoribus & Canonibus ostendemus: Sic etiam Miranda in Manuali tom. 2. qu. 45. art. 1. vbi egregiè hanc clausulam, eiusque effectus, cum alijs clausulis explicat. Hæc autem doctrina, quoad clausulam *Ex certa scientia*, moderatione indiget: nam si priuilegia sunt per ius commune, aut per Concilium generale reuocata, illorum confirmatio non valeret, nisi vel de dictis Iure communi, & Concilio mentionem faceret, vel verbis ita contrarijs concepta esset, vt cum dictis iure & concilio non posset vllo modo conciliari: Quod vltimum cum multis grauibus doctoribus, &

declarationibus Cardinalium super hoc factis non facile admiserim, vt inferiùs in quibusdam propositionibus ostendetur.

PROPOSITIO V.

PRiuilegia à Pontificibus confirmata cum clausula, *Dummodò non sint contra Concilium*, &c. Sunt verè confirmata, licet sint contraria eorumdem Decretis, si hæc non habeant debitam clausulam eorumdem reuocatoriam: nec quidquam operatur Concilium Trident. vbi non est receptum.

Pro intelligentia huius propositionis notandum est 1. aliqua Concilia generalia quædam priuilegia Regularium reuocasse, maximè Lateran, & Trident. verùm eadem confirmata sunt: etiam in foro exteriori cum Clausula reuocatoria Concil. Lateran. vt patet ex Bulla Pauli IV. & ex Bullis confirmatiuis eorumdem à Sixto V. & Greg. XIII. emanatis, quas refert Eman. Roder. in Quæst. Reg. tom. 1. quæst. 8. art. 10. At vero ferè omnes aliæ confirmationes quæ ab emanato Trident. exeunt, habent illam clausulam, *Dummodò non sint contra Canones & Decreta Concil. Trident.* Propositio ergo est, quod illa clausula non impedit, quin priuilegia prædicta sint verè confirmata, quamuis sint contraria Decretis & Canonibus eiusdem Trident. si non habeant clausulam reuocatoriam eorumdem priuilegiorum.

Notandum 2. Non quamlibet clausulam appositam dictis Decretis, & Canonibus, reuocare priuilegia; sed illam, de qua agemus inferiùs, cùm de Reuocatione priuilegiorũ sermo habebitur. Sola ergo difficultas est in præsenti de Concilij Trident. Decretis, & Canonibus; quoniam alia aliorum Conciliorum reuocata sunt, sicut dictum est de Decretis, & Canonibus Lateranensis Concilij. His obseruatis.

Probatur propositio quoad primam partem, Primo, quoniam vel illa Decreta, seu Canones habent clausulam reuocatoriam, vel non; si non habent, non reuocant, vt ex declaratione Cardinalium Concil. Trid. Interpretum 1573. habita, & relata à Paracelso constat, quâ hæc sententia in materia de voto in electionibus non dando ab iis qui non fuerint sacris Ordinibus initiati, iuxta cap. 4. sess. 22. stabilitur; cùm resoluitur, posse dare votum in dictis electionibus Regulares non initiatos sacris Ordinibus, si adsit consuetudo, aut constitutio in Religione illa eorumdem Regularium; ac ex consequenti si adsit priuilegium: si autem habeat clausulam huiusmodi, reuocant; dummodo sit talis, qualis explicabitur inferiùs.

Probatur 2. Quia priuilegia Regularium in corpore Iuris inserta non derogantur per quælibet Concilij, aut Bullæ decreta, sine clausula derogatoria; imo nec per clausulam reuocatoriam generalem: vt dicunt communiter Doctores Iurisperiti, & quamplures allegando id docet & concludit Henriques 1. tom. lib. 7. cap 28. n. 9. lit. 1. & cap. 31. n. 5. lit. S. Ergo nec dicta Decreta & Canones derogant priuilegijs Regularium sine clausula necessaria ad derogandum.

3. Quia nulla est firma ratio quæ contrarium suadeat: nam clausula amplissima derogatoria quæ in fine Decretorum de Regularibus apponitur, refertur tantùm ad priuilegia, quæ per expressam clausulam derogatoriam fuerunt reuocata. Bulla autem Pij V. amplissimè confirmatiua Decretorum Trident. restringitur secundum communem Iurisperitorum sententiam ad Decreta, quæ clausulam reuocatoriam habent appositam; cum in dubio mens & intentio Principis semper præsumatur fuisse qualis & esse debet de iure: confirmatio autem de iure non extenditur ad aliquid vltra id quod confirmat: confirmatio verò priuilegiorum solita fieri cum clausula, *Dummodo non sint contraria Canonibus, & Decretis*, non extenditur nisi ad Canones, & Decreta irritantia, & non ad alia. Sic tenent Roder. tom. 2. quæst. 8. art. 6. Suares de Legib. lib. 8. cap. 18. & alij cum Miranda quæst. 43. art. 3. tom. 2. qui hanc sententiam existimat probabilem.

Hanc secundam propositionis partem probat sequens ratio, quoniam illa clausula, vt superiùs probatum est, nihil prorsus operatur, si verbi gratiâ aliorum Conciliorum decretis omissis, decreta Conc. Trid. non contineant expressam priuilegiorum Regularium clausulam reuocatoriam, quibus etiam vti possunt Regulares, ac si non essent dictis Decretis contraria, ergo quamuis aliqua priuilegia sint reuocata per Trident. si illa Decreta reuocantia non sint recepta, perinde se habent, ac si non essent emanata: ac consequenter nonobstante ea clausula priuilegia Regularium in suo firmo robore subsistunt.

Tota hæc ratiocinatio confirmatur ex communi doctrina, quòd nullum priuilegium cum effectu censetur reuocatum, nisi actu lex reuocans sit intimata, vt docet Azor. in Instit. moral. lib. 5. cap. 3. quæst. 6. & cap. 22. quæst. 7. parte 1. affirmatque hanc opinionem esse communem Doctorum: cuius rei ratio est, quia talis lex reuocans obligare desinit per non receptionem sui, ac si non esset lata: nec reuocantur priuilegia nisi ea mediante; quæ cùm non habeat vim obligandi, nec similiter habebit vim reuocandi; ac propterea vbi Trident. non est receptum, cùm inibi Trid. operandi vi careat, effectum etiam obligandi, & reuocandi priuilegia non poterit operari: ac consequenti illa clausula, *Dummodò*, nullum effectum circa priuilegia Regularium operabitur, cùm supponat Tridentinum esse receptum, habereque vim obligandi, ac consequenter dicta priuilegia cum effectu reuocandi.

Ex quibus satis constat, quod confirmationes factæ cum huiusmodi clausula, nihil priuilegijs Regularium penitùs derogant. Imò ea non obstante (etiam quomodolibet dispositioni dicti Trid. contraria) manent confirmata. Accedit, quòd priuilegia Societatis IESV, quorum omnium authenticum in Domo Professa Burdigalensi seruatur, in quibus alij Regulares participant, à Gregorio XIII. absque dictæ clausulæ appositione confirmantur, sicut etiam priuilegia Ordinis Cisterciensis motu proprio absque dictæ clausulæ restrictiua à Gregorio XV. sub data diei 6. Septembris 1592. confirmata fuerunt, vt habetur in Compend. priuil. Fuliens. verb. *Confirmatio*. §. 1. Et sic similiter absque dicta clausula (vt cætera taceam) priuilegia Congregationis Sancti Mauri Ordinis Benedictinorum ab Vrbano VIII. 12. Calendas Februarij 1627. confirmationem acceperunt; ac proinde sunt absolutè confirmata; & consequenter etiam priuilegia aliorum Regularium, cùm in dictorum priuilegijs, & confirmationibus communicent. Et confirmatur ex decreto seu responso Cardinalium Tridentini interpretum relato in Compend. Priuil. Fuliens. verb. *Absolutio*, quoàd sæculares §. 9. super dubio circa validitatem cuiusdam priuilegij Congregationi Oratorij S. Mariæ in Vallicella 1586. à Sixto V. concessi, exorto ob defectum clausulæ derogatoriæ Tridentini, cui erat contrarium, huius tenoris, *Congregatio Concil.ij censuit, si huiusmodi priuilegium fuit, vt proponitur à Sede Apostolica concessum, vtique omnino esse obseruandum, quamuis nullam derogationem, aut mentionem Concily Tridentini contineat.* Quibus videre est Clausulam reuocatoriam Tridentini & aliorum Conciliorum non requiri in concessione & confirmatione priuilegiorum; sed sufficere, vt dicta priuilegia concessa, vel confirmata sint illis contraria, vt præter alios existimat Portel. in addit. verb. Tridenrinum citans Rodericum citantem Innocent. & Archidiac.

Nec obstat, quòd stylus Curiæ Romanæ, qui legem obligatoriam videtur facere, in priuilegiorum confirmationibus, concessionibus, & alijs huiusmodi gratijs, illam clausulam subintelligat: quoniam sicut ille stylus Curiæ in alijs (videlicet) absolutionibus, & dispensationibus, quæ ad Iudices Ecclesiasticos diriguntur, exequendis, in multis locis non obligat, imò perinde se habet in illis, in quibus Tridentinum non est receptum, ac si non esset appositus; sic etiam se habet ille stylus in materia confirmationis priuilegiorum huiusmodi. Imò quod plus est, ille stylus in hac materia & alijs, non facit legem, vt docet Granado in parte 2. contr. 7. tract. 3. disput. 17. sect. 6. num. 46. qui ex aliis Doctoribus asserit, illum non obligare extra Curiam. Quod etiam tenet Ceuallos in qq. pract. qu. 737. à num. 20. id quoque sustinere cogitur Henriquez cùm doceat lib. 12. cap. num. 7. taciturnitatem veri non vitiare dispensationem in foro conscientiæ, sed tantùm in foro externo, quamuis stylus curiæ petat, vt non taceatur. Et confirmatur 1. ex eo quòd Regulæ Can-

cellariæ, quæ maioris sunt momenti, non obligant in foro conscientiæ, vt docent Ioann. Valer. in Diff. vtriusf. fori, verb. *Donatio*, diff. 6. nu. 2. Gomez de Reg. Cancell. in Princip. Henriq. cum multis Doctor. Salmanticens. Iurisconf. in Summa tit. de Indulg. cap. 30. §. 7. in Glossa lit. R. & Diana part. 1. tract. 10, de Legib. resolut. 43. ergo pariter non obligat in conscientia stylus curiæ. Confirmatur 2. ex variatione illius styli, variatur enim, variato Pontifice, vt citatus Granado sustinet: quod non fieret si secum traheret obligationem: ac posito, quod non est, illum habere vim legis obligantis, non tamen ex eorumdem doctorum sententia ligaret, nisi esset scriptus, & à Papa approbatus: nec in vllo loco talem obligationem secum ferret; nisi certò constaret, talem esse, vt in illo huiusmodi obligationem in foro conscientiæ induceret.

PROPOSITIO VI.

Priuilegia omnia viuæ vocis oraculo concessa firma sunt, vbi constitutiones Greg. XV. & Vrbani non fuerunt debitè publicatæ, & Regularibus intimatæ, & aliqua ex ipsis vbi etiam fuerunt publicatæ.

Quamuis possimus in hac materia asserere, nullum esse viuæ vocis oraculum, quin in bullis Pontificum reperiatur, excepto priuilegio tangendi sacra laicis, seu conuersis fratribus facto, vt obseruauit quidam vir regularis doctissimus, ex consequenti nullum esse viuæ vocis oraculum, nisi vnum: nihilominus assentiendo propositioni positæ, illius prima pars probatur 1. ex præcedentibus, in quibus ostensum est vniuersaliter priuilegia subsistere; ergo & priuilegia viuæ vocis, &c. 2. Quoniam priuilegia multorum Ordinum à multis Pontificibus ea specialiter innouantibus ex certa scientia confirmata fuerunt, & præcipuè à Pio quinto, Bulla inchoata *Et si Mendicantium*, eadem in fauorem omnium mendicantium innouante his verbis: *Etiam viua vocis oraculo in genere vel in specie tam per recor. mem. Eugen. IV. Sixtum IV. Leon. X. Paulum III. ac dictum Paul. IV. & Pium etiam IV. quàm alios quoscumque Roman. Pontific. etiam prædecessores nostros, ac nos & Sedem eamdem concessa, & perpetuò approbamus & confirmamus.*

Quoad verò 2. partem probatur 1. quoniam Bulla Gregor. XV. inchoata *Romanus Pontifex*, reuocat priuilegia viuæ vocis oraculo concessa, etiam quomodolibet confirmata & innouata, excipiendo illa, quæ sortita fuerant affectum; & alia Cardinalibus in fauorem regularium, &c. data, & ab eisdem propria manu firmata: nec non etiam illa, quæ ad instantiam regum impartita reperiebantur. 2. Quia bulla Vrbani VIII. quæ incipit, *Alias fœlic. recordat.* de die 20. Decemb. 1631. nullius oraculi exceptionem facit, ponitque clausulam reuocatoriam eamdem quam Greg. cum clausula alia reuocatoria suæ regulæ de non tollendo iure quæsito &c. vult tamen vt publicatio & intimatio huius suæ constitutionis fiat per Generales Prouincialibus; & per Prouinciales Prælatis localibus, & per hos alijs. Quod si facta non fuerit, non est curandum de contentis in hac bulla, quod similiter dicendum de contentis in bulla Greg. si publicata & intimata non fuerit.

Quoad verò 3. partem, videlicet quòd aliqua priuilegia huiusmodi vim habeant, nonobstante publicatione dictarum bullarum probatur 1. ex concessione, seu potiùs declaratione eiusdem Vrbani inchoata etiam, *Alias fœlic.* de die 11. Aprilis 1635. quam refert Angel. Maria Cherubin. in Append tom. 4. pag. 49. & post illum Barbosa proximè citandus: quia declarauit Officiales, seu ministros, quibus aliàs ante emanatas prædictas constitutiones ex officiorum suorum auctoritate, & prærogatiua de oraculo per eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat, quoad ea, quæ vt præfertur ad cuiuslibet eorum officii, seu munus, quo funguntur pertinent, in literis etiam prædictis super reuocatione oraculorum huiusmodi emanatis, minimè comprehensos fuisse, nec comprehendi debere. Et ad abundantiorem cautelam eosdem Officiales, seu ministros aduersus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restituit, & plenariè reintegrat in omnibus & per omnia. 2. Quoniam existente bulla præfata Gregor. multi doctores existimarunt

marunt multa priuilegia huiusmodi non esse reuocata, vt sunt illa quæ sortita erant effectum, licet executio haberet tractum successiuum: sic Barbosa cum iis quos citat in Collectan. Apostol. decis. Collectan. 538. 3. Quoniam priuilegia & gratiæ viuæ vocis oraculo ministris, vicariis & procuratoribus generalibus factæ, & eorum ordinibus concessæ, quæ sortitæ fuerant effectum ante Greg. XV. reuocationem præfatam, licet effectus habeat tractum successiuum, vel aliàs respiciant particulares personas vt sunt præsentaturæ vel magisteria in dicta reuocatoria Greg. non comprehenduntur, nullaque reualidatione indigent, vt S. C. Regul. 2. Aprilis 1625. declarauit testibus Castellino de elect. 5. n. 37. vers. pro parte. Laurent. de Peyrin. de priuileg. Regul. ad constit. 3. Greg. XV. n. 1. Quæ priuilegia Vrbanus VIII. minimè reuocat, cùm approbet præfatam Gregor. constitutionem, & superaddat restrictiones superiùs positas.

Ex quibus sequitur, quòd vbi prædicta bulla Vrbani oraculorum reuocatoria non est publicata & intimata, vt supra, possunt Regulares in foro conscientiæ vti omnibus priuilegijs per Tridentinum expressè reuocatis ex concess. Pij V. ad supplicationem Generalis Ordinis Minorum facta coram Cardinali Antonio de Monelia, quæ habetur Romæ in Conuentu Aracœlitano, quam referunt Collectores priuileg. verb. *Concilium*: & Ioann. de la Cruz in Specul. coniug. ad finem: ac sic in vi illius oraculi proximè citati existimarunt, & Henriq. lib. 7. de Pœnit. tom. 1. cap. 24. ad finem cum Glossa lit. R. Roder. tom. 1. qq. RR. q. 8. art. 9. Beia part. 4. cas. 138. Vega in Summa tom. 1. c. 62. cas. 4. Sanches in Summa tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 16. Lainas 1. par. Metodi cap. 3.

Quæres num prædictæ Bullæ reuocatoriæ fuerint in Gallia publicatæ: & casu, quo fuerint, publicatio huiusmodi valeat. 1. Quæsito Respondetur quòd vniuersaliter in Gallia publicatæ non fuerunt: Constat autem ex ordinationibus diœcesis Burdigalens. Quod auctoritate vicarij generalis Archiepiscopi Burdig. seu Officialis requirente verbaliter Promotore in eiusdem curia die 18. Maij 1623. Greg. Bulla fuerit publicata cum mandato, vt regularibus intimaretur. Secunda autem videlicet. Vrb. auctoritate vicariorum generalium eiusdem Archiepisc. cum simili mandato die 15. Iunij 1652. si autem mandata eas regularibus intimandi executioni demandata fuerint, post longuam, & diligentem inquisitionem adhibitam cognoui Bullam Greg. conuentui B. Mariæ de Gratia Burdegalæ fuisse intimatam.

Quæsito 2. respondetur dicendo, quod hæ duæ bullę reuocatoriæ cum respiciant communitates omnes, non solum regularium, sed etiam sæcularium Ecclesiasticorum, & non Ecclesiasticorum, ac earumdem singulares personas, debuisse priùs Regi præsentari, & per litteras patentes approbari antè publicationem, & intimationem iuxtà regni legem, de qua alibi egimus, quod cum minimè factum fuerit, censendum est non esse legitimè factam, ac proinde dictas Bullas viuæ vocis oracula non reuocare; cum iuridica, & legitima publicatio ad valorem Bullarum huiusmodi requiratur, vt pluries in supremo Regis Consilio iudicatum fuit.

Non quæro hoc loco si Indulgentiæ regularibus concessæ valeant quoniam priuilegia non sunt: cúmque illas solemniter reuocauerit Paulus V. anno 1606. quilibet ordo particularis informet, si eas iterum aliquis Pontifex innouarit: duo tantum dicam quoad illas. Primum quod dictus Pontifex non reuocauit eas, quæ simul sæcularibus & regularibus erant concessæ, quarum initium est *Vtriusque sexus fidelibus*, ac sic tenent Roder. in addit. ad Summam tom. 3. cap. 11. num. vnico, & Portel. verb. *Indulgentia & Iubilaum*. Secundum quòd idem Paulus indulgentias Fratribus Ordinis Minorum concessas confirmauit bulla alibi citata, sub data 2. Nouemb. 1609. confirmando cum priuilegijs spiritualia indulta, quæ indulta comprehendere indulgentias declarauit idem Pontifex die 4. Maij 1610. Accedit quod Bulla Clement. VIII. confirmata à proximè dicta Bulla Pauli V. confirmat expressè indulgentias Minorum, & consequenter Paulus V. Sic tenent Hieron. Roder. in comp. qq. RR. q. 77. & Martin. à S. Ioseph. in exposit. Bullar. tract. de Indulgent.



CAPVT III.

DE PRIVILEGIORVM COMMVNICATIONE, ET EIVSDEM QVALITATIBVS.



NTEQVAM ad huius materiæ propositiones descendamus, membra Regularis status priùs obiter proponenda sunt, vt sic cognitio communicationis priuilegiorum clariùs eluceat. Status ergo Regularis, cuius excellentiam meritò extollunt Athanasius, Basilius, Gregorius Theologus, Chrysostomus & alij sancti antiqui Patres & Doctores, & inter recentiores Gueuarrus, Platus, & Cellotius, & alij in multos quos vocant Ordines, effusus est: quorum quidam Clerici Regulares, alij verò Monachi nuncupantur. Clericorum nomen non tantùm Regulares comprehendit, sed etiam Sæculares, quorum triplex genus est. Primum eorum, qui Clerici Sæculares communiter vocantur, proprium habentes, & separatim in sæculo viuentes. Alterum eorum etiam, qui proprium habent, nec profitentur, sed collegialiter viuunt, & dicuntur Clerici collegiati, vt sunt Clerici de Oratorio nuncupati, & alij huiusmodi. Tertium genus est eorum, qui primitiuum & Apostolicum viuendi modum retinent, in communi viuentes, & tria profitentes vota Religioni essentialia, qui propriè dicuntur Clerici Regulares, in communi viuentes: à quo instituto Ioannes de Nigra Valle Bibliothecarius apud Trullum lib. 1. cap. 6. prodiisse scribit Romanos Pontifices quatuor & quinquaginta. Cardinales 2567. Sanctorum numero ad scriptos Confessores 1500. aut etiam, vt numerare mauult citatus Trullus 7500. Taceo innumeros alios, tum sanctitate, cum doctrina conspicuos homines, quos Ordinum ordo, & Religionum Princeps Apostolicus Clericatus Ecclesiæ Dei peperit, vt indubitanter ex historicis afferam è sola Diui Augustini regula pullulasse quatuor & triginta religiosos Ordines sub tanto Imperatore militantes: cuius maximi ordinis primum auctorem Petrum Apostolum Augustinus ipse illum instituens, seu potiùs restituens, profitetur: sicut Marcum Monachialis instituti, alij asserunt. Monachi verò nomen, sicut & Clerici regularis antiquissimum est, quippe Apostolorum tempore. Ita tamen contemptum in principio, vt teste Hieronymo Epistola 16, ad Principiam, nulla matronarum Romanarum ausa fuerit publicè, propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen accipere: tantæ tamen excellentiæ, vt antiqui Patres illud vsque ad summum laudauerint. Omitto reliquos, & in testem voco Dionysium cap. 6. Eccl. Hierarch. de Monachis, omni pene pagina repetentem, *Sanctorum Monachorum, perfectissimam Monachorum Philosophia, sacra nomina Therepeutarum & Monachorum.* Monachos, solitudinis nomen, bifariàm diuisit Ecclesia, in Eremitas & Cœnobitas: Eremitarum ordinem bipartitum docet Petrus Damian. Opusc. 15. cap. 3. *Quorum videlicet alij cellulas incolunt, alij passim per Eremi deserta gradientes, certas sedes habere contemnunt: sed qui per eremum spatiando discurrunt, Anachoretæ; qui verò cellulis contenti sunt, Eremitæ dicuntur, quibus nimirum nomen commune, factum speciale.* Sic Petrus.

Anachoretæ iterum in duas species partiuntur, alios enim tulit potiùs, quàm ex-

presse probauit Ecclesia, qui Dei amore incitati cursu concitato in solitudinem se abdiderunt; quales sunt Paulus, & Antonius (cuius huius vltimi corpus Viennæ in Gallia quiescit) & Aulici ab Augustino memorati; & alij quorum vita, nec status, nec professio vitæ regularis dici potest, cùm nullum qui præesset, haberent, & in cuius manibus vota essentialia emitterent; alij Anachoretæ, post diuturnam in Monasterio exercitationem, maioris auidi perfectionis à senioribus secessum in eremum interiorem impetrabant. De quibus fusè Cassianus, collat. 1. cap. 6.

Tertia vitæ Eremiticæ species est eorum, qui mitiorem vitam, & minùs à Cænobitica remotam, amplexi, vno loco, cellis tamen distincto, sub Abbatis vnius disciplina i uebant; & Dominicis diebus ad synaxes vndique conueniebant in Templo.

Monachi in Cœnobijs & Monasterijs plurimum conuictu vtentes, quos origine priores Anachoretis, docet Cassianus collat. 18. cap. 5. Cœnobitæ nuncupati sunt, quos Epiphanius in Compend. fidei, duplicis facit generis: & alios in vrbibus, alios verò procul ab illarum frequentia, Monasteria in solitudine habitasse commemorat; quos Syluicolas suasit esse, tum amor perfectioris vitæ ad Apostolicas regulas dirigendæ, tum tyrannicis temporibus crebra vitæ pericula. Vrbibus tandem illos intulit orbi Christiano restituta pax, qui sub Abbate, seu præposito eos instruente, & moderante, degebant, vt tradit Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch. cap. 15. & Augustinus li. de Moribus Eccl. cap. 40. sub quo vota emittebant, & reddebant. Illam autem votorum religionem apertiorem, sanctioremque in Cœnobitis, aut Monachis in Occidente, quàm in Oriente fuisse, legimus in Sancto Leone Papa Epist. 92. ad Rustic. ca. 12. & antea in S. Augustino, in Psal. 75. & in Petri Damiani Opusc. 16 cap. 1. 3. & 4. Quam præclaram viuendi formam conseruari modò videmus apud Chartusiensium Ordinem, Monasticæ antiquitatis imaginem.

Successiuè in media ætate ab iis initiis ad meliorem Monachatus formam facilis fuit gradus sub Benedicto, qui Religionis Christianæ occasum per Occidentem suo Ordine solatus est; ad ciuiliorem verò status Monachatus formam ante ipsum Basilius in oriente cùm Monasticam vitam, è solitudine ad hominum societatem: à mera contemplatione ad actuosam vitam, & sibi alijsque impensa per sui Ordinis institutionem, ministeria reduxit. Cùm enim solitaria vita, vt ait Greg. Nazian orat. 20. in laud. Basil. & ea quæ societate gaudet, vt plurimum inter se different, ac pugnarent, neutraque omnino vel commoda, vel incommoda, iura & imperium haberet, præclarè eas inter se reconciliauit, ac permiscuit.

Longe post illos duos plures exorti sunt Cœnobitæ, qui priuata instituta suis sequacibus tradiderunt, vt S. Columbanus, D. Bernardus, S. Stephanus Grandis montis: multique alij qui ex stirpe Ordinis Benedictini prodiere, in cuius gremio reperti sunt ante Concilij Constantiensis tempora Abbates 15074. doctrina & virtutibus insignes, Summi Pontifices 18. Cardinales 184. Archiepiscopi 1564. Episcopi 3512. Sanctorum Catalogo adscripti 5559. De Basilij verò Ordine illud accipe, sub Turcicæ tyrannidis iugo, si non illius ordinis medullam, at corticem; si non spiritum at literam perennare; & neminem in toto Oriente Patriarchatu, aut vllo Episcopatu dignum videri, imò nec penitùs admitti qui ex Basilii ordine non prodierit.

Postrema autem ætate mixtum Regularium genus in Ecclesia ortum est, cum ex meris Clericis, & meris Monachis mixtam ex vtraque viuendi lege Regularis status speciem Romana Ecclesia adinuenit, nomen illi est ex modo vitæ quærendæ, Mendicantes; finis, sua & aliorum salus, media virtus & doctrina, exercitatio impensa, sibi aliisque pietatis & doctrinæ officia, labor, psalmodia, studium sacrum, exomologeses fidelium, & conciones: confirmatio ab vna Sede Romana, robur ab Episcoporum omnium approbatione authentica. Primus in institutione sui Ordinis, & viuæ vocis oraculo approbatione est Franciscus: secundus Dominicus: sed primus in approbatione authentica Dominicus: secundus ab illo Franciscus: tertius Eremitæ Sancti Augustini ab eodem instituti, qui cum aliis Eremitis, inchoante Innocentio IV. & perficiente Alexandro III. anno 1256. narrante Antonino 3. part. tit. 14. cap. 14. §. 3. in vnum vniti, & incorporati fuerunt. Et de his, & Carmelitis sic loquitur Gregorius X. vt habetur cap. *Religionum diuersit.* De relig. domib. *Cæterùm Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale*

[*videlicet Lateranense, sub Innoc. III.*] *præcesit, in solido statu volumus permanere.* legas *in solito* vel *in suo.* Hic Ordo Augustini ex quo tempore eremo euocatus, & per vrbes, & oppida propagatus, seruato tamen Eremitico nomine, Episcopis, Parochis & alijs Ecclesiæ Pastoribus, tanquam subsidiarius sodalis, ab Ecclesia datus fuit, vt in Honorij IV. vita scriptum legimus. Quartus denique præfatus Carmelitarum ordo antiquus valde; quippe qui ab Elia, & Eliseo originem ducit, cui tamen ordini in meliorem formam ab Alberto, & Aimerico Apostolico Legato, & Antiocheno Patriarcha redacto, Pontifices Romani clericatum superiniecerunt, cùm Mendicantem esse voluerunt, & absoluta sanctitate retenta, relatiuè inuigilare sufferunt: Quod etiam nostris temporibus factum legimus in Carmelitis Discalceatis, vt inferiùs dicetur.

Hi sunt quatuor præcipui Ordines Mendicantes, tanquam quatuor capita eius Fluuij, qui de Romanæ Ecclesiæ Paradiso ad vniuersam terram, scientiæ sacræ, virtutumque aquis irrigandam, egrediuntur; quos tales declarauit Pius V. *constit. quæ incipit, Rom nus Pontifex* sub dat. 1. Octob. 1568. quibus alios sex Ordines adiunxit Ecclesia. Sunt autem illi, Ordo Seruorum B. Mariæ. Fratrum Minorum, Congregatio Iesuatorum & Clericorum Societatis IESV, Carmelitæ discalceati, & similiter discalceati sanctissimæ Trinitatis de quorum dignitate, vtilitate, sanctitate & laboribus pro Ecclesia exantlantis alibi sum dicturus, quos propterea magis vtiles Ecclesiæ Dei quam Clericos sęculares asserit Flauius Cherubin. in 2. tom. in Schol. Bull. 50. Pij V. post Nauarr. tit. de Regular. lib. 3. consil. 1. aliàs 52. Taceo Militares Ordines numero decem, qui hunc statum Regularem cum alijs constant, quique armis hostes nominis Christiani prosternendo, Ecclesiam tutati sunt.

His de Ordinibus Regularibus prælibatis, progrediendum est ad vlteriora, ac supponendum, nos hic minimè agere de communicatione priuilegiorum illorum antiquorum Monachorum, Anachoretarum, Eremitarum, & Ordinis illius antiqui S. Basilij: sed de alijs Ordinibus, quos omnes iam in duo membra diuidunt, Mendicantium scilicet, & non Mendicantium. Ac primò de communicatione priuilegiorum Mendicantium, & postea de illis non Mendicantium. Sit ergo.

PROPOSTIO I.

PRiuilegijs Mendicantium, & non Mendicantium, concessis & concedendis, gaudent Mendicantes, & similiter confirmationibus, & innouationibus eorumdem priuilegiorum.

Cùm Regulares, licet Ordinum diuersorum, sint personæ Deo per vota essentialia consecratæ, æquum est, vt vnum in Deo, & professione, existentes, vniantur etiam in eisdem priuilegijs, & gratiis: vt sic vniti arctiori vinculo, sedi Apostolicæ, & inter se ad nomen Dei in terris propagandum, & animarum salutem procurandam, copulentur. Adiunge quòd, vt loquitur Sixtus IV. in Mari magno Augustiniensium, conueniebat, *vt quos par labor, & paria merita coniungunt, parta coniungerent priuilegia, & fauores.*

Hæc autem vnio per priuilegiorum suorum inter se communicationem procurata, ideò procul dubio iusta, rationabilis, & sancta habenda est: quam confirmat vsus communicationis priuilegiorum temporalium: solent enim Reges ea, quæ vni ciuitati peculiaria sunt, priuilegia, alteri communicare, vt sic animis ad sibi obsequia & obedientiam præstandam, coniungantur. His positis probatur propositio ex concessionibus Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Clementis VII. Leonis X. Clementis VIII. Pauli III. & aliorum Pontificum, per quos dicta priuilegia communicantur, quæque etiam sunt priuilegia, sicut & illarum confirmationes & innouationes, quę verè priuilegia sunt, vt declarat Pius V. Verùm quia nimis longum esset hic describere omnia diplomata communicationum per Pontifices factarum, ideò aliqua verba vnius diplomatis hîc describere contentus ero, vt ex illo cætera

dignoſcantur. Leo X. ſingulis Mendicantibus affectus omnia priuilegia communicat inter illos, his verbis, *Nos ſingulos Ordines prædictos, ſingulaſque ipſorum ordinum domos, vbi religioſè viuitur, indifferenter, abſque exceptione perſonarum, deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, tam ſpiritualia quàm temporalia qualiacumque illa eſſent, Prædicatorum, Minorum, &c. à dictis prædeceſſoribus, tam à nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut aliàs, auctoritatem habentibus, coniunctim vel diuiſim, in genere vel in ſpecie, conceſſa fuerunt, aut impoſterum concedentur, illa omnia & ſingula, ac ſi nominanter exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes, &c. motu proprio ex mera noſtra ſcientia, & liberalitate de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicauimus, illaque omnia & ſingula, inter dictorum Ordinum perſonas, communia fuiſſe, & eſſe volumus.* Hæc Papa alijque pontifices ante Tridentinum: at ſucceſſiuè poſt illud Pius V. B. *etſi Mendicantium* explicando idem Tridentinum eamdem communicationem inter mendicantes *facit his terminis: Nec non priuilegia, &c. modo & forma, quibus conceſſa ſunt, etiam per viam communicationis, & extenſionis actiuè & paſſiuè inter ſe, & alios quoſcumque ordines reſpectiuè de nouo concedimus, illaque omnia & ſingula ad domos, & loca recepta & recipienda perſonas & bona extendimus & ampliamus.* Quibus verbis manifeſtè conſtat, prædictæ communicationis priuilegium, inter illos ordines Mendicantes, videlicet Prædicatores Minores, Eremitas S. Auguſtini, Carmelitas, & ſeruos Beatæ Mariæ, de quibus ſermo erat, quibus acceſſerunt Carmelitæ Diſcalceati ex Bulla aliàs citata Clementis VIII. quæ incipit, *Cùm dudum.* Atque hæc veritas in praxi fundata, probatur expreſsè ex conceſſionibus particularibus, quarum initia non affero Minoribus conceſſis per Clemen. VIII. Prædicatoribus verò per Leonem X. & vtriſque per Sixtum IV. Auguſtinienſibus per Alexandrum VI. Carmelitanis per Sixtum IV. relatis in compend. priuileg. Mendicantium, verbo, *Communicatio priuileg.* facta autem fuit huiuſmodi communicatio per illa verba, *Priuilegia quæ conceſſa ſunt, aut impoſterum concedentur, ſeu de priuilegiis quomodolibet conceſſis & concedendis aliis Ordinibus frui, potiri, & gaudere poſſe, atque debere.*

Quo priuilegio ſimiliter gaudent, vt loco proximè citato in annotationibus Sorbi videre eſt, Religioſi Societatis IESV, ex Pio V. & Gregorio XIII. & Minimi ex Iulio II. in Mari magno, in quo dicitur quòd, *Poſſunt tranſumptare quæcumque priuilegia, & Bullas conceſſas aliis Ordinibus, ac ſi illa, mutatis in eis nominibus, ſub nomine principaliter & ſpecialiter pro eo Ordine emanaſſent.* Vnde ex priuilegijs tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, multa extraxerunt, quæ eis accommoda videbantur, Stephanus vſus Maris, & Gaſpar Paſſarellus eiuſdem ordinis Minimorum Prælati generales, & in ſelectionibus priuileg. ab ipſis editis inſeruerunt, vt ibi cernere eſt. Hanc quoque communicationem Pius V. expreſsè eidem Ordini conceſſit. Atque hæc omnia ſimiliter aſſerenda ſunt de alijs Regularibus Mendicantibus, quos ſuperiùs aſſeruimus communicare cum Mendicantibus, vt ſine vllo dubio de Carmelitanis Diſcalceatis euidentiſſimum eſt, ex dicta Bulla Clementis VIII. quæ incipit, *Cùm dudum*, iam citata ſub data 5. Iunij 1595. quâ poſtquam Pontifex eiſdem ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia priuilegia Carmelitarum communicauit, ſic fatur, *Nec non prædicta, & omnia videlicet priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcumque dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium Fratribus, perſonis & bonis, etiam Confraternitatibus, & aliis piis locis, vel aliàs quomodolibet præfatis Ordinibus, domibus, & eorum bonis conceſſa, & concedenda, & prædictis Fratribus Diſcalceatis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, domibus, & eorum bonis, eadem omnino ſimilique modo competere verè & propriè, & ac ſi eiſdem ſpecialiter conceſſa eſſent, præſentibus pro expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, haberi volumus decernimus, & ſtatuimus; & ſi opus eſt, eadem nunc concedimus, & impartimur.* Et hæc ſententia eſt communis, quam tenent Roder tom 1. QQ. Reg. q. 55. art. 1. & 2. Miranda tom. 2. q. 4. 46. art. 5. Portel. verbo *Communicatio priuileg.* Sorbus verbo eod. & alij quamplurimi.

Quoad verò communicationem priuilegiorum non Mendicantium ipſis Mendicantibus factam, non reperio vllam conceſſionem Pontificum generalem pro omni

bus Mendicantium Ordinibus, emanatam; at verò specialem pro vnoquoque, vltra concessiones præcedentes proximè positas pro quibusdam Ordinibus, quæ etiam ad communicationem priuilegiorum non Mendicantium extenduntur, reperies in Bullario, in Compendio priuilegiorum Mendic. & apud citatos Rodericum. & Mirandam. Vnam dumtaxat producam in fauorem Ordinis Minorum, quæ est Clementis VII. B. *dum fructus vberes*, de qua fit mentio in eodem Compend. priuileg. Mendic. verbo *Communicatio*, vbi Pontifex post confirmata dicti Ordinis priuilegia, & communicationem priuilegiorum Mendicantium illi factam, sic pronunciat, *Nec non quibuscumque facultatibus & gratiis aliis Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus concessis, & concedendis, vti, frui, & gaudere posse, atque debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent*. Sic Pontifex. Quam constitutionem *Pius V. B. etsi mendicantium* confirmans motu proprio & ex certa scientia, & successiuè plures alij eadem confirmatione munierunt.

Notandum tamen est, communicantes priuilegijs alterius Ordinis, non subdi odiosis, quæ in priuilegijs illius ordinis, cum quibus communicant, continentur: quia non sunt priuilegia, sed pœnæ quæ semper, cùm sint odia, restringendæ sunt, sicut & fauores ampliandi. Sic Sorbus in Compend. priuileg. verb. *Communicatio*, & Portel. eodem verbo *Conf.* loco citato cap. 5. & alij.

Ordines autem Mendicantes hoc tempore sunt infrà scripti, videlicet Dominicani, seu Fratres Prædicatores, Fratres Minores, Eremitæ Sancti Augustini, Carmelitæ, Serui B. Mariæ, à Pio V. bulla 22. quæ incipit *Romanus Pontifex*, sic propriè declarati: quibus postea Minimi adiuncti sunt, ex constit. Pij V. inchoante, *Apostolicæ sedis*, sub data 9. Nouembris 1567. Iesuati Congregationis S. Hieronymi, ex concessione Pij V. cuius initium est, *Romanus*, 19. Nouembris 1567. Societas IESV, ex eiusdem Pij V. constit. incipiente, *Dum indefessæ*, 7. Iulij 1571. Et denique Carmelitani Discalceati ex constitutione Clementis VIII. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, die 20. Augusti 1603. qui omnes gaudent priuilegijs Mendicantium, & non Mendicantium, ac etiam Hospitalium, Congregationum, Confraternitatum, illarumque personarum, etiamsi prædictis sint concessa viuæ vocis oraculo. Sic compendium Societatis IESV, verbo *Communicatio priuileg.* §. 2. & 3. Portel. eodem verb. sic etiam Miranda quæst. 46. in Manuali, & alij.

PROPOSITIO II.

ORdines non Mendicantes proximè exprimendi in priuilegijs Mendicantium communicant.

Probabitur hæc propositio ex enumeratione eorumdem, & ex Bullis quibus hanc communicationem impetrarunt.

Congregatio Canonic. Regular. Lateran. ex Pij V. constitutione quæ incipit. *Ex Supernæ dispositionis arbitrio*, sub data Kalend. Septembris 1567.

Congregatio Canonic. Regular. S. Crucis Conimbriensis, ex eadem constitutione.

Congregatio Canonic. Regular. S. Saluatoris Bononiensis, ex constit. Iulij II quæ incipit, *Inter cæteros*, 4. Nonas Aprilis 1512.

Canonici Sęculares S. Georgij in Alga, ex Pii V. constit. incipiente, *Ex incumbente nobis*, 3. Idus Nouembris 1569.

Congregatio Monach. Cassinens. seu S. Iustinę de Padua, ex Iulio II. constit. r. in Bullario nouo, tom. 1. pag. 42. ex Sixto V. Congregatio Benedictinorum exemptorum in Gallia ex constit. Greg. XIII. B. *Aequum reputamus*.

Congregatio S. Mauri ordinis S. Benedicti ab Vrbano VIII. B. *In superemimenti*.

Congregatio Monach. Vallis Vmbrosę ex dicta Pii V. constit. quæ incipit *Ex superna disposit.*

Monachi Camaldulenses ex constit. Gregorij XIII. inchoante, *Ex iniuncto nobis* 14. Septembris 1591.

Monachi Cistercienses Congregationis S. Bernardi in Italia Regularis obseruantiæ, ex constit. Gregorij XVI. bulla quæ incipit *Romanus Pontifex*, 18. Iunij 1591.

Monachi Cistercienses Congregationis Fuliensis, ex constitution. Sixti V. incipiente *Super specula*, Idibus Nouembris 1587. Pauli V. incip. *Diuina disponente*, 5. Idibus Iulij 1606. & in alia incip. *In supereminentis*, 21. Nouembris 1607.

Monachi Celestini, ex constit. Vrbani VIII. incipiente *Sacro-sancti*, 14. Aug. 1624.

Monachi Siluestrini, ex constit. Pauli. V. incip. *Religiosorum* sub data die 23. Nouembris 1616.

Monachi Montis virginis, ex Pauli V. constit. incip. *Pastoralis*, 19. Maij 1611.

Monachi S. Basilij, ex constit. Gregorij XIII. incip. *Benedictus*. Cal. Nouemb. 1579.

Carthusiani, ex constit. Gregorij XV. incip. *Ad vberes*, sub data 3. Februarij 1623.

Regulares, nuncupati Fratres Spiritus Sancti in Saxia, ex Sexto V. constit. quæ incipit *Exigit*, 13. Aug. 1586.

Fratres Congregationis S. Hieronymi Hispaniarum ex constit. Pij V. quæ incipit *Supernæ dispositionis*, 17. Calend. Septembris 1567.

Fratres Congregationis Sancti Petri de Pisis, ex Pio V. constit. quæ incipit *Religionis*, 30. Martij 1571.

Fratres Ordinis S. Antonij, additis quibusdam restrictiuis clausulis ex constitutione Greg. XV. mens. Iulio 1622. emanata, & ex alia constit. Vrbani VIII. mense Iunij 1624.

Fratres Cruciferi, ex Constitut. Gregorij XVI. inchoante *Romanus Pontifex*, 12. Iulio 1591.

Fratres Sanctissimæ Trinitatis Discalceati, ex concess. Pauli V. cuius initium est *Ecclesiæ Catholicæ*. 15. Decembris 1609. ac etiam non Discalceati Prouinciarum Castellæ, Legionis & Granaræ, ex concess. Leonis X. & Adriani VI.

Fratres B. Mariæ de Mercede, ex Leone X. quorum vide priuilegia, amplissima enim sunt, & ab Vrbano VIII. confirmata.

Fratres Militiæ Iesu Christi Portugalliæ Reformati, ex Pio V. constit. ante citata *Supernæ*.

Clerici Regulares Theatini, ex Clemente VII. constitut. quæ incipit *Dudum pro parte*. die 7. Maij 1533.

Clerici Regulares Sommachini, ex constit. Pauli V. incipit *Ex qua Diuina Maiestas*, 9. Nouembris 1607.

Clerici Regulares Minores, ex constit. Gregorij XVI. incipit *Romanus Pontifex*, die 18. Februarij 1591.

Ordo S. Antonij ex constitution. in præced. proposit. citatis.

Clerici Ministrantes infirmis, ex constit. Gregorij XVI. cuius initium est *Illius qui pro gregis*, 11. Calend. Octobris 1591.

Clerici Matris Dei scholarum piarum, ex constit. Gregorii XV. sub die 15. Octobris 1622.

PROPOSITIO III.

Plurimi etiam non Mendicantes priuilegijs non Mendicantium communicant.

Hi sunt Carthusienses ex Bulla in præcedenti propositione citata, quæ incipit, *Ad vberes*.

Cassinenses, & Cistercienses, ex bulla Gregorii XIV. in Ordinis Cisterciensis fauorem expedita anno 1591. Congregatio Benedictin. exemptorum in Gallia B. cit. & *æquum reputamus*.

Congregatio S. Mauri cum clausula, dum modo sint in vsu: & non sint reuocata B. Greg. XV. quæ incipit. *Sacri Apostolatus*, sed ab sque illis clausulis restrictiuis. Bulla Vrbani VIII. inchoata *In supereminenti*.

Congregatio B. Mariæ Fuliensis, ex citatis concessionibus in propositione præcedenti.

Cruciferi, ex citata etiam constitutione in præcedenti propositione.

Ordo Sanctissimæ Trinitatis, ex dictis concessionibus in præcedenti propositione adductis: si autem alij Discalceati illius Ordinis gaudeant, ipsi viderint.

Ordo B. Mariæ de Mercede, ex citata Bulla.

Videant alij Ordines non Mendicantes, si priuilegijs aliorum Ordinum non Mendicantium communicent: non enim mei instituti est, de omnibus inquirere. Hoc vnum tamen dicam, quòd cùm participent in priuilegijs Mendicantium, & priuilegia non Mendicantium sint propria Mendicantibus, sit ex consequenti, vt in illis priuilegijs communicent. Insuper videant communicantes in priuilegijs si Bullis, quibus illis fit communicatio aliquæ clausulæ restrictiuæ sint appositæ, & vtantur dictis priuilegijs iuxta illas & non aliter.

PROPOSITIO IV.

Nouitij Regulares gaudent priuilegijs concessis illius Ordinis Professis, in quo probationem faciunt. Nec-non Moniales plurium ordinum gaudent priuilegijs Regularium.

Probatur hæc propositio, quoad primam partem, quia licet Nouitij non sint verè, & in effectu religiosi, in fauorabilibus tamen habentur tanquam religiosi & professi, & largo modo nouitij dicuntur religiosi, & Monachi; vt bene notat Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Dispensatione cum Regulari, n. 3. qui testatur Cancellariam Apostolicam vocare nouitium, monachum. Hæc propositio adhuc corroboratur ex priuilegio speciali generali Societati IESV concesso, cuius vigore, omnibus eiusdem Societatis priuilegijs nouitij communicant; vt legere est in Compend. priuileg. dictæ societatis, tit. Communicatio, n. 5. & huius sententiæ sunt Suares de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 17. Sanches in Summa, tom. 1. lib. 4. cap. 39. n. 15. & tom. 2. lib. 6. cap. 10. in fine: Riccius in Praxi, tom. 4. resolut. 24. n. 2. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 10. & lib. 7. cap. 30. Henriquez lib. 7. cap. 22. n. 7. Sairus lib. 7. cap. 13. n. 6. & Diana tract. 2. de Dub. Regul. resolut. 73. Molina tom. 1. de Iustit. disp. 139. col. 3. Portel. verb. *Nouitius*. n. 18. quoad verò 2. Partem probatur; nam Moniales Sanctæ Claræ primæ & secundæ Regulæ, ac etiam Tertiariæ Moniales, viuentes in Congregatione subditæ Minoritis: & aliæ quæcumque Moniales regimini eorumdem Minoritarum commissæ, etiamsi non sint Sanctæ Claræ, neque Tertiariæ, gaudent priuilegijs Minorum concessis & concedendis: ac etiam Moniales Dominicanę, Dominicanorum iurisdictioni subiectæ, gaudent similiter priuilegijs eorumdem. Sic Rodericus tom. 1. q. 55. artic. 13. & 14. Mirand. q. 46. art. 1. & 20. & comp. priuilegiorum, verb. *Communicatio priuileg*. §. 14 & Portel. eodem verb. num. 3. & 4. Sic etiam Moniales Carmelitanæ, quæ sub institutione Sanctę Teresiæ militant, etiamsi non subditæ ordini Carmelitarum Discalceatorum, vt sunt illæ, quæ in Gallia degunt, priuilegijs omnibus Fratrum Ordinis de Carmelo, & Monialium eiusdem ordinis potiuntur ex Bulla Gregorij XV. sub data 20. Martij 1621. quæ incipit, *Alias postquam*, cuius authenticum seruatur in conuentu earumdem sub inuocatione Sancti Iosephi ciuitatis Burdigalæ, quod similiter affirmamus de Monialibus S. Catharinæ seu Dominicanis sub cura ordinarij degentibus, vt habetur B. *Superna dispositione* edita à Paulo V. 1608. cuius authenticum seruatur in Monasterio earumdem dictæ ciuitatis. De cæteris autem Monialibus certum esse asserimus, sorores, vel moniales, & conuersas, oblatas, ac vtriusque sexus personas, de Pœnitentia, seu Tertij habitus nuncupatas, ordinum prædictorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini Carmelitarum

rum, & Seruorum Beatæ Mariæ, communicare priuilegiis omnium Mendicantium, ac viciſſim Mendicantes illarum priuilegiis gaudere, vt habetur expreſsè in B. Leonis X. quæ incipit, *Datum per nos*, de anno 1519. 10. Decembris. Quod etiam aſſerendum eſt de aliis Monialibus ſubditis gubernationi Mendicantium, etiam Tertiariis, ſiue viuant in communi, ſiue in particulari (voto continentiæ emiſſo) gaudent enim omnibus gratiis quibus Mendicantes, inquantum capacitas earum permittit, & hoc ex multis priuilegiis ſingulis ex dictis ordinibus Mendicantium conceſſis, pro quibus vide Rodericum tom. 1 q. 55. art. 13. 14. 15. Si autem aliæ quæ de prædictarum ordinibus non ſunt, eiſdem priuilegiis gaudeant, ipſæ in ſuis priuilegiis videīnt.

Duo finem imponendo huic propoſitioni dicam: primum, ſæculares confratres Chordæ, Corrigiæ, Scapulatis & cæterorum huiuſmodi, idem habere priuilegium quoad indulgentias, & remiſſiones peccatorum tantùm, non autem in his quę poſſent perturbare iuriſdictionem Ordinarij, conformiter ad decretum Concilij Trid. ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 11. pro quo vide Rodericum loco citato, art. 16.

Secundum, communicationem prædictam diuerſorum ordinum inter ſe, ita debere intelligi, vt quæ Generalibus vnius ordinis conceduntur, Generalibus alterius ordinis conceſſa eſſe cenſeantur: & ſic de Prouincialibus, Superioribus localibus, Prædicatoribus, Confeſſarijs, Eccleſiis, domibus, & aliis. Quod etiam ex Mari magno Prædicatorum, n. 37. manifeſtum habetur, & ex Comp. priuileg. Mendic. verb. *Communicatio*, §. 12. & 13. colligitur; ac ſic tenet Ioann. de la Cruz de Statu relig. lib. 2. cap. 4. concl. 2. & alij: nec quoad hoc apparet aliqua dubitandi ratio.

PROPOSTIO V.

PRiuilegia conceſſa vni Eccleſiæ, Conuentui, vel perſonis in dignitate, vel officiis exiſtentibus, & cæteris eiuſdem Ordinis Eccleſiis, Conuentibus, & perſonis aliorum Ordinum, qui cum ipſis priuilegiis participant, communicantur.

Quoad perſonas ex dictis conſtat; quantum autem ad cætera, videlicet quòd illa communicatio extendatur ad loca particularia, Eccleſias, & Conuentus etiam ſuperiùs probatum eſt. Nihilominus vlteriùs probatur ex priuilegio conceſſo à Pio IV. Ordini S. Hieronymi in Hiſpania, ad inſtantiam Philippi II. quod refertur à Collectore priuilegiorum eiuſdem ordinis, tit. *Extenſio priuilegiorum*, vbi dicitur, quòd, *Omnia & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, prærogatiuæ, indulta temporalia, fauores, & gratiæ ordinis, & ſingulis & cuiuis Monaſterio; per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ac per ſe, & per ſedem Apoſtolicam, eiuſque Legatos & Nuncios, in genere, vel in ſpecie conceſſa, ad omnia & ſingula monaſteria, tam virorum, quàm mulierum, quibus in ſpecie conceſſa ſunt, & in quibus aliæ cauſæ conceſsionis, & indultorum prædictorum, aliàs quàm profertur, ſuberant, ad id vt ipſa monaſteria illis pariformiter vti, frui & gaudere poſſint, & debere, perinde ac ſi eis in ſpeciali conceſſa fuiſſent, auctoritate Apoſtolica extendit, & ampliauit: illaque inter omnia tam virorum, quam mulierum monaſteria Ordinis, in omnibus & ſingulis communicauit.* Adiunge ſimile priuilegium conceſſum à Clemente VIII Conuentui S. Stephani ordinis Prædicatorum, quo gaudet totus ordo Prædicatorum, cui priuilegio cùm communicent regulares Mendicantes, ſine dubio illo vti poſſunt. Ac ſic tenent citati Rodericus tom. 5. q. 5. art. 18. Miranda tom. 2. q. 46. Portel. verb. *Communicatio priuileg.* & alio verb. *Priuilegiorum communicatio*, & alij.

Hic tamen aduertas velim ex eiſdem citatis doctoribus, quòd licet verum ſit, priuilegium vni Regulari perſonaliter conceſſum, alteri Regulari eiuſdem, aut alterius ordinis, non communicari, cum hîc militat diuerſa ratio: nam quod vni religioſo congruit, alterum ſæpè non decebit: Haud tamen id contingit in priuilegio

concesso vni Monasterio, Ecclesiæ, aut Prælato, aut alteri, ratione officii. Non sustineo autem Roderici sententiam, qua in vi illius priuilegij arbitratur indulgentias communicari: nam illæ priuilegium non sunt, vt superius dictum est, potest tamen probabiliter illius sententia sustineri: sicut etiam aliqui illam sustinent.

PROPOSITIO VI.

COmmunicatio priuilegiorum intelligitur non solùm de priuilegiis Ordinum, qui tunc extant, quando priuilegium communicationis conceditur, sed etiam futurorum, ita vt si aliquis Ordo de nouo erigatur, & priuilegium possideat, statim alij ordines qui habent priuilegium communicationis, illis gaudeant.

Ratio est, quia communicantibus concedantur priuilegia concessa, & concedenda aliis ordinibus, sine vlla restrictione: ergo cùm fauor Principis sit latè interpretandus, sicut extenditur ad priuilegia futuris temporibus concedenda ordinibus institutis, sic etiam ad ordinum instituendorum priuilegia concedenda. Verùm vt omne dubium prorsus tolleretur, communicationem ordinum Mendicantium extenderunt Pontifices ad priuilegia Societati IESV concessa, licet tempore communicationis priuilegiorum ordinibus regul. tunc existentibus concessa, non extaret dicta Societas. Sic concessit Paulus IV. *B. Ex Clementi* in Minorum fauorem edita Pius V. B. *Etsi mendicantium* de qua sæpiùs Gregorius XIII. Bulla 1. pro Minoribus, & Bulla 10. pro Cistercienfibus, & Bulla 13. 14. & 15. pro aliis Ordinibus, & Sixtus V. Bulla 14. 18. 19. & 20. prædictorum ordinum communicationem ad priuilegia Societatis IESV extendit. Sic Roder. tom. 1. QQ. regul. q. 55. art. 7. Ioan. de la Cruz de st. tu Relig. lib. 2. cap. 4. concl. 3. & alij.

PROPOSITIO VII.

COmmunicantur etiam priuilegia alicui Religioni concessa, cum hac clausula, *Ne aliqua alia Religio illis communicet.* At illa etiam quæ habent, vt subditi vti illis non possint; nisi à Generali facultas concedatur: sitque communicatio absque illo onere.

Partem primam propositionis Roder. tom. 1. q. 56. art. 17. & Ioan. de la Crux in Epitome priuilegiorum, lib. 2. cap. 4. §. 2. amplectuntur propter amplam confirmationem, & extensionem, à sequentibus Pontificibus factam, & præcipuè à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *Satis superque*, 1584. Ratio autem Roderici est, quia Generalis communicatio omnia complectitur: facta autem est communicatio huiusmodi, ergo &c.

Secundam propositionis partem sustinent Miranda tom. 2. q. 46. art. 5. ad finem, Rodericus tom. 1. q. 55. art. 17. § 2. Suares lib. 8. de Legib. cap. 17. Portel. verb. *Communicatio priuilegiorum*, & alio verb. *Priuilegiorum communicatio*, ac alij doctores; quæ propositio non dumtaxat vera est in illis priuilegiis quæ conceduntur Societati IESV, sed quæ aliis Ordinibus conceduntur: Sic præcitati doctores. Ratio autem huius propositionis est, quia quando priuilegia alicui Ordini à Pontificibus conceduntur, vnum considerari debet, videlicet vt illa priuilegia non sint contra illius Ordinis institutum, quod aliquando Pontifices exprimunt, aliquando verò non; attamen semper subintellectum volunt, ac propterea Gregorius XIV. determinauit, testibus Portel. verb. *Communic. priuileg.* & Roder. to. 1. qq. Reg. q. 55. art. 22. quòd Ordo, cuius obseruantiæ repugnat priuilegium alterius Ordinis, illo vti non potest: quæ determinatio rationi conformis est, quia Papa nunquam intendit priuilegia

concedendo, facere contra Ordinis illius institutum cui priuilegia impartitur, nec vult turbare, & peruertere subordinationem, quæ ex institutis reperitur in quibusdam ordinibus, quoad vsum priuilegiorum à sede Apostolica concessorum: vt v.g. in Societate IESV est constitutio specialis quoad hoc, quæ in aliis non reperitur: ergo sine dubio quod ex propria, & vt sic distinctiua ratione in dicta Societate ordinatum est, non est verisimile ad alias Religiones sine alia declaratione, vel necessitate extendi. Quod confirmatur, quia non solùm propria priuilegia, sed etiam aliarum Religionum indulta, communicantur Societati IESV, cum illa expressè restrictione, videlicet, *Dummodo instituto Societatis, & Præpositi, aut huiusmodi personarum deputatarum voluntati & beneplacito non refragentur*. Et huic similis clausula aliquando in priuilegiis exprimitur, quia limitatio (cùm non extendatur ad alias Religiones, quoad communicationem priuilegiorum cæterorum ordinum, vt constat) habebit dumtaxat locum in communicatione priuilegiorum ipsius Societatis, & aliarum quæ similem habent constitutionem restrictiuam. Accedit, quòd illa restrictio apposita est post concessionem priuilegiorum à Gregorio XIII. 1575. his verbis, *Vt videlicet non intelligantur concedi inferioribus singulis immediatè, sed mediante Præposito generali*, causamque addit Pontifex, *Propter instituti ipsius ab aliis religionibus diuersitatem*. Communicatio autem non fit declarationum seu restrictionum, sed priuilegiorum Societatis IESV.

PROPOSITIO VIII.

IN communicatione priuilegiorum non communicatur vsus, vel non vsus priuilegij, sed ius vtendi priuilegio.

Ratio est, quia per communicationem priuilegia Ordinum fiunt sic propria Ordini cui communicantur, ac si illi fuissent specialiter concessa, vt constat ex bullis communicationis; at cùm priuilegia alicui ordini specialiter conceduntur, conceditur ius illis vtendi: ergo & similiter per communicationes eorumdem. Ac ex consequenti, si priuilegiis sibi concessis aliquis Ordo non vtatur, non propterea communicantes illis priuilegiis, tenentur abstinere ab vsu illorum; sed possunt illis vti ac sibi specialiter concessis; quod similiter asserendum est, quando aliquis ordo amisit per Papæ sententiam sua priuilegia, posse communicantes illis vti, quoniam defectus vnius ordinis non potest præiudicare iuri aliorum ordinum. Sic tenent Rodericus, art. 19. Miranda art. 8. concl. 2. Ioannes de la Cruz, concl. 3. citati proposit. 5. & sexta & alij.

PROPOSITIO IX.

ORdines communicantes inuicem in priuilegiis possunt se defendere in vi priuilegij communicati contra Ordinem cui primo concessum fuerat.

Ratio est, quia Ordo communicans alterius Ordinis priuilegio, ita suum efficit, sicut si primò concessum sibi fuisset. Quod constat ex Compend. priuileg. Mendic. verb. *Communicatio priuilegiorum*, §. 12. 21. & 30. in quibus tres Pontifices tribus Ordinibus concesserunt, *Vt vtantur priuilegiis aliorum ordinum, ac si ipsis specialiter concessa fuissent*. Sic existimat Corduba in additione ad Compend. verb. citato, & Manuel. Rodericus 1. tom. q. 55. art. 21. Martinus à S. Iosepho in cap. 3. super Minor. Regula. n. 3. Miranda tom. 2. q. 46. art. 9. Portel ver. *Communic. priuileg.* qui bene aduertunt cum Corduba, hanc propositionem non intelligi de familiaribus & donatis Regularium, cùm eis specialiter & independenter non sint communicata priuilegia, sicut Regularibus. Nec obstat huic veritati, quòd priuilegiatus non possit vti suo priuilegio contra pariter priuilegiatum, quia illud axioma sic intelligitur, vide-

licet, quòd quando diuersæ personæ, aut communitates possident vnum & idem priuilegium, præfertur illa persona, aut communitas quæ actu indiget ad sui defensionem priuilegio, quia actualiter damnum patitur: & sic decernit Ius leg. vltima, vbi Bartol, ff. *Ex quibus causis*, & id notat Parladorius rerum quotidianarum, cap. 17. num. 28. allegando alios id etiam docentes. Sic similiter docet Abbas in cap. *Ad aures*, de præscrip. Couarr. in regul. possess. 2. p. §. 2. n. 4.

Ex quibus sequitur euidenter, quòd si verbi gratia Dominicani participant in aliquo Carmelitarum priuilegio illis 1. concesso, possunt se illo tueri aduersus Carmelitas, & reciprocè: ac etiam si Carmelitani illud spernerent, possent illo Dominicani legitimè & validè vti aduersus quoscumque. Si plura de materia communicationis desideres, lege citatos Rodericum & Mirandam cum Sorbo in Compend. priuileg. Mendic. & aliis compendiis eodem verb. specialiter Comp. priuileg. Fuliensium, non enim mea mens est, omnium recensere priuilegia, & priuilegiorum communicationes. De Materia autem huius propositionis poteris plura legere apud Ioannem Lomede de Exempt. cap. 10.



Digitized by Google



CAPVT IV.
DE QVIBVSDAM PRIVILEGIORVM QVALITATIBVS.

PROPOSITIO I.

PRIVILEGIA Regularium, specialiter quoad Prædicationes, Confessiones, & approbationes, & alia huiusmodi, de quibus inferiùs suis locis agetur, non sunt iam simpliciter priuilegia, sed iura quæsita.

Ius quæsitum nuncupatur ad distinctionem aliorum iurium, quæ iura imperfecta nuncupari possunt; quæsitum autem perfectionem denotat, vt videlicet huiusmodi ius sit incorporatum, ac etiam radicatum, vt docet Gomes cum vtriusque iuris peritis in Reg. cancell. *de non tollendo iure quæsito* quæst. 4. Ius autem quæsitum tripliciter potissimũ dicitur, aliud conditione, aliud ad tempus, & aliud absolutum & perpetuum, de quo vltimo nostra propositio pronunciatur, dum asserit priuilegia Regul. esse iura quæsita: quæ probatur primò quia priuilegia, Regular. sunt perfecta, cum sint absoluta & independentia ab ordinariis, & in perpetuum, & non ad tempus, concessa, ergo sunt iura quæsita. Secundo sunt incorporata & radicata in Regularibus; qui idcirco priuilegiati nuncupantur, quod satis ostendunt tot summorum Pontificum confirmationes. Tertio quoniam priuilegia illa verè iura quæsita sunt, quæ à Summo Pontifice legitimo iudicio, Ordinariis, aliisque partibus auditis, in Ius Canonicum relata sunt, aut vera & legitima regularium iura iudicata; adeò vt verè se dicere possint, habere potestatem eo modo, quo is qui in lite fundum, aut domum obtinuit sibi ante dono traditam, non mera concessione, sed optimo iure possidet: sed regulares fere omnia, saltem impugnata ab antiregularibus eo modo possident, vt constat multis Sententiis Pontificum, & Conciliorum, & præcipuè ex sententia per Bonifacium. Extra. *Super cathedram*, de Sepulturis, quæ licet correcta fuerit à Benedicto XI. tamen postea à Clemente V. Gallo, instante, & approbante Concilio generali Viennensi in Gallia, Philippo Lebel rege præsente & assentiente, per aliam Sententiam confirmata fuit, quæ Clementina *Dudum* appellatur. Ac sic cùm dicta priuilegia sint iura Regularium, sine grauissima causa non possunt auferri, prout concludunt Andræas Isernia cùm aliis doctoribus; & sic etiam tenet Ioannes Lomede Exempt. cap. 12. qui illius etiam est sententiæ quam fundat in eo quòd priuilegia sunt iura naturæ, iura quæsita, iura libertatis, iura realia, & gratiæ Principum: probatque ex multis Canonibus, ex Scriptura, & ex textibus Iuris ciuilis. Sic etiam sentit Rebuff. in Praxi benef. in reg. de non tollendo ius quęsit. Glossa sexta n. 13. & 14. & alij citati, Roderic. tom. 1. q. 6. art. 8. & Collotius lib. 8. de Regul. in Hierar. Iurisdict. cap. 22. Ratio est, *Quia ius quæsitum non licet Papæ tollere sine*

iuxta causæ, vt in Regulis Cancell. continetur; est enim ibi sermo de non tollendo iure quæsito, maximè si iura sint ærumnis, & laboribus acquisita, aut illis tamquam merces data. Qui autem ignorat, illa priuilegia, & ferè omnia alia, ne dicam omnia meritis & laboribus Regularium concessa esse, non legit diplomata quæ illa continent, & in quibus fundatur.

Quo circa in huius veritatis confirmationem tria initia illorum Diplomatum, ex aliis quamplurimis, sigillatim singulis Ordinibus concessis, selegimus. Primum est, ex Bulla Sixti IV. emanata 7. Calendas Augusti, 1489. commune dumtaxat Dominicanis, & Minoritis, tenoris sequentis, *Sixtus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri Prædicatorum & Minorum Fratrum ordines, instar duorum primorum fluminum, ac cœlestium voluptatum & amœnitatum Paradiso egredientium, sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ terram, ne mundanarum cupiditatum & vitiorum calore arescat, præclaræ doctrinæ virtuosorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis illam in dies fructuosam efficiunt. Hi sunt duo Seraphin qui in sublime contemplationis, & Seraphici amoris alis eleuati, terrenisque rebus abstracti, assiduo diuinarum laudum clamore, & immensorum beneficiorum humano generi à Summo Pontifice Deo exhibitorum declaratione, feruentissimis prædicationibus populos instruendos, & ad cœleste iter dirigendos, insistentes: multiplicata talenta eis credita à Domino Deo, mundo segetes, animarum scilicet Redemptoris nostri IESV CHRISTI pretiosi sanguinis effusione redemptarum copiosos in horrea sanctæ Ecclesiæ manipulos referunt. Hi sunt duæ tubæ per quos Dominus præcipit ad pabulum sacri Euangelij vniuersum populum assiduis prædicationibus aduocari, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & redderent sibi populum acceptabilem, & bonorum sectatorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, quos pro eorum amplissimis meritis, & vberrimis fructibus, quos in Dei Ecclesia continuò operantur præ cæteris, paterna charitate diligimus, nostræ considerationis intuitum dirigentes, illa eis libenter concedimus, &c.* Et postea: *Nos attenta meditatione pensantes, quantum vtilitatis ad exaltationem Christianæ fidei, & Euangelicæ veritatis, Ordinum prædictorum professores hactenus attulerunt, & afferre valeant, adiuuante Domino in futurum, ac propterea volentes, vt tenemur, &c,* Hæc Sixtus Pontifex.

Alterum reperitur in Bulla Pij V. sub datis 17. Calend. Iulij 1567. omnibus Mendicantibus commune, sequentis tenoris. *Pius Episcopus, seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam: Etsi Mendicantium Ordines, qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatum, summo semper studio, etiam dum in minoribus essemus, amplexi sumus: ad summi tamen Apostolatus apicem meritis licet imparibus, diuina fauente clementia assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eos propensiori charitate, & paterno affectu amplectamur; ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica Sede, cuius continuè pacem & dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia, quàm temporalia subsidia, ornamentaque susceperint, & accipiant; quibus & sancta sua officia, ac vitam suam Regularem faciliùs, atque expeditiùs exequi, & transigere possent: & cæteræ Religiosæ personæ, ordinesque alij, exemplo ipsorum promptiores, alacrioresque ad sua officia persoluenda reddantur, &c.* Hæc Pius V.

Tertium accipitur ex Bulla Vrbani VIII. tenoris sequentis, *Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam, In specula militantis Ecclesiæ, nullo licet meritorum suffragio, diuina dispositione constituti, & attentè considerantes sacros Regularium Ordines, tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulisse, vt ad eas conseruandas & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint.* Sic Pontifex ille maximus.

Videas præmissis similia in concessionibus priuilegiorum Societatis IESV, Bulla quæ incipit, *Licet debitum,* à Paulo III. expedita, & Carmelitarum Discalceatorum bulla quæ incipit, *Cùm dudum*, à Clemente VIII. emanata, & præcipuè illam Alexandri IV. in fauorem Prædicatorum & Minorum, cuius initium est *Patris æterni Benignitas*: quod etiam declaratum habetur in quodam decreto à sacra Congreg. negotijs Episcoporum, & regularium præposita ad Archiepiscopum Mexicanum 1616. in fauorem Dominicanorum, Minorum, & Augustiniensium directo his verbis: *Quo circa illustrissimi patres has litteras ad amplitudinem tuam dari iusserunt, quibus ei iniungunt, vt priuilegia ab Apostolica sede prædictis fratribus concessa, nullatenus violare, aut aliqua ex parte posthac imminuere tentet; cùm illi ob multos in Christiana religione in istis*

regnis perpessos labores, de Apostolica sede optimè meriti teneantur. Hac igitur exequetur amplitudo tua.

Ex quibus omnibus, luce meridiana manifestiùs constat, hos tres Pontifices põtissimum merita & labores Regularium pro Ecclesia insumptos, priuilegiorum à Sede Apostolica concessorum causas existimasse; quibus ita existentibus, censendum non est, Pontificem suis Literis & Bullis velle priuare Regulares suo illo iure quæsito, etiamsi clausulam reuocatoriam generalem priuilegiorum Regularium adhibeat: cap. *si is qui* de præbend. in 8. vt tenent Roder. tom. 1. q. 9. art. 6. Mandos. in 13. regula Cancellar. quæst. 8, num. 6. & in Regula 11. de Reuocat. quæst. 13. nu. 6. & seqq. Bursat. tom. 2. concl. 136. n. 77. & multi alij, vt pluries in decursu huius operis dicetur; imò si apponat clausulam specificè, & in indiuiduo derogatoriam, non debet æstimari Papam velle huiusmodi derogari priuilegiis quod apertè Vrbanus VIII. declarauit, dum regulam seruandam dedit, qua ius quæsitum ab aliquo, nisi prius audito, nullatenus etiam per Bullam tolli, sine illius regulæ clausula derogatoria, de qua alibi, quæ regula fundata *est in iure* cap. *quod verò dicitur* 25. q. 2. cap. *peruenit*. 11. q. 1. cap. *licet de offic.* ordin. & cap. *dilecti* de verb. sign. in quibus dicitur quod numquam per sua rescripta intendit Papa iuri alterius derogare; vnde rescripta huiusmodi interpretanda sunt iuxta canonistas etiam cum improprietate verborum, licet illa rescripta sint motu proprio edita, & agatur tantùm de modico præiudicio. Quocirca quotiescumque exeunt Literæ Apostolicæ, dictorum priuilegiorum absque iusta causa priuatiuæ seu reuocatiuæ, æstimari debent subreptitiæ, & pro non emanatis cum reuerentia haberi. Quòd si in vi illarum ab Ordinariis, aut alio quouis modo grauentur, & appellationi ad Papam interpositæ non deferant, aut credant non delaturos possunt licitè ad Regem, aut ad Senatum supremum recurrere, quatenus grauamen auferat, donec Pontifex sententiam tulerit: vt tenent doctiss. Franciscus Salgado de Samora, cùm aliis quos allegat tractatu de Regia Protect. 1. part. cap. 1. per totum, Ioannes de Castillo in Tract. de hac materia, cap. 41. à n. 163. Hunc recursum in hac materia sustinere coguntur, qui sententiæ de retentione Literarum Apostolicarum per Reges & supremos Principes legitimè facienda subscripserunt, & confirmatur: quoniam non est credibile pontificem velle facere aliquid quod non deceat, & quod sit peccatum, faceret autem pontifex, quod non decet, & peccaret, si priuilegia non dico tantùm, quæ iura; sunt quæsita, sed etiam alia quæ non sunt talia, sine ratione reuocaret, iuxta capi *decet* quod vult, vt priuilegium debeat esse stabile de Regul. iuris in 6o. & iuris peritos, vt habetur in floribus legum, asserentes priuilegia perpetua firmitate constare debere; cùm non deceat principem sine causa mutare voluntatem. Sic Archangel. Roman. lib. 2. de priuileg. citans Bonaccinam in tract. de priuileg. citantem Suarium & alios.

PROPOSITIO II.

Priuilegiorum Regularium dubia in eorum fauorem sunt interpretanda, nec quis iuridicam illorum interpretationem dare potest, nisi vel Papa, vel eorumdem superiores.

Probatur propositio quoad primam partem ex Cardinali in Clement. *Archiepiscopo. §. Si tamen.* nu 2. & 3. vbi asserit, quòd exemptis & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur. Ergo iuxta illum, cùm nullum dubium exprimat aliquid contrarium priuilegio, dubio aliquò interueniente, in fauorem priuilegij est interpretandum & concludendum: quod confirmatur ex concessione Alexandri VI. facta congregationi Benedictinorum Vallisoleti, sub datis Romæ Calendis Aprilis 1501. vt habetur in Compend. priuileg. Societ. IESV §. 4. his verbis, *Sic, vt quando dubium fuerit in intellectu priuilegiorum Regularium, semper per Iurisperitos & alios iudices, in fauorem Regularium fiat interpretatio:* Ita Roder. tom.

2. q. 633. art. 7. Portel. verb. *Priuilegiorum declaratio*, n. 76. Auctor. compend. priuileg. Societ. IESV, §. 4. ex quibus concludo, quòd quando sunt duæ ſententiæ contrariæ, quòd valeat, aut non valeat priuilegium, quod ſit reuocatum, vel non, cenſendum valere, & non eſſe reuocatum.

Probatur propoſitio quoad ſecundam partem ex cap. *Cùm veniſſent*, de Iudic. vbi Innocent. III. ſic loquitur, *Cùm ſuper priuilegiis ſedis Apoſtolicæ cauſa verſatur, nolumus de ipſis per alios iudicari*: quia ad eum pertinet legem, & priuilegium interpretari, ad quem pertinet legem condere. Idemque declarauit Clemens IV. vt habetur in Comp. priuileg. Mendicantium, verb. *Priuilegia* §. 5. *his verbis* deſumptis ex ipſius Bulla inchoata *Ordinis veſtri* in Generalium, & fratrum Ordinum Prædicatorum & Minorum fauorem edita, *Clemens IV. inhibuit diſtrictius omnibus Eccleſiarum Prælatis, ne interpretari præſumant priuilegia & indulta conceſſa Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, ſiue clara, quæ interpretatione non indigent, ſiue dubia contineant: & voluit, quòd interpretatio ſuper huiuſmodi dubiis, & obſcuris, reſeruetur Sedi Apoſtolicæ, cùm eius ſit interpretari, cuius eſt concedere.* Sic Clemens. Quod non ſolùm certum eſt de priuilegiis Regularium, ſed in vniuerſum de priuilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis, vt cauſa 25. q. 1. diffinitur his verbis. *Ipſi namque ſoli valent canones interpretari, qui ius condendi eos habent.* In quem textum ſic loquitur Hugo, *Magiſtri & Doctores valent Apoſtolica priuilegia interpretari, ſed interpretationes eorum non coguntur iudices obſeruare in foro iudiciario, ſecus autem de interpretatione Pontificis Romani, cuius interpretationem iudices coguntur obſeruare, & Magiſtri coguntur in ſcholis docere & prædicare.* Poſſunt tamen alij illa interpretari ex Papæ delegatione, vt poſſunt Cardinales congregationis Concilij ex Sixti V. conſtitutione, relata à Roderico qq. Regular. tom. 1. quæſt. 11. art. 2. his verbis. *Eorum quidem decretorum quæ ad fidei dogmata pertinent interpretationem nobis ipſis reſeruamus, Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, ſi quando in his quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis iudicus, aliis huiuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas, aut difficultas emerſerint, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impertimur.*

Quoad tertiam partem, videlicet poſſe etiam illud facere Generales Ordinum in ſuis quoſque ordinibus, ex conceſſione Clementis VII. Tertiarijs facta, quæ habetur B. *Ad vberes* verbis ſequentibus *Ipſeque viſitator, & nullus alius ipſius ordinis quæcumque dubia in ordine, Regula, conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, & omnibus, & ſingulis aliis præmiſſis, & infra ſcriptis, pro tempore occurentia interpretari, declarare, iudicare, & decidere valeant*: hanc facultatem etiam conceſſerat Iul. II. Generali ordinis Fratrum Prædicat. B. *Conſiderantes* quam nos quoque extendimus ad omnes Prælatos reſpectiuè ad ſubditos in foro conſcientiæ in omnibus dubiis tum priuilegiorum, tum regulæ, tum aliarum legum, & huiuſmodi interpretationi debent acquieſcere ſcrupuloſi Regulares ex conceſſione Leonis X. quæ habetur inter viuæ vocis oracula n. 61. qua poſſunt vti, in locis in quibus Bullæ Greg. XV. & Vrbani VIII. ſuperiùs memoratæ non fuerunt publicatæ: verum eadem facultate vti poſſe priuilegio hoc Leonis ſecluſo tenent D. Thomas & Caietanus 2. 2. q. 147. art. 4. necnon etiam Nauarrus in Manuali cap. 21. num. 22. Archang. Roman. de priuilegiis. Verb. priuileg. & alij qui hanc facultatem à iure illis conceſſam affirmant.

CAPVT



CAPVT V.
DE PRIVILEGIORVM STABILITATE.

PROPOSITIO I.

REGVLARIVM priuilegia non amittuntur per non vſum, niſi legitimum tempus cucurrerit ad præſcriptionem, quæ ferè eſt impoſſibilis.

Prima pars propoſitionis eſt omnium Doctorum communis, de qua videatur Sllucſter verb. *Priuileg.* Confectius in Summario priuileg. cap. 3. Miranda in Manuali, q. 42. art. 4. & confirmatur ex Gloſſa in cap. *Abbat.* de verb. ſignificat. & ex cap. *Cùm acceſſiſſent*, de conſtitut. in fine, vbi, & ad hoc propoſitum afferuntur ſequentes verſus,

Priuatam legem tollit contrarius actus.
Si perſonalis; ſed ſi patet eſſe realis,
Tunc non perdetur, niſi præſcripſiſſe probetur.

Sic etiam tenet Panormitanus in idem cap. *Cùm acceſſiſſent*, & alij. Et de hac parte propoſitionibus non apparet dubitandi ratio.

Duplex eſt autem non vſus, in priuilegio reali, alius priuatiuus, alius contrarius: priuatiuus eſt cùm quis priuilegio voluntariè non vtitur: contrarius cùm non ſolum quis non vtitur priuilegio; ſed etiam operatur quid contrarium eidem: vt præſcriptio fiat non vſu priuatiuo, tres conditiones iuxtà communem doctorum ex ſententia Portel. verb. *Priuilegij non vſus* requiruntur prima vt oblata fuerit occaſio vtendi priuilegio, & non vtatur. 2. vt detur ſcientia talis priuilegij. 3. vt detur potentia illo vtendi, ideſt non detur impedimentum. Vt autem præſcriptio fiat per non vſum contrarium requiritur, vt fiat non à quodam priuato: etiamſi ſit verbi gratia vnum monaſterium aut plura, ſed requiritur vt ſit verbi gratia totus ordo, cuius illud monaſterium, aut plura ſunt, vt cenſet citatus Portel. cum doctoribus, quos citat, & Marcellin. à S. Bened. in notabilib. verb. priuileg. cum doctoribus, quos allegat.

Petes quomodo hæc verba, *quatenus ſunt in vſu* ſolita apponi in quibuſdam confirmationibus priuilegiorum intelligantur. Reſpondetur primo poſſe ſic intelligi *ſi contra illa non eſt præſcriptum ſpatio infra ponendo:* ſecundo *modo quo ſunt in vſu* ita vt ſi vna pars priuilegij ſit in vſu, & altera non, illa quæ eſt in vſu, confirmatur, altera non: vel tertio ſi contra priuilegia quæ modo ſunt in vſu ſint tranſacti aliqui anni incipientes præſcriptionem talis, priuilegia denuò incipiant à tali confirmatione, ac ſi denuò confirmarentur. Sic citatus Portel. cum aliis, quos citat; verum non multum curandum eſt de vſu aut non vſu priuilegiorum; cum abſolutè, & ex certa ſcientia ſint confirmata, vt alibi diximus.

Secunda pars propoſitionis probatur ex B. Eugen. IV. *Ex Apoſtolicæ ſedis* in qua ſic habetur *ſtatuimus & ſancimus, vt ſicut contra Romanam Eccleſiam non niſi centenaria currit præſcriptio ſecundum conſtitutiones canonicas, & legitimas ſanctiones: ita quoque prædicto Mo-*

nasterio, videlicet S. Pauli extra muros, cum quo alia Monasteria Regularium communicant, sicut etiam &c. Regulares, *minoris temporis præscriptio non obsistat*: sic etiam antea concessum fuerat ab Honorio III. & Greg. IX. in fauorem bonorum, personarum, & locorum Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris Lateranens. vt habetur in lib. priuileg. eiusdem pag. 128. & 145. idem priuilegium relatum à Baronio tomo 11. pag. 636. anteà concesserat Vrban. II, 169. cuidam Monasterio S. Trinitatis: sic etiam post ipsum Leo X. Camaldulensibus Bulla ab Archang. Romano citata verb. *præscribere* edita anno 1513. quæ cùm ab ipso dicatur 2. incipit iuxta ordinem Bullarum Cherubini: *etsi à summo*, cum eorum ordini concessit, ne contra illorum Monasteria, bona & personas, tam in præteritum quàm in futurum præscriberetur, nisi post lapsum 60. annorum: & eo tempore elapso inciperet præscriptio 40. annorum, quibus elapsis, tunc fieret, ac ex consequenti post 100. annos, & non antea, sic dictus Archang. qui ait ante illos 100. annos elapsos non posse Regulares in iudicio molestari, cum stet. Alexand. VI. constitutio præfati priuilegij Eugen. confirmatiua, & ad alia Monasteria eiusdem ordinis extensa, ac etiam, altera Paul. III. pro eisdem similiter qua id priuilegium confirmauit, ac de nouo concessit B. *Benignitas sedis Apostolicæ* denique auxit illud priuilegium Clem. VIII. in fauorem Carmelitarum discalceatorum B. *Romanum Pontificem.* dum præeminentiam & prærogatiuam illorum nullo modo decursu temporis, vel alio præscriptionis modo amitti decernit. Nec hoc priuilegium est nouum, cum antiquitus omnes Ecclesiæ illo potirentur, vt docet Flauius Cherub. eod. tomo primo comp. Bulla *Sedis Apostolicæ* Honorij III. edita: hanc autem sententiam quod lapsus 100. annorum requiratur ad præscriptionem aduersus regularium priuilegia tenent citatus Cherubin. B. 15. Pauli III.

Marcellinus à S. Benedicto in Comp. priuilegiorum. Fuliensium, Portel. verbo *Præscribere*, & verb. *Priuileg.* Diana tractatu 2. de Dubiis Regul. resolutione 88. & Ioan. de la Cruz de Statu Religio. libro 2. capite 3 dubio. 2. conclusione 2. Et certè cùm hæc præscriptio requirat tam longum temporis tractum, impossibile esset illum probare, & sic Regulares à iure priuilegiorum suorum excludere; deinde etsi probaretur, quòd priuilegiorum antedictorum non vsus esset centum annorum, quomodo probaretur, quòd in præscribentibus fuisset semper scientia priuilegiorum & voluntas illis non vtendi quæ sunt duæ conditiones iuxta doctores ad præscriptionem requisitę ex cap. *Si de terra* de priuileg. cum hoc videatur moraliter impossibile. Adiungitur, quòd Pontifices suo zelo impediunt huiusmodi præscriptionem, cùm singuli vt plurimùm priuilegia Mendicantium confirment. Sic Marcell. à S. Bened. verb *priuileg. in notabilibus* Confectius summar. priuileg. mendic. Bulla aurea & Portel. in altera parte proposit. citatus.

PROPOSITIO II.

NOn licet, Regularibus sine nullitate facti renunciare priuilegiis sui Ordinis, quamuis possint personalibus renunciare.

Hæc propositio est Confectij de Regul. exemptione, Henriques cum cæteris, quos citat lib. 7. de Indulg. cap. 15. & Portel. verb. *Priuileg.* Quam propositionem etiam probat. Ioan. Lomede tract. de Exempt. Ecclesiast. cap. 2. nu. 4. ratio autem illius est, quia non solùm ius exempti, sed etiam ius illius superioris, qui priuilegium concessit, tangitur, & alter, altero inuito, beneficio & priuilegio renunciare non potest: quod etiam 2. probatur, quia priuilegia non sunt concessa in vtilitatem priuatam, sed publicam Ecclesiæ aut Religionum, & Ordinum; priuatus autem non potest nocere publico bono per suum solum consensum, nisi interueniat consensus priuilegiantis: quod Glossa super cap. *Si diligenti*, de Foro compet. vbi hæc verba ponuntur. *Sic ergo patet, quòd priuatorum pacto iuri publico non derogatur.* Quod confirmatur ex ff. de Pactis, l. *Ius publicum*, vbi habetur, *Ius publicum priuatorum pactis mutari non potest.* Quod iterum confirmatur cap. *Contingit*, de Sententia excomm. in

Digitized by Google

quo refertur, quòd cum quidam Ecclesiastici aliquos laïcos offendissent, conue-
nerunt eo pacto, vt à laïcis triginta percussionibus fustium ferirentur, quo facto
rogatus Papa, si percussor incurrisset in pœnam canonis, *Si quis suadente &c.* Res-
pondit *quòd sic*; cuius responsi rationem reddit Glossa, *Quia ius publicum nemo remit-
tere potest aliquibus pactionibus*: vt dicitur ff. *de Administratione tutorum.* L. *Ita* §. *Iulianus*;
& L. 2. vbi ratio legis affertur, *Quia ius publicum nemo remittere potest aliquibus pactio-
nibus* vt dicitur ff. *de Administratione tutorum.* L. *Ita.* §. *Iulianus*: & L. 2. vbi ratio legis
affertur, *Quia nemo potest in suo testamento cauere, ne leges in eodem locum habeant*, & Cód.
de Iureiurand. propter calumniam L. vltima asseritur, *Quòd litigantes non possunt vti
collusione, & iuramentum sibi mutuò remittere; fingendo iurasse, cùm non iurauerint*, reddit-
que rationem Imperator, *Quia non commodo priuatorum, sed pro communi vtilitate præsen-
tem legem posuimus.* Quod etiam Innocentius III. cap. *Cum tempore*, de Arbitris, scri-
bens cuidam Abbati, qui priuilegiis renunciauerat, apertè ostendit, dicens, *Cùm
etsi spontè volueris, de iure tamen nequiueras sine licentia Romani Pontificis renunciare priui-
legiis.* Idem probat. cap. 5. *Subiecta*, de Re iudicata. 3. Quia priuilegia non debent
dici lex tantùm permittens, sed etiam præcipiens: vt tenent Confectius tract. de
Regul. exempt. Henriquez cum cæteris, quos citat lib. 7. de Indulg. cap. 15. &
Portel verbo, *Priuileg. vsus*, & consequenter Regularis non potest renunciare pri-
uilegio sine graui peccato mortali, cùm faciat contra præceptum in re graui, renun-
ciando iuri, quod suum non est, nec vnius Prouinciæ dumtaxat, sed totius Ordi-
nis, Ecclesiæ, & Pontificis.

Nec obstat 1. huic sententiæ axioma tritum, videlicet, quòd quis potest priuilegio
renunciare, quia illud de priuilegio intelligitur, aut de renunciatione priuilegij
communitati concessi, quando fit de ipsius superioris concedentis consensu.

Non obstant 2. capita. *Si de Terra*, & *Accedentibus*, de Arbitris, & capita, *Ad Apo-
stolicam*, & *Statuimus*, de Regularibus. 1 Quoniam illa duo prima capita loquuntur
de decimis, & alia duo posteriora, loquuntur de professione ante annum comple-
tum in probatione & receptione habitus regularis; in quibus casibus data erat li-
bertas renunciandi priuilegiis. 2. Quoniam illa priuilegia erant aut personalia, vt
pote ad personas Nouitiorum spectantia, aut quasi personalia, cùm ad loca, seu
Monasteria priuata tantùm pertinerent, nec hæc renunciatio in præiudicium tertij
cedebat; quo circa illis temporibus, 1. non vsu annorum 30. & postea annorum 40.
priuilegium amittebatur, secus autem de priuilegio quod cadebat in damnum ter-
tij: vt ostendetur alibi.

Ex quibus manifestè constat, vltra modum decipi illos Ordinarios, dum in appro-
bationibus Regularium, iuramenta, renunciationes, & subscriptiones postulant, &
extorquent, alioquin illos non approbaturi; nec minùs etiam falli, dum quasdam
subscriptiones Superiorum domorum Regularium Lutetiæ Parisiorum coram
Eminentissimo Cardinali *de Richelieu* factas producunt, & exhibent, per quas pau-
cis quibusdam priuilegiis Regularibus aliquo modo derogabant, data spe ratiha-
bitationis aliorum superiorum. Falluntur, inquam, quia præter quod hæc omnia
sunt contra præcedentia iura, ponderandum est, quòd sicut Clericus non potest se
subiicere alicui Episcopo sine proprij licentia, nec renunciare priuilegio Clericali,
& se subiicere sæculari iudicio, sine licentia Papæ, cui hæc subiectio & renuntiatio
est iniuriosa: sic Regularis non potest suis priuilegiis, quibuslibet renunciationibus
& subscriptionibus cedere, sine grauis iniuriæ, in Ecclesiam, Summum Pontificem
& statum Regularem irrogatione; ac ex consequenti grauiter peccant Ordinarij
inducentes Regulares ad prædicta, quæ facere minimè possunt sine graui peccato:
cum aliundè eisdem ordinariis, illos ad id cogere prohibitum sit multis constitu-
tionibus Apostolicis, maximè Mari magno Carmelitarum, §. 99. & in vniuersum
omnibus causa 22. q. 5. cap. *Si quandoque* 15. qu. 6. *in quo sic pronunciat Alexander: si quan-
doque à Sacerdotibus & auctoribus &c. Ecclesiæ, quædam scripturæ quoquo modo per malum
aut fraudem aut per vim extortæ fuerint, vel vt se liberare possint quocumque ab eis conscriptæ,
aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium valere censemus &c.* cuius decreti
rationes affert, & inter illas hanc *pessimum enim est de suspicione aut extorta confessione
quemquam iudicare &c.*

Digitized by Google

Tertio quia Eugenius IV. renunciationi huiusmodi obicem ponit in priuilegio concesso Congregationi S. Iustinæ, ac ex consequenti Mendicantibus, Bulla inchoata, *Etsi ex debito*, his verbis, *Et si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus, contra huiusmodi, aut quæcumque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates, præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, vel alia quauis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium decretis, priuilegijs, indultis, & gratijs volumus generari, sed in suo vigore & robore volumus permanere*. Hæc ex Eugenio IV.

Quibus insuper addo, quòd licet prædicti Eugenij priuilegium non extaret, alia quæ referuntur à Ioanne de la Cruz in Summario priuileg. Maris magni, titulo decimo, capitulo primo, de Pactis Regularium extra ordinem initis, obstarent, saltem quoad Regularium loca: cuius verba, quoniam relatu digna, refero tenoris sequentis: *Quamuis olim de iure etiam communi pacta, conuentiones, & transactiones per Fratres Prædicatores & Minores, aliosque Mendicantes, eorumque Prouinciales, Priores, Guardianos, aliosque officiales, cum Prælatis, Capitulis, Rectoribus, & personis Ecclesiarum, Ciuitatum, Castrorum, Villarum, & locorum super iuribus Parochialibus, vel alijs quibuscumque articulis ab eis, vel eorum antecessoribus initæ, siue factæ, dum tamen aliàs essent licitæ, & honestæ, tenerentur, & ad illas seruandas ipsi Fratres compellerentur, etiamsi contra ordinis priuilegium concordatæ essent: cùm per pacta prædicta Indultis derogatum esse censeretur. Hodie tamen per priuilegium Alexandri IV. Iulij II. & Honorij IV.* (cuius vltimi bulla in suo originali in archiuiis FF. Dominicanorum conuentus Burdigalensis seruatur) *confirmata, & innouata declaratur, vt compositiones & pacta huiusmodi obligationibus interpositis, atque conditionibus à dictis super locis ad ordinem pertinentibus per prædictos Regulares absque licentia, & assensu totius eiusdem Ordinis Generalis inita, seu per ipsum Generalem ratificata, aut in capitulo generali recepta, & approbata, & confirmata non fuerint, minimè valeant, ac etiam super illorum nullitate declarandi ipsi Generali per priuilegium Iulii II. facultas traditur. Quibus quidem non obstat decretum Bonifacij VIII. suprà allegatum, & constitutio Leonis X. in Concilio Lateranensi edita, cùm & per Iulium III. Paulum II. Gregorium VIII. & Sixtum V. non solùm illis, sed etiam consuetudinibus, quibuscumque, ac omnibus aliis in contrarium, etiam per ipsos Regulares seruatis, fuit, & est expressè derogatum*, sic prædictus Ioan. de la Cruz. Quo circa si quis in huiusmodi pactis & conuentionibus contra dicta priuilegia iuramentum adhibuerit, perperàm aget, si iuramentum obseruet, vt habetur cap. *Si diligenti*, de Foro competenti, in quo Innocentius III. sic pronunciat, *Cùm non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui priuatorum pacto derogari non potest, nec iuramentum licitè seruari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur*: Hæc Pontifex.

PROPOSITIO III.

Priuilegia Regularium nullo delicto, seu abusu, ipso facto aboleri possunt, nisi Superioris accedat sententia.

Licet enim Glossa cap. *Cùm & plantare*, de priuileg. dicat absolutè per abusum, & per delictum aboleri priuilegium: & Ius canonicum asserat, *Priuilegium omninò mereri amittere, qui permissa sibi abutitur libertate*. Propositio tamen certa est, & Doctorum sententia firmatur, quæ asserit, pœnam non incurri, nisi per iudicis sententiam. Cùm igitur priuatio priuilegij sit pœna, iudicis sententia requiritur: non Ordinarij, seu Episcopi, sed supremi Pontificis, qui iudex est Exemptorum. Et sic etiam explicanda venit sententia Augustini Serm. 247. de Tempore, *Iudicio legum iure ab obtenta dignitate deiici, qui priuilegio sibi concesso abutitur*: sacri autem canones Alexandri III. in Concil. Lateran. qui in contrarium possent adduci, non priuationes actuales, sed minas priuationis priuilegiorum in futurum dumtaxat continent, vt verba sequentia, *Priuilegia decurtabimus*, & verb. *Ordinationes noueris auferendas*, ostendunt.

PROPOSITIO IV.

Sola reuocatione, vel sententia Pontificis, priuilegia Regularium amittuntur.

Hęc propositio quantum ad 1. partem ex præcedentibus constat, si enim regulares non possint priuilegijs renunciare; nec delicto, abusu, aut lapsu temporis aboleantur, cùm 100. anni requirantur, in quibus de suis priuilegijs conseruandis scienter non curent, sola proculdubio reuocatione, aut Pontificis sententiâ amittuntur. Quod vt meliùs intelligatur, Notandum est, maximam differentiam reperiri inter priuilegia concessa à Regibus, & concessa à Summis Pontificibus; nam illa possunt aliquando à Regibus reuocari, aliquando verò non; possunt quidem reuocari, si sint simpliciter gratiosa; non possunt, quando concessa sunt non subditis propter bene merita, & publicum bonum, nempè pro obsequijs seu seruitijs: vt tenent Portocarrerus in Allegat. pro Iurisdict. sanctæ Inquisit. num. 44. Baldus in leg. *Quæ ex relationibus*, notabili 3. Cod. de leg. Curtius Iunior Concil. 144. nu. 4. Decius Concil. 186. nu 4. Roman Concil. 436. n. 14. Gonzales in Regul. 8. Cancell. Glossa 18. n. 23. Diana 4. part. tract. 1. de Immunit. Eccle. resolut. 82. & Basilius Pontius, Suares, & alij, quos ipse Diana citat, & confirmat ex plurimis Doctoribus, & ratione, quæ talis est. Nam priuilegium concessum postquam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in ius: ergo Reges possunt à principio priuilegium non subditis concedere, sed semel concessum non possunt ampliùs reuocare. Quod adhuc alia ratione confirmatur; nam priuilegium huiusmodi transit in naturam contractus, quem Reges non possunt reuucare, obligantur enim ad contractum initum, sicut cæteri homines.

At verò Pontifices possunt huiusmodi priuilegia concessa omnibus Christianis reuocare, ac ex consequenti Regularibus concessa; ratio est, quia omnes Christiani, & maximè Regulares, sunt subditi Ponrificibus: ac proinde cùm priuilegium subditis concessum possit reuocari, possunt Pontifices dicta priuilegia Regularium absolutè reuocare. Dixi absolutè, quoniam Pontifices concessum priuilegium ob bene merita, & labores, aut quod se habet vt ius quæsitum, reuocantes, sine dubio peccarent, nisi grauissima ratione ad reuocandum mouerentur. Ac sic tenet citatus Diana cum Bonacina in Bulla Cœnæ, disput. 1. q. 15. punct. 4. §. 1. nu. 6. & aliis.

Lex autem continens reuocationem quorumuis priuilegiorum sæcularium, aut sententiam, debet iuridicè promulgari, ira vt de illa constet priuilegiato, alioquin manent firma priuilegia, vt est communis sententia, quam tenent Suares lib. 8. de legib. cap. 40. n. 3. 4. 5. Valent. tomo. 2. disput. 7. q. 5. p. 5. Azor. lib. 5. cap. 3. q. 6. Portel. verb. *Priuileg. reuocatio*, & alij infra citandi. Excipe reuocationem quæ fit anno Iubilæi, quæ extat in iure communi, estque potius suspensio ad annum, quam reuocatio, quoniam illo elapso statim redeunt indulgentiæ: hæc autem promulgatio, & certificatio reuocationis, debet fieri non tantùm in Prouincia in qua sunt priuilegiati; sed etiam in Diœcesi. Sic Siluius verb. *Gratia*, Geminianus titulo de concess. præbend. in 6. Sotus 1. de Iustit. quæst 2. art. 4. Armilla verb. *Gratia*, Medina 1. 2. quæst. 90. art. 4. Roderic. QQ. Regul. tom. 1. q. 21. art. 10. & alij. Et hæc dicta sint de reuocatione priuilegiorum in communi, in qua hæc forma est seruanda: sed præter hanc in reuocatione priuilegiorum Regularium, alia forma est penitùs obseruanda, alioquin nulla reuocatio vt in seq. propositione ostendetur.

PROPOSITIO V.

Priuilegia Regularium non reuocantur per generalem reuocationem priuilegiorum, licet apponantur verba generalia & geminata, vt, *priuilegijs in contrarium penitus derogatis & exclusis*; nec reuocatio quælibet valet, nisi regularibus iuridicè intimetur.

Digitized by Google

Prima propositionis pars, quòd non sufficiat clausula generalis reuocatoria, etiam geminata, constat ex Mari magno Minorum, & ex concessione Eugen. IV. facta Prædicatoribus per bullam; & eiusdem Eugenij & Leonis X. priuilegio concesso Benedictinis, de quibus Compendium priuileg. Mendic. Cisterc. & Societatis IESV: in quibus habetur, *quòd non possit derogari illorum priuilegiis*, &c. *nisi de ipsorum Ordine, & de huiusmodi litteris fiat de verbo ad verbum expressa mentio.* Sic Roder. cum ijs quos citat tom. 1. QQ. RR. art. 6. & Archand. Roman. de Priuileg. Relig. lib. 1. cap. 13. approbato & impresso Romæ 1643. Mendoſ. in Reg. cancell. 13. q. 8. n. 6. & alibi. Bursat. tom. 2. concl. 136. n. 77. & Marcell. qui addit lib. 5. instit. moral. cap. 16. quæst. 7. cum Siluest. verb. lex. quæst. 26. § *tertio tollitur*, quod hæc doctrina debet intelligi etiamsi priuilegia Regularium non habeant clausulam derogantem, & alij. Quibus accedit, quod priuilegia Regularium quandam excellentiam sortiuntur, ob quam expressior *generali* requiritur reuocatio: quoniam duplex est genus priuilegij; vnum quod priuatis conceditur, & est odium Iuris; alterum, quod à Principe conceditur in perpetuum in bonum alicuius communitatis, aut Ordinis Regularis, & hoc æquatur legi, ac si insertum esset in corpore Iuris; & tanquam fauor est amplè interpretandum: Vt docent Oldradus concil. 30. in Compend. priuileg. Minor. tit. *Priuileg.* in fine: D. Thom. opuscul. contra impugnantes Relig. cap. 64. colum. penult. Iason in C. fin. num. 19. & 20. ff. de Constit. & Marcellin. à S. Benedicto verb. Priuilegia in notabilibus. Imo posito quod aliqua forent per Tridentinum reuocata: attamen ea priuilegia, quæ in corpore Iuris inserta sunt, non censentur reuocata, vt constat ex praxi contraria decreto Concil. Trident. cap. 10. sess. 23. in quo reuocat priuilegia Abbatibus concessa conferendi Ordines Minores, qui tamen illos conferunt, cùm Iure communi illam facultatem habeant, cap. *Cùm contingat*, de ætat. & qualitat & cap. *Abbat.* de Priuilegiis in 6. & ita practicari testatur Sanches, tom. 2. consil. cap. 1. dub. 39. n. 20. Quocirca priuilegia Regularium se habent vt priuilegia in corpore Iuris inserta, & sicut in his priuilegium posterius non reuocat illud, quod est corpore Iuris insertum, sic etiam in his non reuocat, vt docent Felinus in cap. *Nonnulli*, de Rescriptis. Horat. Mendoſ. de Priuileg. ad instar, Glossa 14. Henriques, lib. 7. cap. 22. n. 3. quod etiam sic intelligendum, licet Papa in reuocatione priuilegiorum Regularium addat clausulam reuocatoriam, *Tenores pro expressis habentes.* Quoniam hæc clausula derogat tantùm anterioribus priuilegijs, quę tantùm in odium Iuris conceduntur priuatis personis, aut vni dumtaxat Monasterio, vt tenent citatus Henriq. Gabriel. tit. de Clausula, consil. 5. §. 15. Gomes Sarnensis in Reg. Canc. 1. & 6. n. 8. & Marcellin. à S. Benedicto citatus. Hic autem aduertas velim, quòd si dubium existeret, num priuilegium esset reuocatum, necne, censendum non esse reuocatum, vt docet Parisius, lib 2. consil. 61. n. vlt. Alciatus respons. 19. n. 4. & alij, quos citat & sequitur Anton. Sanctarellus in variis resolut. tom. 1. q. 16. n. 11. sic etiam Diana tract. 3. de consc. dub. resol. 61.

Adde præmissis, quòd tantùm abest quòd prædicta reuocatio generalis Priuilegia Regularium reuocet; quin imò illa confirmat, vt manifestè constat ex Bulla Vrbani VIII. in fauorem Congregationis S. Mauri edita 1627. cuius initium: *In supereminenti* in qua hæc verba habentur: *Neque sub quibuscumque similium, vel dissimilium, gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis quibuscumque dispositionibus, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis: ac cum quibusuis clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis pro tempore quomodolibet factis comprehendi & confundi, sed ab illis semper perpetuò excipi: & quoties illa emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de nouo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse & fore &c.* quid clarius? Auget ius priuilegiorum Militum S. Ioann. Hierof. Clemens VII. *Clementia disponente* edita 1523. 2. Ianuari (approbata à Rege 1578. die. Sept. in qua decernit non reuocari eorum priuilegia per clausulas generales, aut speciales derogatorias, seu reuocatorias, vel sub quacumque verborum expressione, nisi de verbo ad verbum, nullo omisso, &

consistorialiter fiat mentio expressa literarum priuilegia continentium, & per trinas literas Apostolicas reuocatorias eorumdem tenorem continentes tribusque vicibus distinctis Magistro, & conuentui legitimè intimatas, & insinuatas; dummodo etiam accedat ipsorum Magistri, & Conuentus assensus, alioquin literæ aliter emanatæ nemini suffragantur, quo priuilegio gaudent alij Ordines Regulares qui habent amplam communicationem, vt ferè omnes habent.

Dices: esto quod ad reuocanda specialia priuilegia Regularium, quæ latent cognitionem pontificis, non sufficiat generalis reuocatio, sufficit tamen vt reuocet ea, quæ in corpore iuris sunt inserta; Quia *omnia iura sunt in scrinio pectoris Papæ recondita:* nam respondetur illud axioma non debere ita intelligi vt per clausulam generalem reuocet ea priuilegia quæ sunt in corpore iuris; sed aliter; ac 1. vt scilicet super illis possit dispensare. 2°. vt possit ea interpretari. 3°. vt possit ea corrigere, & tollere, quando voluerit: sic Canonistæ.

Secunda autem pars propositionis scilicet, quòd reuocatio priuilegiorum regularium intimari debeat regularibus manifestum est, cùm ex præcedentibus, tum ex bulla Societati Iesu à Greg. XIII. concessa, inchoata, *Æquum reputamus*, & ex decisionibus Rotæ in illam, ac ex Doctoribus, quos citant Diana tract. 2, resolut. 68. & Marcell. à S. Bened. citatus. Doctoribus autem iudicandum relinquo si in vi dictæ bullæ trina intimatio sit necessaria in omnibus priuilegiis regularium reuocandis [vt quidam ex citatis per præmissos Doctores opinari videntur] sicut est necessaria ad quædam priuilegia dictæ Societatis reuocanda. Notabis sub finem huius propositionis illud quod post Henriquem notat Roder. Q Q R.R. quæst. 98. art. 10. in reuocatione Priuilegiorum mendicantium iuxta Pij. V. B. *Etsi mendicantium*, requiri expressionem mendicantium, nec sufficere si Concilium aut bulla vtatur his terminis, *nonobstantibus Priuilegiis Regularium;* sed vlteriùs exprimendum *mendicantium;* alioquin si non exprimantur non reuocat.

PROPOSITIO VI.

Bulla Pij V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, quæ amplissima Regularium priuilegia continet, non fuit reuocata per Bullam Greg. XIII. quæ incipit, *In tanta*.

Hæc propositio, cum magni sit momenti, ideò apponitur, & probatur 1. Quia hæc bulla non fuit promulgata, nec intimata, vt docet Peirinus in priuil. Minim. tom. 2 const. 7. Pij. V. §. 1. n. 2. Henriquez. lib. 7. de Indul. cap. 24. n. 8. Thomas à IESV, De Procur. omnium gentium sal. lib. 2. cap. 8. LLamas in methodo par. 1. cap. 7. §. 6. Nauarrus in Manuali, cap. 27. vbi testatur quòd licet Pontifex voluerit dictam Bullam promulgare, tamen posteà non publicauit. Et huius etiam Sententiæ sunt Roderic. in addit. ad Summam, tom. 4. c. 105. & in exposit. Bullæ Cruc. §. 5. n. 26. Sorbus in Compend. priuileg. verb. *Processiones. §. An teneantur*, & verb. interdictum III. citans Medinam, Portel. par. 2 cap 26. n. 6. Coxier 22. q. 123. & Augustin. de Bellis in suo libello, idiomate Hispanico sedente Vrbano VIII impresso, cui titulus Allegationes in derecho, qui firmiter & absque vlla dubitatione existimat prædictam Bullam Pij impræsentiarum firmam, & illibatam subsistere. Quod etiam censet sacra Cardinal. Congregatio, vt ex expresso eius decreto constabit.

2. Licet Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *In tanta*, foret promulgata, non tamen vim haberet dictam Bullã reuocandi propter sequentes rationes 1. Quia Gregorius in eadem Bulla declarat se moueri ad illam reuocandã, quoniam ad ipsum peruenerat, quod ipsemet Pius illam per aliam à se editam reuocauerat: sed Pius V. nunquam dictam suam bullam reuocatoriam, si quæ sit, publicauit, teste Nauarr. cap. 25. n. 5. ergo non fuit reuocata per dictam Bullam Gregorij XIII. quoniam vt est communis sententia, cessante causa, cessat effectus, vbi in lege, & statuto expressa est causa: vt tenent Rota decis. 337. n 3. apud Farinacium par. 1 Recent. Scaceia de Appellat. quæst. 5. nu. 18. Florent. decis. 1. n. 61. Cæsar. Arg. de controuers. Leg. q. 5. n. 15.

Secunda ratio, quoniam posito quòd dicta Bulla Gregorij vim habuerit reuocandi dictam bullam, illam tamen non reuocaret in multis articulis, quia hæc bulla Pij continet 1. Nouas constitutiones contrarias concilio Trident. & iuri communi. 2. Dicti concilij Declarationes: prioribus derogaret, posterioribus minimè, cùm de his nullam penitus mentionem faciat Gregorius; imò illas confirmauit iuxta Rodericum in expositione Cruc. §. 9. dub. 1. num. 32. & Portel. parte 2. casu 26. n. 7. Ergo cùm huiusmodi declarationes Pij non faciant contra Tridentinum, cùm declarans nihil noui agat, iuxta Clementinam *Exiuit*, de Verb. signif. & Glossam in cap. *Per tuas*. verb. *Nouo*. de Donat. & qui declarat legem, non mutat naturam, aut essentiam dispositionis, iuxta Rolandum consil. 15. n. 27. volum. 30. Deci. consil. 8. n. 311. lib. 9. Menoch. consil. 331. n. 100. proculdubio declarationes illæ in dicta bulla Pij V. contentæ per bullam Gregorij non reuocantur.

Tertia ratio, quia reuocatoria Gregorij cadit supra priuilegia noua à dicto Pio concessa, declaratio autem verborum Concil. non est priuilegium, sed lex; cùm Papæ declaratio faciat legem: vt tenent Suares de Legib. cap. 1. lib. 6. n. 6. & seqq. Portel. parte 2. cap. 26. n. 4. ergo hæc declaratio à Gregorio non est reuocata.

Accedit quarta ratio, quòd omnes declarationes quæ in dicta bulla reperiuntur, quæque concilio Trident. non opponuntur, sunt in viridi obseruantia, & quoties Ordinarij conati sunt illis contradicere, quasi ab antedicta Gregorij XIII. bulla reuocatis, Papa, vel sacra Congregatio illas validas confirmauit, vt ex quarumdam enumeratione facienda constabit. Nam primò declaratio Pij V. cap. 9. sess. 22. illius concilij, quà scilicet possunt sæculares audire Missam in Ecclesiis Regularium, fuit confirmata à Clemente VIII. vt refert Hieron. Rodericus resolut. 25. nu. 5. & ab Vrban. VIII. anno 1625. Secundò, declaratio cap. 15. sess. 23. & cap. 10. sess. 25. videlicet, quòd Confessarij Monialium non examinentur ab Ordinario, confirmata fuit à dicta congregatione, vt refert Barbosa in Remissionibus ad sess. 25. cap. 10. concilij Trident. Tertiò, declaratio cap. 2. sess. 5. quòd concionatores non sint ab Ordinario examinandi ad prædicandum in propriis Ecclesiis, fuit confirmata in Cong. Cardin. vt refert Reginaldus lib. 18. n. 123. Riccius decis. 290. Barbosa ad sess. 5. cap. 2. Quartò declaratio cap. 5. sess. 25. quòd Episcopus non possit dare licentiam ad ingrediendum in Exemptarum Monasteria, aut in Monialium subditarum Regularibus, fuit confirmata ab eadem congreg. vt referunt Farinacius, Andreas, & Barbosa ad sess. 25. cap. 5. Quintò, declaratio cap. 13. sess. 25. videlicet, quòd quarta funeralis non intelligatur nisi de illo quod affertur die sepulturæ, fuit etiam à Congregatione confirmata, vt refert Portel. par. 2. cas. & n. 3. & sic de quibusdam alijs, vt in decursu humani operis videbitur.

Vltima ratio est, quòd licet Bulla Gregorij XIII. publicata fuisset, & recepta, tamen postea illam idemmet Gregorius reuocauit, confirmãdo amplissima confirmatione priuilegia Minorum cum clausula derogatoria suæ antedictæ constitutionis, sub datis die 25. Maij 1573. B. quæ incipit, *Ex benigna*. Et quoniam omnia verba illius adducere nimis prolixum esset, ideò clausulam derogatoriam quam post confirmata & concessa de nouo motu proprio, & ex certa scientia Minorum priuilegia, & declarationes, sic ponit, *Non obstantibus præmissis ac constitutionibus super cathedram, &c. Priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam in forma Breuis per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Iulium etiam III. Paulum IV. Pium etiam IV. prædictos, ac etiam Pium V. & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos & Sedem eamdem, etiam motu proprio, ac scientiæ, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusnis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, etiam priuilegiorum eorumdem reuocatiuis, &c. Quibus omnibus hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus.* Lege, Lector charissime, hanc bullam, & videbis amplissimam priuileg. Regularium confirmationem, multorum capitum, cum amplissimis etiam clausulis Literarum Apostolicarum, Concil. Iuris communis, & aliorum huiusmodi reuocatoriis. Necnon etiam videbis, quòd Pontifex omnibus Iudicibus etiam S.R.E. Cardinalibus iudicandi & interpretandi Conc. Trident. decreta: & Priuilegia in dicta bulla concessa facultatem aufert; nisi velint ea iudicare & interpretari eo modo quo ipse in dicta Bulla iudicarat, & interpretatus fuerat, alioquin aliter iudicata & interpretata pro irritis habenda.

PROPOSITIO

PROPOSITIO VII.

ANno Iubilæj indulta regularibus concessa ad effectum indulgentias lucrandi, suspenduntur: non autem alia absolutè concessa; nisi in rescripto Iubilæj hoc exprimatur, quod nondum factum est; nisi in illo Innocent. X. quoad indulgentias plenarias dumtaxat, non autem quoad cæteras facultates.

Hæc propositio quæ 4. habet partes, probatur quoad 1. partem ex Extrauag. *Quemadmodum* de Pœnitent. & remiss. Extr. in qua expresè præter indulgentias plenarias, quatuor in ordine ad indulgentias lucrandas suspenduntur, primò auctoritas cômutandi, vota. 2. auctoritas dispens. in illis. 3. potestas componendi in malè ablatis. 4. potestas eligendi confessarium, ad effectum absoluendi à casibus sedi apostolicæ reseruatis, & adeò hæc in ordine ad indulgentias lucrandas suspenduntur, vt nec sæculares, nec regulares illis gaudere possint: etiamsi in rescripto Pontificis Iubilæum indicente, vel aliò rescripto indultorum suspensiuo id expresè de illis omnibus facultatibus non dicatur; sicut in rescripto Innocentij id expresè non dicitur, nisi solum de Indulgentiis & indultis ad absoluendum à casibus reseruatis sedi apostolicæ: ratio in promptu est, quia dicta Extrauagans, quę est regula omnium Iubilæi rescriptorum, præscribit in perpetuum suspensionem huiusmodi indultorum in dictis rescriptis: & Pontifices iuxta illius mentem edunt eiusmodi rescripta, & quoad hanc partem, nullam doctores reperiunt difficultatem, nec ego etiam.

Dummodò per indulgentias plenarias intelligas iuxtà omnes, eas quæ viuos respiciunt; non autem ex mea sententia eas quæ pro defunctis concessæ sunt, licèt cum aliquibus citandus Ioann. de Luguo de pœnitent. in penultima columna illius operis contrarium existimet, rationem meæ sententiæ affero; Quia nulla ratio vrget cur defuncti hoc beneficio sint priuandi. Quod si Pontifices Innocent. X. prædecessores, vt tenet citatus de Luguo, non derogarunt per Iubilæj rescripta plenariis indulgentiis vtriusque sexus Regularium quia claustris & obedientia sic referantur, vt Romam Iubilæum lucraturi proficisci non valeant, à fortiori non censentur derogare dictis indulgentijs in fauorem defunctorum concessis, cum non claustris, sed duriori carcere & obedientia claudantur: nec sint in statu, quo Iubilæum lucraturi Romam adire possint.

Dummodò 2. per suspensas indulgentias non intelligas eas, quæ plenariæ non sunt, licet non sit licitum easdem publicare, sicut nec plenarias, quia hoc vetant dicta extrauagans & alia specialia Iubilęi rescripta; ac sic tenent Nauarr. in comment. de Indulgent. notab. 25. & Sorbus verb. Cruciata.

Dummodò 3. non extendas suspensionem potestatis componendi in malè ablatis, ad suspensionem potestatis componendi in rebus incertis restituendis, non malè neque illicito modo quæsitis.

Dummodò 4. suspensionem deputandi confessarium ad absoluendum &c. non etiam extendas ad suspensionē facultatis deputandi Confessarium iuxtà Clement. *dudum* de sepultur, sed eam restringas ad suspensionem specialem deputandi confessarium occasione alicuius confraternitatis, congregationis Ecclesiæ, Capellæ, & cæterorum huiusmodi: vel occasione indulgentiarum plenariarum lucrandarum: dixi plenariarum, quoniam si quæ sunt facultates præmissæ ad indulgentias non plenarias lucrandas, concessæ, eæ nullatenùs suspenduntur, vt manifestum est.

Dummodò vltimò eam suspensionem non extendas ad suspensionem facultatis absoluendi à casibus inferiorum Papæ reseruatis: à quibus non obstante Iubilæo regulares absoluere queunt, vt docent etiam citati doctores.

Secunda propositionis pars, videlicet quod nulla regularium priuilegia in Iubilæo suspendantur; nisi vt supra, si quæ huiusmodi habeant, probatur ex textu præfatæ Extrau. Quoniam nullam suspensionem priuilegijs antedictis apponit; nisi modo quo suprà, cur ergo ad alia eorumdem priuilegia extendas nullam causam habes? cum odia sint restringenda, & si quid dubij oriatur in verbis dictæ Extrau. in eorum-

dem regularium fauorem sunt intelligenda: & contra Pontificem illius conditorem est interpretatio facienda iuxtà iuris communis regulam *Contra eum, qui legem potuit apertiùs facere & non fecit, est interpretatio facienda*. Accedit Quod Gregor. XIII. Clemens VIII. & Vrbanus similiter VIII. in rescriptis ad formam dictæ Extrauag. factis, quæ ipsi suis temporibus indicentes Iubilæum condiderunt, sic mentem Extrauag. & suam interpretati sunt teste Ioanne de Luguo Cardinale de Sacram. pœnit. disput. 20. sect. 8. n. 145. Qui nostræ est sententiæ cum Henrique, Sanche, Villalob. Diana; Filiucio & Benzonio, quos citat.

Ex quibus colligere potes tempore Iubilæi regulares posse vti tum indulgentiis plenariis sibi concessis: tum etiam aliis 4. facultatibus; nisi Papa in rescripto Iubilæi aliter expresse disponat.

3. Propositionis pars, videlicet quod in nullo rescripto Iubilæj dictis priuilegiis regularium fuerit vllatenus derogatum efficaciter probatur ex vsu optimo legum interprete, ac omissis alijs Iubilæorum rescriptis, quæ exierant ante Greg. XIII. certum est proximè nominati rescriptum, & alia duo Clement. VIII. & Vrbani similiter VIII. in nullo derogasse præfatis priuilegiis, vt ex declaratione eorumdem, & ex auctoritate superiùs diximus: nec etiam rescriptum Iubilæj Innocent. X. hoc anno 1649. editi pro anno 1650. nec insuper eiusdem rescriptum indultorum & facultatum suspensiuum, vt ex tenore eorumdem viri docti super eis consulti censuerunt. Quod confirmatur; Quoniam verba eorumdem sunt ferè eadem, quæ verba dictæ extrauagantis, & verba rescriptorum Innocentij non differunt ab aliorum verbis; & illi & hic in suis rescriptis se sequi prædecessorum exemplum quoad suspensionem indultorum profitentur; ergo sicut Sixtus IV. Conditor extrauag. *Quemadmodum* & alij, ac præmemorati Pontifices non suspenderunt prædicta regularium indulta, nec ipse Innocentius ea suspendit.

4. Propositionis pars probatur ex textu rescripti Innocentij præfati, in quo videmus extensionem fieri suspensionis indulgentiarum ad regulares *tum vniuersaliter, tum singulariter concessarum*, quę antedicta Extrauagans & rescripta minimè fecerant: sicut etiam illam extensionem in pluribus alijs videmus, quæ regulares non tangunt; ergo sine dubio suspensæ sunt Indulgentiæ plenariæ regularium toto illo anno Iubilæi: cùm toto illo anno illas suspenderit.

Vtrum autem indulgentiæ plenariæ à viuentibus in articulo mortis lucrandæ suspensæ sint per dictam extrauag. & per Rescriptum suspensiuum Innocentij? Respondeo: Quod si odia semper restringenda sunt: nec extendenda ad casus, qui suaptè natura excepti censentur, videtur quod illa suspensio non cadat super viuentibus, dum sunt in dicto articulo: ac proindè dicendum quod illæ indulgentię pro dicto articulo subsistunt: sicut potestas Confessarij in casibus Papæ quoquo modo reseruatis, in eodem subsistit; Quod confirmatur ex eo, quod bene præsumendum est de intentione Pontificis: cum princeps sit, qui si super hoc de sua mente interrogaretur, proculdubio responderet se nolle viuentes in articulo mortis hoc auxilio priuare; & ita dubitando teneo, meam sententiam doctioribus examinandam & iudicandam exponendo.

Quæres 1. Qui sunt illi casus sedi Apostolicæ reseruati de quibus extrauagans & Innocentius in suo rescripto Respondeo esse in duplici differentia, alij enim sunt reseruati sedi Apostolicæ, alij verò in Bulla Cœnæ, quam differentiam ponit hic Pontifex dum repetit hanc coniunctionem *etiam*.

Quæres 2. Num suspensio indultorum absoluendi à dictis casibus extendatur in Gallia ad omnes illos prædictos casus? Respondeo ad eos tantùm extendi qui in ea sunt reseruati: non autem ad non reseruatos, videlicet, ad illos Bullæ Cœnæ domini. Quorum nullus est in ea reseruatus, quidquid aliqui dicant de hæresi asserentes eam esse reseruatam ex cap. 49. de sentent. excomm. sed verè falluntur; cùm illud caput nullum verbum ad hoc habeat; ac ex consequenti non potest dici reseruata iuxtà Gregor IX. cap. *Nuper* eodem rit. vniuersaliter in hac materia reseruationis sic pronunciantem; *Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi: & ita tenet Suares alibi* citandus de fide, spe & charitate; cum nullo alio iure antiquo sit reseruata, nec dicendum Innocent. X. in suo rescripto expresse suspendere facultatem absoluendi à casibus Bullæ

Digitized by Google

cœnæ, nam Pontifex illos casus, inter quos, primus est hæresis: sed supponit reseruatos, & in locis in quibus reseruati sunt, suspendit facultatem ab illis absoluendi vt in Italia, Hispania & alibi: non autem in Gallia & alibi, vbi bulla Cœnæ & casus hæresis non sunt reseruata.

Quæres 3. qui sunt ergo casus illi reseruati, à quibus in Iubilæo absoluere non possunt in Gallia, in ordine ad Indulgentias lucrandas eo modo quo dictum est in 1. parte propositionis. Respondeo esse illos, Qui ex communi sententia sunt in Gallia sedi Apostolicæ reseruati, quorum hic numerum proximè subijciam.

Primus insertus est in cap. Si quis suadente. 17. q. 4. ex can. 15. Concil. Later. sub. Innocent. II. in quo percussor Clerici excommunicatur, & excommunicatio sedi Apostolicæ reseruatur, & hic vnicus casus eidem sedi reseruatus reperitur in toto decreto Gratiani.

2. Est contra illum qui excommunicatus à Papæ delegato per annum integrum in excômunicatione insordescit, diligentiam debitam vt absoluatur non adhibendo.

3. Communicans voluntariè tum intra, tum extra Ecclesiam cum eo, quem nouit esse à Papa excommunicatum habetur cap. significauit de sentent. Excom.

4. Incendiarius tum rei sacræ, tum prophanæ: dummodò sit nominatim denunciatus cap. *sua nos* eod. tit.

5. Qui furatur sacra effractis foribus vel fenestris Ecclesiæ &c. post denunciationem nominatim factam cap. *Conquesti* eod. tit.

6. Eligens, scienter Imperatorem, Regem, aut principem, vel alium eminentis considerationis in sæculo, in Ducem, Patricium, aut gubernatorem Romæ cap. *fundamenta* de elect. in 6. & similiter consentiens electioni de se factæ.

7. Habens literas Apostolicas falsò confictas si intra 20. dies eas non lacerent, aut abijciant vel destruant, cap. *dura sæpè* de crimine falsi.

8. Grauans in personis aut bonis Iudices Ecclesiasticos, aut eorumdem consobrinos & affines ob id, quod ab eis aliqua censura plexus fuerit cap. *Quicumque* de sentent. excomm. in 6. atque hi 7. vltimi casus partim ex decretalibus Greg. IX. partim ex decretalibus libri sexti decerpti sunt.

9. Quilibet Clerici sæcularis vel regularis, qui precibus aut modis alijs induxerit aliquem ad Ecclesiam suam pro sua sepultura eligendam cum iuramento ne mentem quoad illam mutet. Clement. *Cupientes* de pœnis.

10. Excedens vel occidens Episcopum. Clement. *Si quis suadente* de pœnis.

11. Regularis administrans sacramentum Eucharistiæ, & extremæ vnctionis infirmis, & præsens matrimonio, vt validum reddat; nisi in casibus sibi permissis, aut de licencia parochi. Item reconcilians excommunicatos, eos absoluendo à culpa & à pœna; nisi in casibus sibi à iure permissis. Clement. *Religiosi* de priuileg.

12. Inquisitor, qui Iustitiam ex æquo, & breuiter, sine dilatione non facit. Clem. *Multorum* de hæretic.

13. Princeps, dominus aut nobilis, qui Missam, aut officium in loco interdicto celebrare cogit: vel populum in dicto loco ad audiendum etiam cogit: vel impedit ne extra Ecclesiam excommunicatus nominatim denunciatus eijciatur. Clem. Graue de sentent. excomm. & hi 5. casus vltimi in Clement. reperiuntur.

14. Exenterans corpora mortuorum &c. ca. *detestandæ* de sepult. Extrau. non audeo tamen firmiter asserere, quòd in Gallia sit recepta, Quia à Bonifac. VIII. edita.

15. Excommunicatos à Papa sine priuilegio reconcilians cap. Etsi dominici de pœnitent. Extrau.

16. Simoniacus in Ordine, Beneficio, & ingressu religionis cap. *Cum detestabile* de Simonia Extrau.

17. Regularis ex mendicantibus in Ordinem non mendicantium ingrediens: ac etiam ille qui eum sic transeuntem recipit. c. *viam ambitiosæ* de Regulariū Extrauag.

18. Qui credentem & asserentem Virginem in peccato originali conceptam, de peccato mortali argueret: vel simili modo contrarium asserentem & credentem de peccato mortali damnaret &c. capite Graue nimis de reliq. & venerat. & hi 5. vltimi casus ex Extrauag. sunt desumpti. Plures posset quis enumerare casus: sed non mihi constat esse reseruatos; meum tamen iudicium doctiorum sensui subiectum volo. K ij



CAPVT VI.
DE POENIS QVAS INCVRRVNT HI, QVI REGVLARES MOLESTANT IN PRIVILEGIORVM VSV.

VNICA PROPOSITIO.

PROHIBITVM est locorum Ordinariis, & aliis quibuscumque sub censuris & grauibus pœnis inferiùs exprimendis, ne regulares in suorum possessione priuilegiorum molestent.

Duobus modis potest quis facere contra priuilegia. 1. directè, vt cùm quis immediate & formaliter Priuilegia Regularium lædit, verbi gratia cum Episcopus impedit ne regulares præsentati & approbati audiant confessiones sæcularium, illosque impedit ne sacram communionem illis porrigant & similia. 2. modo indirectè, vt dum Episcopus aut alius non agit directè & formaliter contra Priuilegium & priuilegiatos, sed contra subditos eisdem prohibendo ne priuilegijs regularium vtantur, qui modus Episcopis & Archiepiscopis strictè prohibetur cap. *quanto amplius* de priuilegiis, vocaturque hic modus ab Honorio III. *iudicium Iudæorum*, ea de causa videlicet quod sicut ab Ecclesia Iudæi non possunt excommunicari, fideles tamen respectu Iudæorum excommunicatione plecti queunt: sic Episcopi non valentes excommunicare regulares, excommunicabant sæculares subditos, Priuilegiis regularium sibi commodis & vtilibus vtentes, & sic regulares vexabant, quo circa præfatus Pontifex id prohibet verbis sequentibus. *Nolentes igitur hæc crebris ad nos clamoribus iam perlata vlterius sub dissimulatione transire, vobis vniuersis & singulis mandamus quatenus huiusmodi sententias in fraudem Priuileg. nostrorum de cætero non feratis: quia si super hæc ad nos denuò clamor ascenderit, non poterimus conniuentibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum seueritate debita castigemus.* De illis ergo duobus modis faciendi contra priuilegia intelligitur nostra propositio, vt hæc duo verba in bulla proximè inferat, videlicet *præter* & *contrà* apertè testantur, cuius veritas, quam plurimi in suarum animarum perniciem contemnunt, tot Bullis Pontificum, ac suorum Delegatorum sententiis fulcitur, vt si quis eas recensere vellet, charta deficeret. Aliquas dumtaxat, omissa illa Sixti IV. quæ incipit, *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, ex tanta multitudine, hîc referam: si priùs dixero, quòd hanc nostram veritatem tenet Henriques lib. 17. de Indulg. ca. 24. citatque in suæ sententiæ fauorem præter Bullas quas allegat, quamplurimos Doctores Sæculares, ac Regulares; additque, non solùm in præmissas censuras & pœnas Episcopos incidere; sed etiam in excommunicationem latæ sententiæ: quod etiam tenet Confectius tract. de exemptione cap. 2. quorum sententia innititur in Bulla Nicolai IV. quæ incipit, *Etsi cunctorum*, quâ expressè declarat excommunicatos ipso facto omnes Archiepiscopos, Epis-

copos, eorumque Vicarios qui molestant, inquietant, aut turbant Regulares: quos ab eorumdem iurisdictione exemptos etiam declarat. Fundatur quoque eadem sententia in Bulla Aurea Sixti IV. quæ incipit, *Sacri Prædicatorum*; quæ dictæ excommunicationi superaddit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum. Multas etiam alias pœnas, vltra latę Sententiæ excommnnicationem, incurrunt Rectores, & alij, qui Regulares in suorum priuilegiorum possessione molestant.

Quarum omnium Censurarum & pœnarum multitudinem Leo X. compendiosè in vnum compilauit Bulla, cuius authenticum in Conuentu Recollectorum Burdigalæ seruatur, *Exponi nobis fecerunt dilecti Filij*, in Fratrum Minorum fauorem; & consequenter aliorum Regularium communicantium edita, & per Pium V. expresè Bulla *Etsi Mendicantium* (quam non reuocatam probauimus) & pluribus aliis bullis aliorum prædecessorum & successorum Pontificum, ex certa scientia, confirmata: ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Præpositos, & ad eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in spiritualibus vicarios, directa: cuius tenorem, vt eius cognitio neminem lateat (continet enim multa priuilegia, pro quorum conseruatione illæ censuræ & pœnæ appositæ sunt) de verbo ad verbum hîc inserere iudicauimus.

EXponi nobis fecerunt dilecti Filij Generales & Prouinciales Ministri, Custodes, Guardiani, & alij Fratres Ordinis Minorum Obseruantia Regularis nuncupati, quòd licet aliàs fælicis recordationis Ioannes Papa vigesimus secundus, prædecessor noster, per quamdam suam Constitutionem, quæ incipit, Vas electionis, *opinionem erroneam quandam Ioannis de Poliaco inter alia sentientis, quòd fideles fratribus Ordinis Mendicantium generalem licentiam à pia memoriæ Clemente Papa Quinto etiam prædecessore nostro, per eius Constitutionem in Concilio Viennensi editam, quæ incipit,* Dudum, *confessiones audiendi concessam habentes, confessi tenerentur peccata per eos dictis Fratribus sic concessa proprio Sacerdoti iterum confiteri, damnauerint. Et deinde recolendæ memoriæ Eugenius Quartus, ac Nicolaus V. & Sixtus etiam IV. similiter etiam prædecessores nostri prædictam, & nonnullas alias Ioannis de Poliaco, & aliorum quorundam opiniones, & assertiones, etiam condemnantes, mandauerint contra earundem opinionum assertores, velut contra hæreticos de fide Catholica suspectos debere procedi. Et idem* Sixtus *prædecessor concesserit, quòd si Rectores Parochialium Ecclesiarum Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis his, qui dictis Fratribus essent confessi absque aliqua rationabili causa malitiosè negarent, vel exhibere differrent, Fratres prædicti illa, personis quarum confessiones audiuissent, ea petentibus ministrare valerent: & quòd ijdem Fratres, vel consanguinei eorum, qui elegerint sepeliri apud Ecclesias Fratrum mendicantium, etiam prætextu cuiuscumque consuetudinis, non possint compelli deferre corpora defunctorum ad Parochiales Ecclesias, aut alia loca, & cum illis, vel sine illis, inibi Diuina celebrare, seu celebrari facere, ante vel post sepulturam earundem: prohibueritque Ordinarijs locorum sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine vel administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Rectoribus, & alijs quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem Parochialium Ecclesiarum, & omnium aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ pro tempore obtinent; nec non inhabilitatis ad illa, & alia, in posterum obtinenda, eo ipso per contra facientes incurrendis pœnis: ne eosdem Fratres contra ipsorum priuilegia molestare præsumant, aut personis quibuslibet Ecclesiasticis, vel sæcularibus, in genere, vel in specie, directè, vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, aut alias ordinent, aut statuant, quominus Fratres Ordinis prædicti, & illorum domus Professores priuilegijs, & gratiis eis concessis liberè vti possint. Et postmodum nos in nouissimo Lateranensi Concilio decreuimus, quòd peccata sua Fratribus Mendicantium huiusmodi præsentatis secundùm Clementinam constitutionem prædictam, & admissis, vel etiam indebitè recusatis confessi, constitutioni quæ incipit,* Omnis vtriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat satisfecisse censeantur, & confessionem impendendi Sacramenta prædictam limitauerimus; in euentum videlicet, quòd denegatio sacramentorum huiusmodi, si sine legitima causa fieret, & de illa testimonio vicinorum, seu Notarij publici inde rogati fide constaret. Necnon per quasdam nostras in forma Breuis Literas declarauerimus audiendas Missas in Ecclesiis Fratrum Ordi-*

num Mendicantium, Dominicis, & aliis Festis diebus (non contempto proprio Sacerdote) satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamue incurrere. Ac demum per alias nostras etiam in forma Breuis Literas, omnia, & singula priuilegia dictis Fratribus concessa (salutis dictis moderationibus dicti Lateranensis Concilij) approbauerimus, & confirmauerimus, ac illa cum dictis moderationibus etiam motu proprio innouauerimus, prout in singulis constitutionibus, & literis prædictis plenius continetur. Nihilominus, sicut accepimus, plerique Ordinarij locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, in diuersis mundi partibus propriæ salutis immemores, Deique, & Ecclesiæ censuræ timore, ac Apostolicæ Sedis reuerentia postpositis, prædicare & prædicari facere non formidant, non licere eorum Parochianis peccata sua Fratribus iuxta dictam constitutionem Clementinam præsentatis, sine ipsorum Rectorum petita priùs, & obtenta licentia, confiteri, & aliter ea confessos, ad illa rursus eisdem Rectoribus confitenda obligatos existere: quòd si secus fiat, eis Sacramenta præfata Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis ministrare recusant, eisdem Parochianis ne præfatis Fratribus confiteantur, neue ad eorum Ecclesias pro Diuinis audiendis diebus prædictis accedant, specialiter, & expressè interdicunt. Fratres verò quorum vita subsidio fidelium eleemosynis magna ex parte consulitur, eleemosynas huiusmodi petere non permittunt, sine eorum licentia, & Diœcesanorum, & eorum Vicariorum literis, eleemosynarumque mendicatarum medietatem sibi vendicare volunt: Et ne ratione confessionum, & celebrationum Missarum aliquas à suis Parochianis eleemosynas accipiant prohibere; alioquin, & ipsi Rectores vel Vicarij tantumdem ab ipsis Parochianis extorquere nituntur ad prohibitionem huiusmodi obseruandam: censuris, vel ab Ordinariis locorum contra illarum transgressores passim obtentis, vel propria temeritate ad terrendum simplicem populum, qui censuras timet, latis vtuntur, corporaque mortuorum qui elegerunt sepeliri in Ecclesiis prædictorum Fratrum, nonnunquam rapiunt, & ad suas Ecclesias deferunt, ibidemque Diuina celebrant, vt sic oblationes percipiant. Et de funeralibus, ac mortuariis pro corporibus quæ in Ecclesiis dictorum Fratrum sepeliuntur dimidiam, de omnibus autem legatis & oblationibus quartam partem, contra diu obseruatam consuetudinem habere contendunt: & super præmissis ac plerisque aliis varias dictis Fratribus molestias, ac iacturas inferunt, quibus eorum quies turbatur, Diuinus cultus minuitur, & inter Christi fideles scandala passim oriuntur, non sine Diuinæ maiestatis offensa & Apostolicæ authoritatis contemptu. Quamobrem Nos qui dictorum Fratrum quietem, & tranquillum statum intensis desideramus affectibus, vt suis laudabilibus operibus Deo, acceptiores fiant, & quietiùs pro delinquentium emendatione ac salute apud Deum insistere possint, dictorum Generalis, Prouincialium Ministrorum, Custodum, Guardianorum & aliorum Fratrum prædictorum humilibus super hoc nobis porrectis supplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet vestrum per præsentes districtè præcipiendo, mandamus sub dictis censuris, vt vos ab eorum molestia & omni inquietudine penitùs abstineatis, & quoties nomine dictorum Fratrum, vel alicuius ex eorum Ordinis Ministris Prouincialibus, aut alijs Fratribus pro tempore existentibus fueritis super hoc requisiti, omnes & singulos Parochialium Ecclesiarum in vestris respectiuè Ciuitatibus, & Diœcesibus existentes, Rectores, seu Vicarios ad desistendum posthac ab huiusmodi molestiis, & grauaminibus, constitutionesque prædictas, & dictorum Fratrum priuilegia eis inuiolabiliter obseruanda sub pœnis & censuris in dicti Sixti prædecessoris inhibitione contentis, moneatis & præcipiatis: Inobedientes verò legitimis super hoc habendis processibus, censuras, & pœnas prædictas incurrisse declaretis, & declaratos publicè nuncietis, aut nunciari, & vt tales ab omnibus arctiùs euitari mandetis, & alia faciatis, quæ in præmissis fuerint quomodolibet opportuna, inuocato etiam ad hoc, quando opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Reliquas verò personas, tam Ecclesiasticas, quàm sæculares cuiuscumque status aut conditionis existant, qui Rectoribus Parochialium Ecclesiarum in præmissis contra Fratres prædictos fauorem, auxilium, vel consilium præbere præsumpserint, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia monitione præmissa districtiùs coerceatis, & vt à talibus in futurum caueant prohibeatis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quibuscumque Doctorum super Decretales ante editum librum sextum, & reprobationem erroneæ opinionis dicti Ioannis de Poliaco scribentium opinionibus ac glossis, ac in Synodalibus Concilijs editis, & consuetudinibus iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, & aliis, quæ Romani Pontifices prædecessores nostri præfati in suis,

& Nos in nostris Literis Priuilegiorum, Gratiarum, & Indultorum dicto Ordini concessorum volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hæc Pontifex. Quibus, & aliis huiusmodi, aduersus priuilegiorum Regularium contemptores, à sede Apostolica pronunciatis, sacra Congregatio Cardinalium inhærendo, sequens decretum, quod in Registro eiusdem Congregationis fol. 139. scriptum reperitur, Archiepiscopo Salerno Regulares in possessione suorum priuilegiorum molestanti, vt ab huiusmodi proposito amoueret, dixexit, *Aduertat Dominatio vestra, procedere cũ circumspectione, cum Religiosis, nisi velit se multis censuris irretiri quatenus fortasse iã non sit, quia nouit eos habere infinita priuilegia, & nõ esse subditos Ordinario.* Verùm si hæc fulmina à Christi vicarijs iaculata iure merito formidanda, à multis, vt præmissum est, præcipuè verò ab antiregularibus pro nihil habeantur, timeant saltem ea, quæ à Deo immediatè vibrata sunt, quorum tot calamitosa apud historicos Ecclesiasticæ veritatis extant exempla, vt centesimam partem illorum ex innumeris enarrare vix esset possibile; Quocirca vnum duntaxat inter alia hîc repetam, quod narrat Cantipratanus, relatum in lib. cui titulus Examen Apum pag. 184. accipe illud. Quidam doctor Sorbonicus, cuius ipsemet Cantipratanus commensalis Parisiis extiterat, recusatis 8. Episcopatibus à Pontifice sibi oblatis: & successiuè quodam Archiepiscopatu sibi ab eodem etiam sub Pœna Excommunicationis oblato 4. mensibus etiam recusato, tandem hunc vltimum acceptauit: ex tunc sic factus est hostis Fratrum Minorum & Prædicatorum, vt horum conuentum in vno suæ diæcesis oppido situm funditùs euerterit; ac paulò post purpurâ decoratus crescens in Ecclesia, creuit & odio erga prædictos Ordines; interim reuelat Deus cuidam Moniali huius Cardinalis vitæ exitum pessimum & proximum, dando ei duo signa eiusdem exitum præuentura, videlicet, quod ante obitum laboraret mentis perturbatione, quam, etiam conatibus quibuscumque expellere non valeret, & quod annulum pastoralem amitteret. Reuelata cuidam fratri minori narrat distinctè Monialis, quibus auditis quodam die quo pontifex erat Deo dedicaturus Ecclesiam eorumdem Fratrum Minorum, ipsemet Frater conueniens Crad. humiliter rogat, ne in posterum illos duos Ordines vexaret, sicut antea fecerat, cui animo irreuerenti & infrunito odium eructante respondit, *procuraui, vt Ordo vester & Prædicatoru~ subiiciatur Episcopis, addam & hoc vt subiiciamini vilissimorum pedibus sacerdotum*, cui, cum iterum idem Frater narrasset reuelata Moniali, & ideò illum cariturum potestate & vita ad antedicta exequenda affirmasset, elato in superbiam animo addidit, *tu non es propheta, nec filius prophetæ, quapropter tuas reuelationes seu potius fabulationes non pertimesco*: ex hinc ad nouam Ecclesiam perrexit, cumque ianitor fores claustri ad nutum seu libitum ipsius non ita diligenter aperuisset, sic ira efferbuit, vt mentis commotionem etiam emissa confessione, aliisque conatibus vehementibus adhibitis, numquam sedare valuerit, reuersusque domum pransurus, dato annulo pastorali cuidam, quem domesticum arbitrabatur, vt lotis manibus illum postea reciperet, eo penitus disparente, & requisito non comparente, & sic annulo perdito in hæc verba prorupit, *heu miser præsulatum meum amisi!* postmodum descendendo è superioribus domus, ad quæ sumpto prandio ascenderat, præceps per gradus cadendo, fractis collo & ceruicibus, miser statim expirauit, & sic pœnam vexationis factæ illis duobus Ordinibus luere coactus fuit: Nec hæc castigatio aliæque huiusmodi proximis sæculis inflictæ nouæ videri existimandæ sunt; cum etiam antiquis sæculis Regulares molestantibus Deus eas inflixerit, vt de Florentio presbytero parocho, qui miserrimè & miraculosè periit, ex eo quod suis persecutionibus è monasterijs Sublaci monachos S. Benedicti expulerat, teste Greg. lib. 2. Dial. ca. 8. ac etiam de Affricanis, qui innumeras calamitates Wandalorum temporibus perpessi sunt, quoniam monachos irridebant, vt monet Saluianus Episcopus Massiliensis lib. 8 de prouidentia cap. 3. de alijs etiam ob molestiam & persecutionem monachis inflictam castigatis narrat post alios Baron. ad ann. Christi 626. Quibus omnibus aduersus molestantes ordines regulares in hac proposit. obiter deductis, finem huic tractatui imponendum est, si prius ex illo concludi dixerimus, t nequaquã latere posse errorem docentium, ipsa Regularium priuilegia, prorsus quoad vsum ipsorum Ordinatiorum beneplacito subiacere: ad quid enim quoscumque Ordinarios

Regularium priuilegia impedire, vel conuellere tentantes, pœnarum minas timere, aut vulnera sentire cogit suprema potestas: Præterea talis subordinatio Ordinariorum directioni priuilegia subiiciens, priuilegiorum rationem & naturam penitùs destruit, quippe cùm in eo consistat, vt illa sint vel contra, vel præter, aut suprà ius commune; per huiusmodi autem subordinationem in naturam iuris communis transirent: ex quo principio, manifesta contradictio sequeretur, scilicet eadem priuilegia esse simul, & non esse priuilegia, quod absurdissimum est.

Accedit, quòd contrariam huic errori doctrinam expresè diffiniuit Gregorius IX. vt habetur cap. *In his*, de Priuileg. cùm enim Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus dedisset facultatem celebrandi in altari portatili vbicumque; & Episcopi insisterent, dicentes id posse fieri, dummodò haberent ab ipsis licentiam, Papa controuersiam terminat verbis sequentibus. *Cùm autem eis nihil conferret memorata Indulgentia, sine qua, id Prælatis innuentibus liceret eisdem, fraternitati Tuæ mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobata, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare: ita quòd dicti Fratres aliquam ex Indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti.*

Si secundo dixerimus ex isto tractatu plenissimè constare, concessa Regularibus priuilegia, à potestatem habente, videlicet à Papa, legitimè necnon rationabiliter emanasse. Quòd si in aliquibus aliquando reuocata fuerunt, eadem postea in pristinum statum restituta, ac confirmata fuisse videmus: sicut patet de specialibus singulorum Ordinum priuilegijs, præsertim de illis quæ Fratribus Minoribus concessa sunt: quæ vt refert Miranda q. 42. sexdecim Summi Pontifices, quorum quidam semel, alij verò pluries confirmarunt, arbitrantes huiusmodi confirmatione, immobilitate maiori eadem stabilire. Ne autem aliquis illorum possessionem, vel vsum impedire valeret, facultatem omnem renunciandi iuri illorum à Regularibus penitùs abstulerunt, & ne in eorumdem possessione, vel vsu, vllo modo turbarentur, districtè sub pœnis & censuris ipso facto incurrendis, castigationibus miraculosis confirmatis prohibuerunt; secuti in his summi Pontificis Anacleti oraculum, cap. *Quod autem*, 25. q. 2. his verbis pronunciatum, *Priuilegia Ecclesiarum, & sacerdotum intemerata & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus*: & aliud Papæ Leonis eodem loco citato relatum, *Priuilegia Ecclesiarum & Monasteriorum Sanctorum Patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari; in quo necesse est huius sanctæ sedis pontifices perseuerantem exhibere famulatum.* Quibus conforme est Iurisconsultorum effatum, videlicet, *Priuilegium, seu Beneficium, Principis debet esse immobile*, & vt ait Bald. cum alijs cons. 377. incip. Pridiè subn. 4. vol. 1. *debet principis esse immobilis, sicut lapis angularis & sicut polus in cælo.*

TRACTATVS



TRACTATVS II. DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS REGVLARIVM AB ORDINARIIS.

PRÆLVDIVM.



ONTIFICES Romani supremi in vniuerso Orbe spirituales Principes, & Operarij, quibus à Christo Ecclesia regenda, & excolenda, tanquam supremo omnium Pastori commissa est: cùm per se ipsos absque aliorum labore & opera illud ministerium pro viribus humanis adimplere soli non valeant, per Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Archipresbyteros, Parochos, aliosque Ordinarios illam moderantur, & colunt. Verùm cùm illius Ecclesiæ messis multa sit, & illi operarij pauci, Regulares, qui, vt arctiùs Domino famulentur, sæculo, sæcularibusque desideriis, & rebus renunciauerunt, in partem huius operis exequendi vocantes, illosque in Coadjutores sui supremi Principatus assumentes; ne iuribus præstandæ obedientię aliis Hierarchis sæcularibus, à Diuino huiusmodi ministerio obeundo, & à sanctis regularibus institutis, & ne à spiritualibus exercitijs retraherentur; ab antedictorum aliorumque Ordinariorum potestate, gubernio, & regimine exemerunt: vt sic maiori nexu, sibi, Sedique Apostolicę coniuncti, vineam Christi, scilicet eamdem Ecclesiam, proprio suo sanguine acquisitam, excolendam, Ministri habiliores, & expeditiores redderentur; nec sine murmuratione, & inuidia, quę plurimos quasi stimulo acutissimo concitauit, vt multa, eaque absurda, & à sacris Ecclesię dogmatibus aliena, in hac materia fabulentur; ac præcipuè contra dictos Pontifices, de iustitia in hoc priuilegio Exemptionis

concedendo violata, conquerantur. Quo circa de hoc priuilegio hunc Tractarum instituimus, vt quoad hanc partem, ius eorumdem Romanorum Pontificum clariùs elucescens, à detrahentium calumniis vindicetur: ac ex consequenti Regulares Exemptionis priuilegio, à potente, iustitiæ virtute imperante, concesso, iure meritò potiri iudicentur. Sed vt hæc omnia accuratè explicentur, aliqua fundamenta à Doctoribus probata, de potestatis Iurisdictionis essentia, & dignitate, deque natura Exemptionis ab illa potestate, proprietatibus, effectibus, aliisque ad eamdem exemptionem pertinentibus, primùm iaciemus; in quibus tota fabrica priuilegij Exemptionis, tamquam supra lapidem Angularem & Basem innixa, in apicem suę perfectionis, quę relatiuè summa est, consurget: ac ex eius notitia potestas Iurisdictionis Ordinariorum ad solos sęculares, nec tamen ad omnes, extensa, Sacrorum Canonum, Iuris communis, & Conciliorum testimoniis, Concessionibus Pontificum, supremorum Principum sęcularium edictis, & Secretioris Consilij Regis, ac summorum Senatuum Placitis; necnon etiam Doctorum vtriusque Iuris auctoritate, demonstrabitur.



Digitized by Google



CAPVT I.

DE NATVRA, PROPRIETATIBVS, EFFECTIBVS, ET DIVERSITATE EXEMPTIONIS ECCLESIASTICÆ: ET DE LEGITIMA PAPÆ POTESTATE AD ILLAM CONCEDENDAM.

POTESTAS iuxta nominis significationem multum differt à potentia; nam hæc dicit aptitudinem remotam, vel proximam ad aliquem actum, non autem ipsum actum: at potestas ipsum actum formaliter importat. Exemplo proximè ponendo hęc differentia optimè percipietur: nam qui matrimonij iugum adhuc cum vxore trahit, non censetur esse in potentia ad Ecclesiasticos ordines & honores, qui verò vxorem sepeliuit, in ea potentia videtur esse, quæ tamen aliis obicibus retardatur (videlicet) sæculi impedimentis, tonsuræ defectu, & cæteris huiusmodi. & hic dicitur esse non in potentia simpliciter, sed in potentia remota, quia vt nihil habet, quo prohibeatur, sic nihil, quo proximè dictos ordines & honores attingat. si autem assumat Minores, & Subdiaconatus, & Diaconatus ordines, tunc erit in potentia proxima ad illos ordines, & honores Ecclesiast.

Potestas autem dicit actum, & formam, quâ ille qui potestate pollet, actuatur: vt verbi gratia, Diaconus, qui est in potentia proxima ad Sacerdotium, illo assumpto non est ampliùs in potentia ad illud, sed in actu, ac ex consequenti in potestate. Nam ordo diffinitur, Sacramentum quo spiritualis potestas datur ordinatis. Semper igitur cum ordine coniuncta est, & vim efficiendi dicit, seu virtutem effectiuam. Non tamen (quod valdè notandum est) requirit actualem effectum, aut aliquem subditum in quem vim illam exerceat.

Quocirca requiritur officium, seu munus, quod superadiiciat requisita omnia, vt ea virtus in actionem prorumpat; vnde ab *efficiendo* appellari volunt, quasi *efficium*. Differre autem à potestate hinc cognosces, quòd sacerdos ab officio sui ordinis suspendi potest, eoque priuari; cui tamen potestas salua permanet, & in Iure cap. *Præcipimus.* distinct. 93. *Diaconus qui est in dignitate*, hoc est, *officio quolibet Ecclesiastico:* ab eo distinguitur, qui est solùm Diaconus: hic ergo habet potestatem, ille verò officium. Quare diligenter, ad ea, quæ inferiùs dicentur intelligenda, obseruandum est; aliud esse habere potestatem, seu virtutem illuminandi & purgandi, aliud ad hæc agenda officio potiri. Nam in illo est tantùm actus primus, in hoc secundus.

Iurisdictio verò plus aliquid dicit. Non enim omne officium coniunctam habet iurisdictionem, sed omnis iurisdictiò officium & potestatem coniunctam habet, subditos requirit, eisque imperat, & cogit, siue ius priuatum dicat per iudicium, præceptum, & priuilegium: siue publicum per leges toti communitati propositas ad obseruandum. Sicque priuata litigia in vi illius iudex dirimit, vt tantùm declaret quid quisque iuris habeat, quod potest arbiter, aut quilibet Iurisperitus absque vlla auctoritate publica, nisi fortè ad superiorem appellet.

Digitized by Google

Ex dictis ergo sequitur, meritò potestatem iurisdictionis sic vocari, non autem potentiam: esseque officium & actum primum coniunctum cum secundo, habentem subditos, quibus imperat, legesque indicit, illosque ad sibi parendum cogit.

Exemptio verò de qua est sermo, iuxta sui nominis significationem est quædam libertas, quâ exemptus eripitur & liberatur ab Ordinarij iurisdictione. Sic Glossa in cap. *Cùm olim*, de Priuileg. Decius, Consil. 113. Dominic. in cap. *Si papa*, de Priuileg. in 6. Conceditur autem huiusmodi exemptio, ac concessa dignoscitur, cùm Pontifex, seu Concilium, aliquâ, aut similibus sequentium enunciationum vtitur: videlicet, *Nos talem Ecclesiam eximimus à iurisdictione Ordinarij*, vel, *talem Ecclesiam, vel Ordinem pertinere ad proprietatem Beati Petri declaramus*, vel, *Declaramus talem Ecclesiam vel Ordinem ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere*, vel etiam, *Declaramus, quòd talis Ecclesia potiatur libertate Romanæ Ecclesiæ*: seu denique, *Recipimus talem Ecclesiam, seu tales Ordines in nostros proprios, & specialiter subiectos Romanæ Ecclesiæ*, & alijs huiusmodi eundem sensum habentibus.

Praxim exemptionum concedendarum antiquam fateri necesse est, cùm in nascente Ecclesia Paulus in Apostolatum, non à Petro nec ab Apostolis, qui in Ecclesia pastores ordinarios agebant; sed à Christo immediatè vocatus fuerit; ac sine eorumdem missione munus prædicationis obierit. Cùm etiam Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ licet subiectæ Episcopo Ecclesiæ Ciuitatis Cæsareæ, vt potè Metropoli in Concilijs ante eumdem sedem habuerit: & denique Hieronymus inferiùs referendus, de exemptione in Ecclesia introducta mentionem fecerit.

Antiquior tamen exemptio à potestate sæculari, vnde manumissiones, emancipationes, veniæ ętatis, quę sunt exemptiones à dominio, patris, & tutoris potestate: & quoad hanc praxim, Deus, Ecclesia, & Principes Sæculares, naturali hominum appetitui, qui ad libertatem tendit, quia homines liberi ab initio nascebantur, indulserunt.

Triplex autem, quoad subiecta quę eximuntur, est exemptio: videlicet personalis, particularis, & communis: personalis, personam duntaxat afficit, quæ ambulatoria nuncupari potest, quia personam in omni loco comitatur: particularis, seu localis, aut realis, quæ locum, Ecclesiam, vel Monasterium, vel aliquid aliud simile afficit: communis, quæ ad aliquam communitatem hominum, locorum, Ecclesiarum, & cæterorum huiusmodi terminatur.

Habet verò effectum exemptio quæ afficit locum, Ecclesiam, aut Monasterium; vt intelligantur exempti ipsius Ecclesiæ, Canonici, Monachi, Clerici, Conuersi, perpetuóque ibi oblati: exemptoque Monasterio eximitur etiam cœmeterium, domus & theatrum, cum hortis & arcubus, qui sunt iuxta Ecclesiam.

Si autem Canonici vel Regulares alicuius Ecclesiæ eximantur, ipsi soli sunt exempti non ipsius Ecclesiæ Clerici, & seruientes nisi ad illos specialiter extendatur: sed sic eximantur Clerici, & seruientes alicuius Ecclesiæ: tunc tam Canonici & regulares, quàm alii Clerici sunt exempti; non tamen Ecclesia, nisi exprimatur; nec etiam plebs, vt tenet Ioannes Lomede, de Exempt. cap. 6. qui ex sacris Canonibus, & interpretibus eorumdem, ferè hæc omnia de exemptione docet. Exemptionis autem secundũ se consideratę duo sunt genera; prima vniuersalis nuncupata, quę cum vniuersitate iuris ad Papã spectat, ita vt Metropolitano, vel Diœcesano nihil iuris maneat in eadem: particularis altera; quæ pro parte in certis casibus, ab eorumdem Iurisdictione eximit, iuxta cap. *Cùm personæ*, de Priuil. in 6. & interpretes in illud cap.

Potestas autem Ordinariorum, à qua per exemptionem quis liberatur, est duplex, quæ per legem duplicem explicatur: prima est lex iurisdictionis; alia lex Diœcesana. Lex iurisdictionis illa est, quæ consistit in agendo, gubernando, seu ministrando: lex autem Diœcesana illa est, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his quæ sunt conferenda Episcopo, & ab ipso sunt recipienda. Quod his exemplis declarant Doctores, videlicet ad legẽ iurisdictionis pertinere omnia quæ circa iudicia aguntur, vt sunt citatio, causæ examinatio, decisio, punitio, vel absolutio: vnde etiam quæ pertinent ad gubernationem Diœcesis ad hanc legem spectabunt, & consequenter etiam statuta, & leges condere, ad eamdem legem pertinebunt.

Ad legem autem Diœcesanam pertinent Cathedraticum, decimatio quarta, mor-

tuorium, Synodus, & visitatio: de quibus cap. *vt Conquerente*, de off. Ordinarij; & Suares de Legib. lib. 4. cap 20. & Stephanus Bauny in Theologia morali tract. 8. de Episcopis quæst. 6. qui omnes illos terminos latè explicat, & qualis sit vsus illorum quoad obligationem, demonstrat. Sed vt paucis præmissa restringam, dico, quòd pascere, & pasci, totum ius Episcopale complectitur: pascere ius iurisdictionis, & legem iurisdictionis; pasci Legem Synodalem, seu debitum stipendium recipere, & ita omnia seruitia & subsidia temporalia, quæ debentur Episcopis ratione sui muneris, dicuntur pertinere ad legem Diœcesanam. Nomine autem Ordinariorum, de quibus sæpiùs erit sermo, non intelligimus seruos aut primos aliorum nempè vicariorum, aut milites gregarios, & manipulares: vel improbos litigatores, & scurras, Gallicè *Chicaneurs*, quos omnes antiquitus hoc nomine veteres appellabant: aut etiam certæ Ecclesiæ Canonicos, sicut Ecclesiæ majoris Mediolanensis cõmuniter ordinarij dicuntur cap. *Accedentes* de præscript. vel denique collatores legitimos alicuius beneficij, ca. *si soli* de conceff. præbendæ apud Bonifacium; sed intelligimus illum qui iurisdictione propria ac solemni præditus est, vt optimè notat Francisc. Meinardus Frisius in ca. 16. de offic. Iudic. ordin. Porrò huiusmodi Ordinarij in iure canonico non tantum sunt Episcopi, & Archiepiscopi, sed etiam Abbates sæculares exempti, Archiepiscopi dum visitant Suffraganeos, & denique Legati Apostolici, seu Nuncij extra ordinariè ordinati qui omnes in priuilegio exemptionis vocantur ordinarij. Sic Henriquez cum cæteris quos citat lib. 7. de Indulg. cap. 25.

Videntur autem summi Pontifices nomen ordinarij Iudicis à Cæsaribus mutuò sumpsisse: nam iure Cæsares præsides aliique Prouinciæ rectores ordinarij Iudices cæperunt appellari, vt in L. omnes 32. cod. de Episc. & Clericis. Impp. aiunt *apud suos iudices & ordinarios idest Prouinciarum rectores*, ita quoque Synesius Epist. 144. *ordinarium Magistratum* Prouinciæ rectorem nominat, dixi nominatim iure Cæsareo nam iure Ciuili, quod obtinuit ante tempora Cæsarum, nullos iudices aut magistratus legitimus Ordinarios. Sed iudicia dumtaxat ordinatia sic dicta ab ordine iudiciorum tunc vsitato.

PROPOSITIO I.

Potestas Iurisdictionis quæ in Episcopis residet, non est immediatè à Deo, sed à Papa.

Probatur, 1. quia debet corpus misticum corpori naturali conformari: sed corpus naturale hoc habet, vt omnia illius membra ab vno influxum recipiant, scilicet à corde; ergo & corpus mysticum id habet, vt omnia membra à Summo Pontifice influxum accipiant: Ergo & Episcopos illum influxum à Papa recipere necesse est.

2. Potestas iurisdictionis non conceditur, nisi per claues Ecclesiæ, sed illas claues Christus non concessit nisi Petro, Math. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, super quo Glossa dicit, quòd *Christus solùm vnum Vicarium, & vnum caput vult esse in Ecclesia, ad quod diuersa membra recurrerent, si fortè ab inuicem dissentirent*. Ergo potestatem iurisdictionis nonnisi Petro immediatè commisit, & per Petrum, aut eius successorem, Episcopis.

3. Quia si Episcoporum iurisdictio non acciperetur à Papa, non posset illam ab iisdem auferre, cùm nemo possit auferre iurisdictionem, quam non dedit, quæque est à Deo immediatè neque posset Episcopos ab Episcopatu deponere: sed hoc potest facere, ex sacris Canonibus; & de facto facit, vt innumeris exemplis manifestum est: ergo suam iurisdictionem Episcopi à Papa recipiunt.

4. In illo residet immediatè potestas iurisdictionis spiritualium & temporalium Ecclesiæ, cuius auctoritate fit Episcoporum electio, & confirmatio; sed auctoritate Papæ Episcoporum fit electio, & confirmatio, vnde eis dicitur à Papa, *Damus vobis auctoritatem administrandi in spiritualibus & temporalibus*: Ergo talis potestas in Papa dumtaxat immediatè residet: ergo etiam potestas iurisdictionis quæ est in Episcopis,

est deriuata, & non immediata; deriuata enim est in eis à Christo mediante Papa. Quod ea ratione explicatur: *Sicut enim riuuli se habent ad fontem, radij ad Solem, & rami ad arborem; sic se habet potestas Episcoporum ad Papæ potestatem. Nam vt in Concil. Ephesino dicitur, quomodo multi radij Solis sunt lumen vnum, rami arboris multi, sunt robur vnum, & sicut de fonte vno plurimi riuuli defluunt, vnitas tamen seruatur in origine: sic Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius miræ fœcunditatis extenditur, & Episcopatus est vnus, cuius à singulis pars in solidum tenetur.* Constat autem quòd aqua riuulorum non est aqua fontis immediatè deriuata, ergo potestas iurisdictionis non est immediatè à Christo vt fonte; deriuatur tamen in eis mediante Papa; Quod adhuc auctoritate Cyrilli Patriarchæ Alexandrini confirmatur, qui in lib. Thesauror. sic loquitur. *Sicut Christus accepit à Patre Ducatum & Sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israël egrediens super omnem Principatum & potestatem, & super omne quodcunque; vt & genua quæcumque curuentur sic Petro, & eius successoribus plenissimam concessit potestatem, & nulli alij quàm Petro quod summum est, & plenum, soli sibi commisit totum.* Quæ verba non possunt aliter intelligi, nisi de plenissima illa potestate iurisdictionis in vniuersam Ecclesiam soli concessam Petro, & mediante ipso, Episcopis. Confirmatur iterum ex eo, quòd eadem potestas quæ erat in Petro ad pascendam & regendam Ecclesiam & omnia ipsius membra, est in Pontifice Romano: sed potestas quæ erat in Petro, est eadem, quæ erat in Christo, ergo potestas ad pascendam & regendam Ecclesiam, quæ erat in Christo, est in Pontifice Romano: sed cum Christus Ecclesiam personaliter regeret, nullus dicere poterat, quod quis fidelium potestate & iurisdictione aliqua, nisi ab ipso accepta potiretur: sic nec in præsenti potest quis se iactare aliqua iurisdictione pollere; nisi à Pontifice accepta; Quod manifestum habetur ex verbis Christi dum asserit suam Ecclesiam, futuram esse vnum ouile vno pastore, & vnum regnum vno rege pollens: facit etiam ad hanc veritatem illud Cypriani asserentis *Episcopatum vnum esse, à quo cæteri Episcopi partem accipiunt*, quæ omnia vera esse non possent, si Iurisdictionem spiritualem immediatè & non mediantè Papa, Episcopi acciperent.

Hoc ipsum diffiniuit Vigilius in Epistola ad Eleutherium, cap. vlt. cuius diffinitio inserta est in 2. q. 6. cap. *Qui se scit*, his verbis, *Ipsa namque Ecclesia quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas reddidit, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Quibus verbis constat, quòd Ecclesia Romana est prima, ac ex consequenti Papa primus Episcopus, qui vices suæ iurisdictionis ita alijs Episcopis & Ecclesijs concedit, vt tamen plenitudinem illius potestatis eis non impartiatur, sed sibi soli reseruet. Et confirmatur: nam si Papa ad illos terminos, qui sibi placuerint, redigit, vel contrahit, tam quoad locum, quàm quoad peccata, Episcoporum iurisdictionem; ab eodem procuidubio illorum iurisdictio deriuatur & pendet: verum est prius; nam illis certum populum, seu Diœcesim determinatam tribuit, extra quam eorum iurisdictio non extenditur, cùm non sit ijs integrum saluo iure conscientiæ ius alienis dicere, & eorum peccata dimittere, ex diffinitione Vrbani II. cap. *Placuit*, distinct. 6. de Pœnit. his verbis, *Placuit vt nulli deinceps sacerdotum liceat quemlibet alteri sacerdoti commissum ad Pœnitentiam suscipere sine eius consensu.* Accedit huic diffinitioni altera Alexandri III. cap. *Quod autem*, de Pœnit. his verbis, *Cùm à suo non iudice ligari nullus valeat, vel absolui, remissiones illis dumtaxat prodesse, quibus vt prosint proprij iudices indulserunt.* Verum est ergo, horum duorum Pontificum testimonio, non posse Episcopos extra Diœcesim iurisdictionem vllam in non subditum exercere, proindeque limitatam esse quoad locum: vt etiam tenent omnes Catholici Doctores. Est etiam diffinita quoad posterius, videlicet peccata; cùm in ea quæ sibi Papa reseruauit, ius nullum habeant, vt habetur in Trid. sess. 14. cap. 1. & 7. Quod si Episcopi immediatè à Deo iurisdictionem acciperent, nulla posset assignari ratio inæqualitatis inter Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos. Nulla, qua Papa posset Episcoporum iurisdictionem minuere, vel annullare: nulla ratio denique assignari posset qua Papa sibi casus reseruare valeret, ac proinde sequeretur posse Episcopum in sua diœcesi quidquid Papa in vniuersa Ecclesia potest, sic posse determinare articulos fidei, leges vniuersales, etiam legibus Pontificis contrarias condere: censuras & pœnas, ac etiam irregularitates infligere: consecrare

Episcopos, ipsosque ad suam diœcesim regendam in coadiutores admittere: à reseruatis per Papam absoluere, dispensare in impedimentis matrimonij, & in omnibus votis: indulgentias plenarias concedere, & multa alia facere, quæ nemo sanæ mentis existimabit posse facere Episcopum.

Probatur quintò nostræ propositionis veritas. Quoniam Episcopus præcisè vt consecratus, absque vllo dubio est verè Episcopus, quia verum characterem realem per consecrationem accepit, attamen caret iurisdictione in populum, quia Diœcesi non est applicatus; erectio autem Diœcesis, sicut & ad illam applicatio, est à Papa: ergo & iurisdictio quam per Diœcesis possessionem Episcopus obtinet, est immediatè à Papa. Quod autem erectio Diœcesis & applicatio ad illam, fit à Papa euidentissimum est ex continuo illius erectionis & applicationis in Ecclesia vsu, per Papam factæ. Nec obstat 1. si quis dixerit, natura coniunctum existere Episcopalem characterem cum iurisdictione, ac proinde cùm character sit immediatè à Deo, sic similiter iurisdictio, quoniam hoc falsum est: Apostoli enim charactere insigniti, subditis, qui necessarij sunt ad iurisdictionem possidendam, sicut etiam Episcopi, vacantes, ignoti, & vagantes carebant, de quibus in Concil. Antioch. I. can. 16. Rauennate II. rub. 24, & Concil. in Vernis can. 13 ac etiam hisce temporibus vacantes videmus: Ex quo videre est, iurisdictionem à charactere esse separatam.

Non obstat 2. quod dicitur distinct. 21. cap. *In nouo Testamento*, quòd *cæteri Apostoli cum eodem Petro pari consortio honorem & potestatem acceperunt*. Nam hic textus intelligitur de potestate Ordinis, quæ eadem est in Petro & successoribus, ac in cæteris Apostolis & Episcopis, maior aliquando in Episcopis & simplicibus Sacerdotibus, quàm in Papa, si eligatur nondum Episcopus, aut nondum Sacerdos, ac propterea non obest quod Episcopi successores Apostolorum nuncupentur: nam illis in potestate ordinis, necnon etiam quemadmodum Episcopi alijs prædecessoribus Episcopis succedunt; non autem in Apostolatu, aut in alijs, quæ speciali prærogatiua à Christo Apostoli receperunt.

Non obstat tertiò, quòd Episcoporum iurisdictio sit ordinaria, ac propterea immediatè à Deo, quæ ideò ab eisdem auferri non potest. Nam omnis potestas ordinaria non est à Deo, vt est manifestum; nec similis est potestas Ordinis, cum potestate iurisdictionis: illa enim est immediatè à Deo, & ordinaria per respectum ad sacramenta, licet non ad omnia: nec ab Episcopo per Papam auferri potest: at verò hæc quæ mediante Papa est à Deo & ordinaria, ab eis per Papam auferri potest, vt superiùs dictum est. Atque hanc sententiam verissimam sustinent Caietanus tomo Opusculor tractat. 1. De authoritate Papæ & Concil. Bellarm. lib. 4. de Pontif. ca. 24. Siluest verb. *Papa*, quæst. 1. D. Thomas in 4. distinct. 19. q. 1. art. 3. Nauarr. in Manuali cap. 27. n. 236. Suares de Sacram disput. 25. q. 1. Doctores Parisienses necnon Couarru. Gigas. Henriq. Valent. Camill. Boncl. Azor. Layman. à Barbosa lib. 1. ca. 8. Iur. Eccles. n. 19. & alij. Quam sententiam sibi quis facilè suadebit si consideret differentiam maximam: imo & contrarietatem reperiri inter Ecclesiam Christi & ciuile dominium seu Rempublicam: nam hæc supponitur esse; & deinde leges quibus gubernetur præscribit; ac proindè libera est, & in ea tota iurisdictio radicaliter & originaliter remanet quam suis magistratibus communicando; ab ea tamen non se spoliat. At verò Ecclesia non seipsam fecit: nec leges quibus regitur, sibi præscripsit; sed Christus ipsius princeps leges & præcepta, quibus gubernaretur instituit, & postea ipsam nascentem seruam, sine libertate, potestate, aut iurisdictione congregauit. Quod Christus in Euangelio ex semine, rete, & ædificio, & multis alijs significare voluit. Præcipuum autem illis Ecclesiæ fundamentum Petrum posuit dicendo *tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: sicut autē Christus dum viueret monarchicè illam rexit; sic Petro & successoribus illam eo modo, cùm ex hoc sæculo abscessit, regendam commisit, eis concedendo plenam & totalem in Ecclesiam iurisdictionem, cùm Petro dixit: *tibi dabo claues regni cœlorum*, & consequenter, potestatem introducendi & excludendi ab Ecclesia, & alijs verbis *pasce oues meas* ouis enim est animal quod seipsum regere est incapax, & quia clauigeri & pastoris officia sunt perpetua, non solum Petro; sed etiam successoribus, videlicet Pontificibus Romanis per hæc verba conceduntur; & sic eam eo modo regunt quo Christus & Petrus, habentes omnem iurisdictionem quam cæteris communicant: nec

Digitized by Google

apparet vlla ratio cur gubernandi modus Petri & Pontificum Romanorum à modo gubernandi Christi in hoc differre, diuersusque esse debeat.

Supersunt adhuc non minimæ difficultates soluendæ, prima cur Episcopi quibus iure diuino à subditis obedientia debetur, non habeant immediatè à Deo potestatem iurisdictionis, sed ab homine, scilicet à Papa: cùm videatur euidenter sequi, illum cui iure diuino absque medio obsequium præstatur, suam potestatem à Deo immediate possidere, alioquin videtur illa obedientia iure humano potiùs præstanda, quàm diuino.

Respondetur, illud aduerbium, *Immediatè*, duobus modis posse accipi; 1. quòd Episcopi, cæterique Superiores, habent immediatè à Deo facultatem suis subditis præcipiendi, videlicet, quòd præceptum parendi superioribus sit immediatè à Deo: & hoc verum est, nec vllus vsquam negauit; haud enim esset Superior, nisi facultate præcipiendi polleret; nec subditus quis esset, si obedientiæ præstandæ non teneretur. Ac sic Deus in Sacris Literis præcipit, & ratio naturalis docet; vt omnis subditus Superiori pareat.

Secundo modo potest sumi illud aduerbium *Immediatè*, hoc scilicet modo, quòd Episcopi, cæterique Superiores hunc populum, vel illum sibi subditum à Deo immediatè habeant, vt, verbi gratia, Episcopi Lemouicenses, Cadurcenses, Tholosates, &c. habeant hunc populum Lemouicensem, Cadurcensem, Tholosatem, &c. Et sic falsum est, illos Episcopos hos populos à Deo immediatè possidere; Et certè, si quis ab illis percontaretur, à quo hos populos sibi subditos habeant; Responderent, non à Deo immediatè, sed ab humano medio, iurisdictione in illos potiri, non secus ac Reges, & alij supremo imperio pollentes, qui non à Deo immediatè, vt Saül, & Dauid, sed ab humano medio, videlicet, vel ab electione, vel à successione, aut donatione, aut bello suos Principatus obtinent: & per hæc patet responsio ad difficultatem: non enim ex eo quòd subditi teneantur ipsis obedire, immediatè à Deo iurisdictionis potestatem habent: sed tantùm quòd præceptum sibi parendi in subditis sit immediatè à Deo, sicut in filijs parendi Patri.

Obiicies, quòd ex dictis in hac solutione sequitur, Pontificem Romanum non habere etiam suam iurisdictionem immediatè à Deo, cùm suum principatum non habeat immediatè ab illo, sed ab electione.

Antequam huic difficultati satisfiat, pauca de electione Pontificis hîc sunt ponenda. Primus modus eligendi fuit per Papæ morientis dispositionem; illo vsus est Petrus designando Clementem successorem; attamen hunc Linus & Cletus præcesserunt: nec hæc forma eligendi etiam à primo Concilio Romano, anno 499. post longos annos probata, obseruata fuit: nam cùm Cœlestinus III. moriens referente Rogero Houedeno p. 1. Annal. Ioannem Cardinalem Sancti Marci nominasset, nihilominus Cardinales elegerunt Lotarium Cardinalem, tituli Sanctorum Sergij & Bacchi, Innocentium III. annorum 37.

Secundus qui hunc sequutus est modus, fuit calculis & suffragijs, ac populi consensu & approbatione, cœpitque ab Anacleto Græco vsque ad Fœlicem IV. exclusiuè: refertque Cyprianus lib. 4. Epist. 2. ad Antoniam, Cornelij electionem hac forma factam ann. 252. mense Aprili.

Verùm, cùm hęc eligendi forma occasionem Schismati præbuisset, & ex illa, prætextu sedandorum tumultuum, Imperatores Pontificem nominandi, per iniuriam annis 140. sibi ius arrogassent, ita vt Clerus violentiam patiens, consensum præbere cogeretur: posteà tamen in Concilio Lateran sub Alexandro III. 1179. celebrato, totum ius Pontificem Romanum eligendi Cardinalibus; reliquo Clero, Imperatore, & Populo exclusis, concessum est; & statutum, vt duæ tertiæ partes Cardinalium ad Pontificis electionem necessariò conuenirent, aliàs quis non assumeretur ad Papatus officium, nisi maior interueniret concordia. Et hac forma electionis primus inauguratus fuit Lucius III. 4. Calend. Septembris 1181. quâ forma nulla melior (vt ratio & experientia docuerunt) fuitque confirmata à Concilio Lugdunensi, & à variis Pontificibus, inter quos Gregorius XV. die 15. Nouemb. anno 1621. constitutionem edidit, cui initium est, *Æterni Patris Filius*, qua modum huiusmodi electioni præscripsit.

His

His de Pontificis electione prænotatis, Obiectioni respondetur, dicendo, quòd Papa imperat omnibus Christianis: non solùm eo titulo vniuersali quo Deus præcepit, vt obsequium præpositis exhibeatur: sed etiam illo, quo Deus Christianos omnes illi immediatè subiectos dedit: & quamuis electione Cardinalium inauguretur, non tamen ab eisdem potestatem accipit, sed immediatè à Deo, qui Petro & in ipsius persona successoribus dixit, *Pasce oues meas:* quod hac euidenti ratione à Cardinali Bellarmino in responsione, de qua alibi locuti sumus, probatur. Nam Papa, vt inferius probabitur, à suo Apostolico Principatu nullam Prouinciam, Vrbem, aut Christianum, siue in Collegio Cardinalium, siue in Concilio generali præsideat, alienare nec quempiam è Christianis à sua iurisdictione adimere potest; idque ita verum est, vt nullatenus fieri possit; quòd ipse sit verus Papa, quin sit omnium Christianorum supremus Pastor. Quod manifestè indicat, potestatem ipsius esse immediatè à Deo, alioquin si à Deo mediante aliquo illam acciperet, posset ab illo medio arctari: at vero ab aliis Superioribus, tam Laïcis, quàm Ecclesiasticis, Ciuitates & Prouinciæ, & alia huiusmodi ad illorum statum spectantia auferri possunt: & ita potestate priuari, qua pollebant: quoniam illorum titulus, in cuius vi ea possident, humanus est, non diuinus.

Quod autem in obiectione pro ratione affertur, videlicet principatum Pontificis esse immediatè ab electione, non à Deo; Respondetur falsum esse: nam principatus Papæ est à Deo immediatè; sicut & iurisdictio. Electio autem est conditio sine qua non, quemadmodum approximatio ad ignem, à quo immediatè stupa comburitur, non autem ab approximatione. Ex quibus omnibus patet, Pontificem Romanum suam iurisdictionem (quam Papa proximè citandus vocat Ecclesię Romanæ priuilegium) immediatè à Deo possidere; non autem Episcopos cæterosque Prælatos, sed immediatè à Papa, qui omnium illorū supremus est Pastor, suaque in in illos omnes iurisdictio extēditur, vt optimè probat Nicolaus II. distinct. 22. cap. *Omnes, siue Patriarchy*, qui huiusmodi iurisdictionem à Papa auferre conantes, stupendo & admodum formidando fulmine percutit, his verbis, *Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit: Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cùm ille vocetur iniustus, hic est proculdubio dicendus hæreticus; fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est fidei: & ille contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur: vnde & ipse Sanctus Ambrosius; se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.* Instabis ex eo sequi Pontificem non posse propter hæresim deponi. Nec etiam papatui posse renunciare, cum immediatè à Deo iurisdictionem accipiat, quam ab ipso nemo potest eripere: nec ipse à seipso, quod est contra Ecclesiæ vniuersalis dogmata, & praxim: sed respondetur Pontificem statim atque in hæresim labitur (si in eam labi potest quod multi negant) iure Diuino Pontificatu priuari; sed Ecclesiæ sententia posteà iudicari & declarari, eum ob crimen hæresis pontificiâ dignitate cecidisse, vt docent Suares & alij de fide disput. 10. sect. 6. n. 6. ac simil. Pontificem renunciantem Pontificatui abdicando à se potestatem iurisdictionis per motum voluntatis sufficenter expressum cap. 1. de renunc. in 6. suprema potestate destitui, vt post quam plurimos doctores tenet & Bonac. de legit. elect. Pontific. q. 1. p. 1. propos. vnic. n. 20. non à collegio Cardinalium, licet hæc renunciatio illi constare debeat: sed à Deo, cui hæc renunciatio est facienda, & non hominibus, cum non sint illi superiores, vt multi canonistæ tenent à Barbosa lib. 1. iur. Ecclesiast. cap. 2 n. 213. inter quos concludit Archidiac. dicto cap. 1. de renunc. ad finem, *quod sicut Papatus erectio soli Deo reseruata est, iuxta cap. vlt 79. distinct. ita etiam resignatio soli Deo facta videtur* & ita colligitur ex forma renunciationis, qua Cœlestinus V. renunciauit, quam ponit Cardill. in suis annalib. lib. 4. anno 1294. his verbis: *Ego Cælestinus Papa V. motus ex legitimis causis id est causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, ex malignitate populi, & infirmitate personæ, & vt præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem sponte ac liberè cedo Papatui & expressè renuntio loco & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem sacro cœtui Cardinalium eligendi & prouidendi dumtaxat canonicè vniuersali Ecclesiæ de pastore:* & sic soluta manet instantia: non enim à quoquam,

Digitized by Google

neque à seipso aufertur iurisdictio suprema, sed à Deo.

Secunda difficultas sequenti argumento innititur: eodem modo nunc instituuntur Episcopi, sicut tempore Christi in Episcopos Apostoli instituti fuerunt; institutio autem illorum fuit à Christo immediatè, & non mediante Petro; quæcumque alligaueritis super terram, ergo & nunc instituuntur ab eodem Christo immediatè, & non mediante Papa. Respondetur Apostolos iuxtà ordinem à Christo positum, non ab eodem Christo; sed à Petro instituendos fuisse, sicut de facto institutos fuisse tenent multi doctores Catholici, licet aliqui alij existiment hanc institutionem à Christo fuisse factam; addunt tamen quod Christus id faciendo, præuenit officium Petri per semetipsum agendo hac dumtaxat vice, quod spectabat ad Petrum, & Apostolis eam potestatem conferendo quam à Petro accipere debebant. Quemadmodum Deus antiquitus operatus est, dum de spiritu Mosis sumpsit, eumque 70. Iudicibus dispersit; ac propterea hæc institutio fuit eadem, ac si facta fuisset à Petro, & sic instituti totam iurisdictionem ab eo mendicassent, vnde subditi Petro in illius exercitio, Quoad loca & modum illam exercendi, perpetuò manserunt. Quod si non legatur Petrum eos correxisse: non fuit ex potestatis defectu erga illos, sed quia debitè illam exercentes correctione minimè indigebant. Confirmatur tota hæc responsio ex cap. 7. distinct. 19. quod hîc inserere iudicaui *Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, vt veritas, quæ legis, & Prophetarum præconio continebatur per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est in omnem terram exiuit sonus eorum &c. sed huius muneris sacramentum ita dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret: vt ab ipso, quasi quodam capite doua sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se miuisterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum id quod ipse erat voluit nominari dicendo, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.*

Tertiam difficultatem sequens argumentum aperiet. Si solus Papa iure diuino iurisdictione polleret, non verò Episcopi, posset abstinere ab Episcoporum creatione, & solus ipse subsistere: non potest autem sic abstinere, quia hæc esset contra ordinationem diuinam; dicendum est ergo quod non solum Papa iure diuino habet Iurisdictionem: sed etiam Episcopi illam eodem modo recipiunt. Respondetur diuina ordinatione constitutum esse, ne in Ecclesia sint multi Episcopi, Papæ coadiutores, quos ipsa in eadem conseruare tenetur; verùm differt quippiam esse de iure diuino, & esse ordinatum à Deo; seu esse de ordinatione diuina. Nam quæ de iure diuino instituta sunt, perpetua sunt, & ab illo solo pendent omni tempore, tum in genere, tum in particulari: sic de iure diuino est baptismus, & alia sacramenta in quibus singulariter in qualibet persona particulari Deus immediatè operatur. Sic est immediatè à Deo Pontifex Romanus; quia eo moriente claues non remanent in Ecclesia: nam ei datæ non sunt, quas creato, seu electo Papa, statim confert Deus sine vllo medio. Sed aliter ratiocinandum est in his quæ sunt de ordinatione diuina quæ generaliter seu vniuersaliter à Deo ordinantur; at verò particularia hominum dispositioni quoad executionem, relinquuntur: sic Paulus pronunciat Principes & potestates à Deo ordinatas esse; idest à Deo procedere præceptum generale, quod sint Principes & potestates; nihilominus tamen quilibet illorum in particulari legibus ciuilibus creatur & instituitur. Eodem planè modo Episcopi diuina ordinatione instituti sunt, vt Paulus testatur, dum dicit quod posuit illos spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, non tamen de iure diuino vnde Papa ordinem vniuersalem faciendi Episcopos abolere minimè potest; quoniam ille ordo à Deo est; potest tamen in particulari deponere quemlibet Episcopum, cùm ipsius institutio non sit, nisi de iure canonico. Quod autem hoc ita sit, constat apertè ex eo, quod sicut Episcopi sunt ordinatione diuina, sic & ministri: nullus autem Episcopus dicet illos esse de iure diuino; cum quotidie eos à ministerijs amoueant, quod facere nequaquã possent.

Quarta difficultas sequenti ratione exponitur si Episcopi non essent immediatè à Deo, seu de iure diuino, non essent ordinarij sed delegati: sunt autem ordinarij iuxtà omnes Canones & Doctores: sunt igitur de iure diuino: huic difficultati responsio in promptu fiet, si diuidamus iurisdictionẽ in fundamentalem & deriuatam; deriua-

tam in delegatam & ordinariam, & si consideremus, quod in statibus ciuilibus iurisdictio fundamentalis est in principe: deriuata autem in omnibus magistratibus: & quod ordinarij non differunt à delegatis ex eo, quod à diuersis iurisdictionem accipiant, cum omnes emanent æqualiter ab eadem suprema principis iurisdictione: sed in hoc consistit differentia, quod ordinarij lege perpetua & cum successione, deriuent: at verò delegati emanant cum singulari potestate per respectum ad personas, vel per respectum ad casus. Dicimus ergo respondendo difficultati, Episcopos esse verè ordinarios, licet suam iurisdictionem à Papa accipiant; quoniam lege Papali instituuntur, vt dignitas perpetuæ successionis in Ecclesia.

Quintam difficultatem faciunt duo testimonia scripturæ, quibus videtur quod Christus dat auctoritatem Ecclesiæ, & consequenter Episcopis, vt quando dicitur quod est *columna veritatis*, & *qui non audierit Ecclesiam sit tibi velut Ethnicus &c.* sed responsio est quod intelligenda sunt per respectum ad caput, videlicet, Papam in eam influentem: atque hæc est ratio, ob quam Ecclesia errare non potest: & cur separatus à Papa, segregatus est ab Ecclesia.

Nec instabis dicendo quod si nullus Episcopus habet auctoritatem à Christo, sed à Papa, ab eodem Christo eam Concilium generale habere non poterit: nam respondebitur hanc consequentiam non esse absurdam si consideretur Concilium separatum à Papa in illud influente: vnde sine dubio sic separatum potest errare, eiusque decreta non confirmata à Papa nullam veritatem quoad fidem & mores stabilire possunt; non enim auctoritas Concilij ab Episcoporum auctoritate procedit, cum sicut vnus illorum possit errare, sic singuli: nec etiam ob multitudinem Episcoporum, dicitur Generale, cum persæpe in eis non intersit quadragesima pars Episcoporum; sed à Papa vniuersaliter conuocante & declarante Concilium generale; quod ita verum est vt si cum Papa in Conc. sic conuocato concurrat 50. aut minoris numeri Episcopi ad declarandum fidei articulum, sic declaratus fit veræ fidei articulus, vt factum fuit sub Paulo III. in Trident. in quo aliqui articuli de fide fuerunt declarati cum numero Quinquagenario; & hanc veritatem ostendit Conciliorum praxis, qua videmus Pontificem præsentem in determinatione decretorum fidei sic pronunciare *sacro approbante Concilio*. Quod si Concilium se asserat à spiritu sancto congregatum, hoc intelligendum est mediante Papa influente: nam illo non influente potest errare; & sic non erit à spiritu sancto congregatum. Dicamus ergo, finem huic prolixæ propositioni ponendo tum ex auctoritatibus positis, tum ex rationibus adductis tum denique ex solutione argumentorum, & difficultatum constare Episcopos non recipere suam Potestatem, seu iurisdictionem immediatè à Deo, seu à Christo, sed ab eo mediante Papa: illosque Episcopos non probè sentire de potestate sedis Apostolicæ qui in suis literis patentibus, omissa, dictione *sedis Apostolicæ gratia* & sola dictione se *gratia Dei* institutos profitentur; nam vtraque ex debito ponenda esset, vt ponere solent de illa sede bene sentientes.

PROPOSITIO II.

Potest Papa eximere personas Seculares & Regulares ab Episcoporum iurisdictione, ita vt non teneantur illis parere: qui tamen neminem à sua iurisdictione eximere valet.

In exemptione tria consideranda sunt: Primum ipsum Papam eximentem: Secundum, personas exemptas: Tertium, ipsam exemptionem. Ex horum quolibet manifestum est, quòd Papa in Ecclesia exemptionem quam vult, facere potest: est enim ipse Filij Dei Vicarius Et sicut quod Deus mediantibus creaturis, tanquam causis secundis, seipso totum immediatè facere potest; sic Papa vices ipsius gerens, quantum ad potestatem iurisdictionis, de qua hîc agitur, fideles quos mediantibus Episcopis, & alijs Ministris regit, & moderatur, seipso regere potest immediatè: quod si non omnes immediatè gubernet, non est ex potestatis, & virtutis defectu, cùm Episcopi, & alij Ministri, illos non regant, nisi ex virtutis, bonitatis, & clementiæ ipsius communicatione: vt probatum fuit.

2. Patet propositio ex parte ipsorum Exemptorum, sic enim debet esse, vt ait Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia, sicut est in Hierarchia cœlesti, sed in hac sic est, quòd Angeli de Suprema Hierarchia exempti sunt: quia non recipiunt diuinas illuminationes, Angelis alijs mediantibus, sed immediatè per seipsos, & per eos ad omnes inferiores deriuantur: sic in Ecclesiastica Hierarchia aliqui debent esse exempti, immediatè recipientes illuminationem, & correctionem à Summo Pontifice, & per seipsos alijs inferioribus eas communicantes.

3. Denique constat ex parte ipsius exemptionis, cùm enim Papa sit Caput totius Ecclesiæ, non debet ipse priuari operatione Hierarchiæ, quæ est visitatio, & correctio, vt ipse aliquos immediatè supponat suæ visitationi, & correctioni, quæ munera, exemptio propriè sonat: nam subtrahi à visitatione & correctione Episcoporum, & supponi immediatè visitationi & correctioni Summi Pontificis est propriè eximere; quia ipse solus exemptionem facere potest, vt tradit Glosa cap. *frater* 16. q. 1. & vers. *exemptum* c. *cum inferior* de maior. & obed. & vers. *Reseruat.* post principium cap. *quod translatione* de offic. Legat. & cap. 10. de priuileg. in 6. sic tenent. Mandos. de signat. gratiæ tit. Exemptiones, versu *Eximere propriè est Apostolicæ sedis* & Anchar. cons. 132. n. 5.

Nec dicendum, id posse, Pontificem, sed non expedire: Nam valde expedit illum vti potestate illa concedendi priuilegium exemptionis. 1. Vt ordo in Ecclesia Dei perfectus sit, qui talis non esset, si omnes Christiani mediantibus Episcopis, & Ministris Ecclesiæ ordinarijs gubernarentur, sicut nec in corpore naturali, si omnia membra æqualiter à capite distarent.

2. Quia Expedit, quòd Papa habeat specialem curam de specialibus & præcipuis Ecclesiæ membris, cura autem illorum per immediatam actionem, habetur, quæ exemptione comparatur: ergo expedit, quòd eximat aliqua præcipua Ecclesiæ membra, & quæcumque voluerit, vt de illis specialem curam gerat.

3. Quoniam vt optimè pronunciat Magnus ille Augustinus, Ecclesia per incrementa temporũ maior i vasa est potestate in correctione delinquentium, & in promotione & quiete bonorũ, vsa maiori libertate: erat namque in primis nascentis Ecclesiæ temporibus tanta Episcoporum paupertas, & indigentia, vt in fame, siti, frigore, & nuditate suos subditos visitarent, vt docet Apostolus 2. Cor. 12. sic scribens. *Quid enim minùs habuistis præ cæteris Ecclesijs, nisi quòd ego ipse non grauaui vos: & ecce tertiò paratus sum venire ad vos, & non ero vobis grauis, quia non quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Ab illo autem tempore multi Episcopi diuites facti ad subditos accedebant cum turba equorum, & famulorum, ipsosque grauabant, ac etiam in plurimis alijs vexabant; quocirca expediuit, quòd Romana Ecclesia, quæ omnium mater est, priuilegio exemptionis circa aliquos vteretur, sibique illos subiiceret. Et sic in persona Summi Pontificis Dei Vicarij potest illa Prophetia assumi Ezech. 34. *Ecce ego ipse circa Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltrà non pascant gregem meum: nec pascant ampliùs Pastores semetipsos; & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis vltrà in escam, dicit Dominus Deus, ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum.* Et hæc ratio est vna ex præcipuis, cur Pontifices exemptionem Regularibus concesserunt; si qui enim Episcopi immodestiùs se gessissent erga Abbates, & Monachos, exemptio illis indulgebatur, inuitis etiam, & renitentibus Episcopis, vt testatur Gregorius VII. lib. 2. Epist. 69. ad Taurinensem Episcopum, his verbis, *An ignoras, inquit, quòd Sancti Patres plerumque & Religiosa Monasteria de subiectione Episcoporum, & Episcopatus de Parochia Metropolitanæ sedis, propter infestationem præsidentium diuiserunt, & perpetua libertate donantes Apostolicæ Sedi, velu principali capiti suo membra adhærere sanxerunt.*

4. In Ecclesia Christi nascente tanta fuit subditorum paucitas, vt non solùm vnus Episcopus Ciuitatē, imò Prouinciam, & plures visitare poterat, sicut de Paulo constat, qui nunc in Græciam, nunc in Hispaniam posteà in Italiam Christianos, visitaturus pergebat: sed his sæculis multiplicatis Christianis, vix plures Episcopi sufficiunt ad decimam partem illorum visitandam, corrigendam, & instruendam, quocirca Episcopo conquerenti de exemptione, aptè respondetur illud dictum Ietri ad Moysem Exod. 18. *Stulto labore consumeris tu, & populus iste, qui tecum est, & vltra vires est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Et sicut consilio Ietri acquiescens Moy-

ses, Summi Pontificis figura, minora senioribus Israël committere, maiora suo iudicio reseruare, expedire iudicauit, ac opere compleuit. Sic similiter facit Pontifex Ordinariorum, nimis oneratorum curam gerens, maiores personas ab eorumdem potestate subtrahendo, & easdem suæ iurisdictioni reseruando, alias autem personas Episcopis committendo.

Quod si in vniuersum Pontifex eo iure erga omnes personas vti valet; potissimùm circa personas in Collegijs, & in Monasterijs degentes, expedire iudicandum est, ac priùs circa personas in Collegijs degentes, præcipuè verò Canonicos probatur.

Primò, Quia expedit Papæ facere quod Ecclesiæ vniuersali vtile est; sed vtile est Ecclesiæ, Canonicos subtrahi à iurisdictione Episcoporum, & illos immediatè supponi iurisdictioni Sedis Apostolicæ: ergo expedit Papæ illo iure vti erga Canonicos, & alios in Collegio viuentes. Maior propositio certa est, minor probatur. Quia ordinatio subditorum sub Episcopo facta est, in commodum & vtilitatem eorumdem quantum ad tria: primum in ordine ad correctionem delinquentium: secundum in ordine ad bonorum promotionem, & eorumdem quietam & pacificam contemplationem: tertium, in ordine ad Collegiorum vel Ecclesiarum tuitionem, & gubernationem. Verùm cùm sępissimè contingat, illa tria impediri per immediatam Episcoporum iurisdictionem: ideò per Papam, cui cura est de omnibus, congruum est aliqua Collegia, & aliquas personas, & Canonicos eximi: vt in præmissis quietiùs, & securiùs promoueri valeant. Nec in hoc præbetur Episcopis occasio conquetendi, si absque eorum culpa tales substrahantur à sua iurisdictione, cùm Papa vtatur iure suo, nec eis iniuriam faciat, sed magnum beneficium eisdem conferat. Quòd si conquerantur, satis probant, se non quæ IESV Christi sunt quærere; sed quæ sua: licet in veritate non sua. Sicut enim dicit Gregorius in illa verba Exodi 11. *Quid æmularis pro me, quis tribuat, vt omnis populus prophetet? Pia*, inquit, *mens pastori quæ non propriam gloriam, sed auctorem quærit: ab omnibus vult iuuari quod facit: nam fidelis prædicator optat, si fieri valeat, vt veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.*

Probatur secundò quoad Regulares personas in Monasterijs vitam agentes; ex præmissis rationibus quæ propriè Regularibus adaptantur, & ex sequentibus: quarum prima est, quòd tres actus in Ecclesia maximè sunt necessarij, & vtiles reipublicæ: Primus est studium, & lectio diuinorum ad remouendam ignorantiam, quæ multum est periculosa; iuxtà illud Ambrosij, *Grauissimè, & periculosissimè peccas, si ignoras; multa enim mala sequuntur ex ipsa ignorantia.*

Secundus est exhortatio populorum ad vitiorum manifestationem: sic enim dicit Propheta *Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Cùm enim non vitetur malum, nisi cognoscatur: magna vtilitas insurgit in populo fideli, si vitia & peccata eis manifestentur, & explicentur.

Tertius est doctrina Magistrorum ad Sacræ Scripturæ expositionem faciendam: tanta enim est profunditas Sacræ Scripturæ, vt à principio mundi vsque ad finem semper sit necessaria in Ecclesia eius expositio. Vnde Augustinus in illa verba, *Quærite faciem eius semper*, dicit, quòd *in Sacra Scriptura semper Deus quæritur, & semper inuenitur: nam quæritur, vt inueniatur dulciùs, & inuenitur, vt quæratur auidiùs.* Ac de his tribus actibus loquitur Apostolus 1. Timoth. 4. dicens, *Esto exemplum Fidelium in verbo, & in conuersatione, & charitate; & dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Vt ergo aliqui in Ecclesia his tribus actibus quietiùs ad populi Christiani vtilitatem instare valeant, congruum est, vt Regulares qui eisdem ex instituto perfectiùs vacare possunt, ab Episcoporum iurisdictione eximantur; sicut de facto exempti sunt, quia specialiter studere debent lectioni diuinorum, populorum exhortationi, & doctrinę Magistrorũ. Quòd autem eos actus Regulares exempti operentur manifestum est.

Plures alias exemptionis causas in fauorem Canonicorum, & Regularium à iurisdictione Episcoporum refert Ioannes Lomede de Exempt. c. 1. & Francisc. Meinardus Frisius in suo libello de Offic. Iud. Ordin. Communis & frequentior est oppressio subditorum, quæ partim in sacris Canonibus, partim in historia Ecclesiastica, & Bullis legitur; & ob hanc præcipuè causam concessam fuisse exemptionem Capitulis Lomede asserit, aliæ tamen causæ, ob quas facta est huiusmodi Canonicorum Exemptio, non deficiunt, quæ procul dubiò leues non sunt. Prima est vt copia accusandi liberior illis fieret, si contingeret Episcopum labi in hæresim, 2. Vt libe-

Digitized by Google

rior esset Canonicorum consensus, vel dissensus, tam in electionibus dignitatum, quàm in aliis per Episcopum agendis, & alienationibus impediendis. Er postea idem auctor descendendo ad aliquas exemptionis Regularium causas, post illam antedictam, communem Canonicis & eisdem Regularibus, ponit sequentes, videlicet: primam, disparem Ordinariorum, & Regularium professionem, & ignorantiam rituum, & morum Regularium; secundam, Clericorum erga Regulares infensum animum: tertiam, quæ est Canonicis & Regularibus communis, quietem & dilectionem inter dictos Canonicos & Regulares ex vna, ac Episcopos, ex altera partibus, seruandam: quartam ad euitandam multorum Superiorum diuersitatem, mandatorum contrarietatem, iurisdictionisque contentionem, è quibus mala prope infinita originem trahunt. Probatque ille auctor omnes illas causas præmemoratas, tum ex sacris Canonibus, tum etiam multis rationibus, & exemplis. Verùm demus ipsas exemptiones honoris gratia dumtaxat aliquibus Ecclesijs, ac etiam Ordinibus concessas fuisse, non tamen ex eo perperàm concessas. & nullas existimare debemus: cùm Canonibus, Decretis, & Conciliis prohibitum, & inimicum non sit, imò verò approbatum in Concil. I. Niceno sub Constantino Imperatore celebrato, cui subscripserunt 318. Episcopi qui in eodem conuenerunt, in quo dictum fuit C. 6. *Mos antiquus, & honor suus vnicuique Ecclesiæ seruetur.* Superest autem difficultas num Papa possit eximere aliquem à semetipso? cui satisfiet respondendo nequaquam id posse, 1. quoniam, vt dicunt Abba, s & Ioann. Andreas, non est credendum quod Papa possit aliquem priuilegiare, ne teneatur venire ad eum, vel non possit per eum excommunicari, quia cum ipse teneat locum Dei in terris cap. 2. de translat. prælatorum, non debet aliquem eximere à sua potestate, cum per hoc eximeretur à potestate; Dei; vnde contra summam potestatem non valet præscriptio, vt docent Innocent. in cap. *Bonæ* 2. de postulat. prælat. & Felin in cap. *cum non liceat* n. 14. in fine de præscript. probatur 2. quoniam non debent dari in Ecclesia Dei aliqui acephali sicut locustæ sine Rege, & sine capite, vt docet Abbas in cap. per venerabilem n. 9. & 37. tit. qui filij sint legitimi. 3. qua sic negaret se esse caput totius Ecclesiæ, vt optimè concludit Augustin. de Ancona de potest. ecclesiæ quæst. 7. art. 8. & Antonius Riccuel. de iure personar. extra Ecclesiæ gremium existentium lib. 9. cap. 2. n. 12. in fine 4. quia non est in manu Pontificis abiiciendi à se claues, ac sibi manus ligandi cap *Innotuit* de elect. & Glosa c. finali de Rescript. in 6. & in ca. fin. de sent. excomm. eod. lib. & innumerri alij doctores, præter enumeratos, illius sunt sententiæ.

PROPOSITIO III.

PApa nullam infert iniuriam Ordinarijs, cùm subditis illorum priuilegium exemptionis concedit.

1 Probatur propositio, quoniam qui iure suo vtitur, nulli facit iniuriam; vtitur autem Papa iure suo, vt Rex, cùm similes personis sæcularibus exemptiones largitur. Sic Henriques lib. 7. de Indulg. ca. 12. & plures alij, quos ipse citat post S. Bonauent. in Apolog. pauperum, respons. 4. cap. 4. & D. Thomam in supplemento 3. partis qu. 8. articulo 5. ad primum. Huius autem vltimi, hæc est præcipua ratio, quia præiudicium non fit alicui, nisi subtrahatur quod est in fauorem eius indultum: iurisdictio autem non est commissa alicui homini, in fauorem suum, sed in vtilitatem plebis; & honorem Dei, &c. ergo non fit illi iniuria à Pontifice, si potestas iurisdictionis in Regulares ab Ordinariis subtrahatur. Quod ex eo confirmatur, quia sicut Ordinarius non fit iniuria, quando Papa grauiores casus sibi reseruat, & Episcopus Curatis, quando similiter id facit; nec Papa Episcopis, nec Episcopus Curatis iniuriam faciunt. dum speciali priuilegio concedunt licere id, quod aliàs generali decreto Ecclesiæ vel Diœcesis prohibetur. Sic etiam Pontifex Episcopis iniuriam non facit, dum quasdam personas immediatè sibi subiicit, & illarum causas priuatiuè reseruat suo iudicio, & euocat ab Episcoporum iurisdictione: quibus addo, quòd spiritualis iurisdictio Episcoporum deriuatur, & pendet à Pontifice, vt supra probatum est, & constat ex cap. *Qui resistit*. 11. q. 3. ex Augustino, Serm. 6. de verbis Domini desumpto, in quo habentur quæ sequuntur, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, sed quid si illud iubeat, quod non debeas facere? hic sane contemne potestatem,*

timendo potestatem: ipsos humanarum legum gradus auertite, si aliud iusserit curator, nonne faciendum est: tamen si contra Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire, nec tunc debet minor irasci, si maior prælata est: rursus si aliquid iubeat Proconsul, aliud iubeat Imperator, numquid dubitatur, illo contempto, illi esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus, quid iudicatis? Solue tributum: esto mihi in obsequium: rectè, sed non in idolio. In idolio prohibet, tu carcerem, ille gehennã minatur. Sicque Doctores in illud caput sentiunt, & confirmatur 1. quia Si Papa potest eximere aliquem à decimis soluendis, vt constat quod possit cap. *& nobis.* de decimis, & ex Glossa ibi, & aliis; ergo similiter illum eximere poterit ab alijs iuribus Episcopis debitis, cum in vtrisque sit par ratio. Confirmatur 2. quoniam Papa illam iurisdictionem, quam probauimus esse suã, & illa iura, concessit eo modo, & conditione Episcopis, quando ipse non reuocauerit. Quod si maritus vxori viduæ reliquit vsum fructum bonorum quoad castè vixerit: aut tutelam filiorum, si ad secundas nuptias non transierit: ipsa vidua, deficiente ea conditione & modo, amittit in vtroque foro vsum fructum absque alia sententia & declaratione criminis, quia cessat titulus acquirendi, & intentio donantis. Sic etiam Episcopus in exempto omnem potestatem amittit, Pontifice illam reuocante, quia cum ea conditione illi fuerat concessa; & sicut non dicitur Pontifex facere iniuriam Parocho, & Beneficiario non residenti, aut horas non recitanti, si illum priuat fructibus beneficij sibi iure acquisiti; ac sicut Rex etiam populo non facit iniuriam, si eximat Nobiles à tributis, licet ex consequenti grauetur populus: sic Pontifex, dum vtitur iure suo eximendo aliquos ab Ordinariis; illis nullam facit iniuriã: maximè illis Ordinarijs quibus partitum est territorium Diœcesanum, cum huiusmodi exemptionibus, quibus territorium non dat Pontifex, nisi prout est, & cum eo onere, si ita loquendum sit. Sique ad hanc propositionem probandam rationes deficerent, maxima ratio existeret vsus exemptionis, tum in potestate Ecclesiastica, tum in laïca, vel sæculari; & sensus omnium ordinum regni Galliæ in eiusdem vniuersalibus Comitiis congregatorum 1614. die 7. Nouembris, vt fertur in Mercurio Gallico tomo quinto, qui tenuerunt Concilium Tridentinum recipere, hac sola de causa, quòd legitimis, & iustis exemptionibus, & priuilegijs vniuscuiusque ordinis, videlicet Ecclesiastici, Regularis, & Laici repugnabat. Quis autem audebit iudicium tantorum virorum Ecclesiasticorum, Nobilium, & sæcularium de iniustitia arguere? quod certè faciendum esset, si huiusmodi exemptiones & priuilegia, quorum conseruatio prælata fuit receptioni Concilij, fuissent contra iustitiam, & Ordinarijs iniuriosa.

Quod optime cognitum fuit à supremis regni Galliæ Senatibus, qui in casibus particularibus exemptionis, in fauorem eius Sententiam pronunciarunt: ac vt sermo non longiùs extendatur, duas dumtaxat Senatus supremi Parisiensis in medium afferam. Primam refert Ioannes Lomede de Exempt. cap. 4. die 9. Augusti 1586. emanatam in causa Monasterij exempti S. Gerardi Aureliacensis Ordinis S. Benedicti, in sæcularem Ecclesiam diplomate Pontificio ab antedicto Senatu approbato, mutati, cum exemptione ab Episcopi Diœcesani iurisdictione, à quo tanquam de abusu propter dictam exemptionem ad eundem Senatum Franciscus Terrasse cum Episcopo Diœcesano Sancti Floriã dicto Terrasse excitato, prouocauit. Qui partibus contradictoriè auditis pronunciauit, Pontificem Romanum minimè sua potestate abusum fuisse, ipsiusque prædictum diploma executioni mandandum imperauit. Secunda Sententia est in causa Diœcesis Burdigalensis: cùm enim Pius II. Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Burdigalensis ab Archiepiscopi eiusdem Ciuitatis iurisdictione exemisset, eumdem de abusu ad dictum Senatum Parisiensem (tunc enim non erat Senatus Burdigalæ) prouocantem, partibus auditis condemnauit: illamque exemptionẽ tanquã iustam, & legitimam à potente illam concedere emanatam approbauit. Quam Sententiã, vtrumque Magnum, & Priuatum Regis Consilium suis arrestis, tempore Archiepiscopi Francisci Sourdisij Cardinalis confirmauit. vt ex archiuiis eiusdem Capituli constat. Et certè vt tandem finem huic propositioni imponamus, si huiusmodi exemptiones essent iniuriosæ, Concilia generalia, omnes Pontifices, Imperatores, Reges, & Iudices supremi, etiã sanctissimi, de iniustitia damnarentur: cùm omnes illi exemptiones concesserint. Quod impium esset asserere, sicut etiã maximè temerariũ illas statui ecclesię obfuisse, audacter affirmare.

Nec officit huic veritati cuiusdam Scioli obiectio, videlicet, pastorem habere relationem essentialem ad suum gregem, seu Episcopatum, quam Papa non potest adimere sine diminutione, seu potius destructione Pastoritiæ, seu Episcopalis, potestatis: adimit autem per exemptionem Regularium, vel priuatorum, quia correlatiua eius eximendo, eam adimit. Non officit, inquam, illa obiectio, quoniam vt iam dictum est, Papa non dat Episcopatum seu gregem, nisi prout est, & cum illa conditione, vt possit eximere ab illius regimine quos voluerit. Deinde negatur quòd Episcopus, seu pastor, habeat actualem relationem ad gregem, alioquin Episcopi in partibus Infidelium non essent pastores, & Episcopi, cùm gregem non habeant, eo quòd inibi Christiani non sint: ac similiter Apostoli non fuissent pastores, cùm gregem actualem tunc temporis non haberent. Certum quidem est, pastorem referri relatione essentiali ad gregem, sed non ad gregem actualiter existentem, aut talibus, & talibus compositum, quia inde infinita sequerentur absurda, & vnum inter alia, scilicet quòd Papa non posset aliquem à iurisdictione Episcopi, illo consentiente, aut dissentiente eximere, vt illum ad Episcopatum assumeret, quod absurdissimum est, & contra vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ vsum, & praxim.

Instabis, non potest Papa dispensare in voto sine voluntate vouentis, nec in contractu, sine consensu contrahentium: dispensat autem, & in voto, & in contractu, cùm eximit Regulares ab Episcoporum iurisdictione: ergo frustra id facit. Respondetur, dictam exemptionem à Papa factam erga Regulares valere: nam licet obedientia Episcopi, ab illis fuisset voto & contractu promissa, tamen subintelligebatur in eisdem voto, & contractu, conditio, videlicet quamdiu voluerit Pontifex Romanus, à quo in hac parte delegata potestate potiebantur, cùm omnis iurisdictio, & superioritas quæ in illis residet, à Papa pendeat, vt probatum est. Et hæc responsio optima est, in suppositione, quòd Regularis ex voto obedientiam Episcopis quatenus Episcopis promitteret: sed cùm expresè de illo iure non constet, sed dumtaxat de subiectione Regularis Episcopis, ad formam sæcularis subiectionis, vt inferiùs patebit, ideò illa obiectio nullius est efficaciæ aduersus Regularium exemptionem.

PROPOSITIO IV.

IVre antiquo Religiosi, seu Monachi, partim erant subiecti iurisdictioni Episcoporum, partim erant ab eadem exempti, in iis videlicet quæ statum regulę Religiosæ spectabant.

Hæc propositio probatur quoad primam partem ex cap. *Qui vere*, 16. q. 1. desumpto ex Concil. Calced. can. 4. & ex concilio Tolet. IV. cap. 15. & ex concilio Vernis can. 3. & ex cap. *Conquerente*, de Officio Iudicis ordin. Ex quibus patet, Religiosos olim subditos, & subiectos extitisse Episcopo illius diœcesis, in qua morabantur: quod etiam testatur D. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 5. ad 13. Quocirca Episcopi in vi illius subiectionis eos admittebant ad professionem Religiosam; vt habetur cap. *Viduitatis.* causa 27. q. 1. & dum opus erat, eos castigabant, ac etiam illorum Abbates: imò illos aliquando à Fidelium communione separabant, vt constat ex concilio Calcedon. art. 7. cap. 1. & cap. *Monasteria.* ac etiam cap. *Cognouimus.* 18. q. 2. quæ iura præcipiunt, vt Monachi Episcopis pareant, & ab eis corripiantur.

Probatur propositio quoad secundam partem ex cap. *hoc tantum* 18. q. 2. desumpto ex Conc. Tolet. in quo habetur *quod in his quæ spectant ad religionis Regulam Abbati subdebantur: in ijs verò quæ extra regulam Episcopo.* quocirca ex D. Thoma in 2. dist. 45. vlt. dub. resp. ad 2. ex illo edoctus dicit *Monachum teneri ad obediendum Abbati plusquam Episcopo, in illis quæ ad statum Regulæ pertinent: in his autem quæ ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, magis teneri Episcopo, quia in his Episcopus est superior Abbati*: sic etiam docet Franc. Meinardus Frisius in suo libello in cap. 16. de offic. Iud. ordin. Ergo si leges Episcopales, & Synodales non erant contra statum regulæ religiosæ, licet essent diuersæ, & aliquid eis adderent, tenebant Religiosi eis obedire, & nunc etiam tenentur, si exempti non sint; & hæc exemptio particularis nuncupatur. Cuius exemptionis, vt existentis in suo Monasterio meminit Hieronymus in suo illo sæculo, & in successiuis, à sanctis illis Pontificibus concessæ, vt superiùs in tractatu de Priuilegiis ostendimus.



CAPVT II.

DE EXEMPTIONE VNIVERSALI REGVLARIVM, ET EIVS EFFICACIA.

PROPOSITIO VNICA.

LIBERI nunc omnino sunt Regulares Mendicantes à iurisdictione Ordinariorum, & ex consequenti ab eorumdem lege iurisdictionis, & Diœcesanę; ita vt omni prorsus exemptione potiantur à iurisdictione, regimine, & gubernio eorumdem, aliorumque Prǽlatorum Ecclesiasticorum: ac similiter eorumdem Regularium Ecclesię, loca, domus & Conuentus penitùs à dictis legibus sunt libera.

Hanc propositionem tenent Rodericus QQ. Regul. to. 2. q. 63. Ioannes de la Cruz lib. de Statu Religion. ca. 6. dub. 5 Confectius de Exempt. cap. 1. vsque ad 5. incluſiuè, Henriques lib. 7. Theologiæ Moral. cap 24. cum cæteris quos citat: illam quoque sustinet Felinus ex Panormit. & Card quos allegat in cap. *Dilectus*. de officio Ordin. in fine, afferens huiusmodi exemptionem pleno iure concessam Regularibus: sic etiam alij propè infiniti Doctores. Vt autem in hac grauissima propositione probanda, prout decet, procedamus, incerta probationis genera à certis secernere iudicauimus, vt eisdem, iure communi auctore reiectis, vera probationis genera quibus exemptio Regularium stabilitur, innotescant, & ex his nostra propositio firmetur.

Potest ergo probari illa exemptio, primò, ex libertate Claustri Regularibus olim concessa. 2. Ex bullis Pontificum, quæ Regulares sub protectione Sedis Apostolicæ recipiunt. 3. Ex iurisdictione directiua, & coactiua, Prælatis Regularibus à Pontificibus concessa. 4. Ex bullis Antipontificum tempore schismatis. 5. Ex concessionibus Exemptionis Regularibus ab Episcopis concessis, Compromissis, Concordatis, & Transactionibus inter ipsos, confectis, ac ex sententiis arbitrariis inter eosdem à Iudicibus pronunciatis 6. Denique ex Consuetudine, Præscriptione, & Possessione, ac Sententiis secretioris Consilij Regis, & supremorum Senatuum, in vi dictarum Consuetudinis, Præscriptionis & Possessionis latis.

Verùm hæc probationis genera mihi nequaquam placent. Non primum, videlicet Claustri libertas, quæ iuxta Regis Galliæ Roberti Literas Patentes in fauorem Ecclesiæ Aurelianensis anno 1000. editas, est liberatio ab hospitandis Episcopis, & Proceribus vt verba Regis ipsius sequentia habent, quæ scripta reperiuntur in chartularia Episcopatus Aurelianensis, *Infra claustra præfatorum locorum nullus de exercitu, aut potestas aliqua Episcoporum, Abbatum, Comitum, seu Procerum reliquorum mansionaticum agere præsumat: sed serui Domini inibi commorantes, antiqua libertate potiri, militiam*

Domini, absque vlla inquietudine valeant explere securi. Non placet, inquam, hoc probationis genus; quoniam vt declarat caput, *Si Papa*, de Priuileg. in 6. non sufficit ad exemptionem possidere priuilegium libertatis in aliqua re: quod Glossa in illud caput confirmat, his verbis: *Idem dicimus, quòd non propter hoc exempta censebitur, scilicet Ecclesia, si circa aliqua per priuilegium concedatur libertas.* Sed necessarium est ex illo capite, vt absolutè dicatur in Bullis, quòd Ecclesia est exempta, vel est in libertate & iure Ecclesiæ Romanæ, vt diximus, vel aliqui alij verborum termini exprimantur, qui in dicto capite reperiuntur.

Accedit, quòd antiquæ Pontificum Bullæ huiusmodi claustri libertatem continentes, sunt vt plurimùm confirmatiuæ Regiarum literarum huiusmodi libertatem Regularibus concedentium, nec aliud faciunt bullæ Pontificiæ libertatem claustri, à Regibus, multis Ecclesijs Cathedralibus Galliæ concessam approbantes, vt patet ex multis Pontificum bullis, & præcipuè ex illa Alexandri III. relata à Chopino, lib. 1. de Sacra politia, tit. 5. n. 8. & lib. 3. tit. 3 n. 7 data in fauorem Ecclesiæ, seu Capituli Parisiensis. Ac similiter iudicandum de eadem libertate ipsis Episcopis concessa, & à Bullis Pontificum confirmata, vt ex citato Chartulari Episcop. Aurelian. manifestum est, in quo reperitur Bulla Adriani in fauorem illius libertatis concessa Manassi Episcopo Aurelian. his verbis: *Quoties Reges, & Principes sæculi, liberalitate sua sacrosanctis Ecclesijs aliquas immunitates indulgent, & ad id diuinitus inspirantur, quod ad honorem Dei, & libertatem Ecclesiarum, & salutem animarum suarum noscitur prouenire ab ore nostro, eos prosequi nos oportet, & quod ab eis laudabiliter gestum fuerit, Apostolica authoritate roborare, vt his quæ bene gesta sunt, hinc authoritate Regum, hinc immunitate Sacerdotali firmatis omnis malignandi & turbandi aditus prauorum audacia in posterum obstruatur, Ecclesia Dei sub omni pace, donata libertate lætetur.*

Atque hanc libertatem à se concessam tanti fecerunt Reges, vt à Pontificibus per Bullas confirmatam, eædem bullæ à Regibus fuerint etiam confirmatæ, vt expressè notat Rouillardus in Partenia, cap. 12. referendo Philippum I. quandam huiusmodi libertatem à Paschali II. anno 1106. concessam confirmasse.

Ex quibus sequitur, quòd sicut huiusmodi priuilegia à Regibus concessa non possunt Regulares, nec etiam Canonicos à iurisdictione spirituali Episcoporum eximere, cùm non fuerint concessa nisi ad libertates purè temporales possidendas, ad quas Regum potestas solùm extenditur: sic nec Bullæ illæ Pontificiæ potuerunt illos eximere ab eadem iurisdictione, cum non confirment, nisi illas libertates purè temporales; ac ideò nec à Regibus concessa libertas, nec confirmata per Bullas Pontificias potest exemptionem Regularium, ab Episcoporum iurisdictione legitimè fundare.

Non placet etiam secundum probationis genus, videlicet ex bullis quæ Regulares sub Apostolicæ sedis protectione recipiunt. nam caput *Recipimus*, & caput *Ex parte*, de Priuilegiis, manifestè ostendunt, quòd tempore Innocentij III. aliqui prætextu proximæ dictæ protectionis, ab Episcoporum iurisdictione se arbitrabantur exemptos: vnde de hac protectione quidam Prælati dubitantes, Summum Pontificem consuluerunt: qui lata sententia declarauit huiusmodi protectionem non operari exemptionem à iurisdictione Episcoporum, his verbis quæ habentur in dicto capite, *Ex parte tua fuit quæsitum, vtrum Clerici & laici qui literas protectionis ostendunt; in quibus personæ suæ expresso nomine, cum omnibus rebus suis, sub Apostolica protectione consistere declarantur, à iurisdictione Episcopi Diæcesani sint exempti. Nos autem tibi respondemus, quod per literas huiusmodi, ab Episcoporum suorum potestate minimè subtrahuntur.* Vnde Glossa in præmemoratum caput, *Recipimus*, quærendo optimè concludit, *Quid ergo valet talis protectio, certe parum.* Quocirca infinitæ fere bullæ huius generis reperiuntur concessæ, eo tempore quo Episcopi & Capitula bona in simul, & indiuisa habebant; & quo, nulla exemptione Capitula potiebantur. Si quis eas legere voluerit, voluat Epistolas, seu Canones Pontificum, maximè Eugenij III. Alexandri III. Gregorij VII. Innocentij II. & tamen in vi illarum ab emanato capite, *Ex parte*, nemo se putauit exemptum.

Quod vsu Ecclesiæ Cadurcensis à iurisdictione Episcopi minimè exemptæ probatur, quæ licet multis Literis protectionis Apostolicæ, videlicet Vrbani II. 1096. Paschalis II. 1106. Callisti II. 1120. nequaquam tamen se illarum virtute exemptā pro-

fessa est; quod nec etiam Regulares, licet multis potiantur similibus literis, profiteri se possunt exemptos: non ergo illo secundo probationis genere vtendum est, ad probandam Regularium exemptionem. Ac sic censent Panormitanus in dictum ca. *Ex parte.* Butrius ibidem n. 3. Henriques, lib. 7. de Indul. cap. 25. Henric. Boich. nu. 1. Seraphinus decis. 1025. n. 5. in nouiter impressis, Flauius Cherubinus in Compendio Bullar. tom. 1. constit. 15. Leonis X. Quid autem operetur illa protectio, certum est ex cap. 10. de Verborum signif. in 6. verb. *Interdici.* & ex Glossa ibi, ac ex Glossa in cap. *Recipimus,* de Priuilegijs, & ex Marcellino à S. Benedicto in Compend. Priuileg. verb. *Exemptio,* illam operari, vt qui sub illa protectione existunt, non possint excommunicari, suspendi, & interdici, ab alijs quàm à Pontifice Romano, aut Legato à Latere, qui sub illa protectione existunt.

Tertius probationis modus minimè etiam placet, quoniam licet iurisdictio directiona, & coactiua, Prælatis regularibus à Pontificibus per bullas concessa sit in subditos regulares, & aliquando etiam in sæculares; potest tamen dici quòd illa iurisdictio subalternatur iurisdictioni Episcopi sicut iurisdictio Archidiaconorum, quę iurisdictioni Episcoporum totaliter subordinatur: licet ipsi possint excommunicare, suspendere, interdicere, & cætera huiusmodi exercere: vnde cap. *Dilectis,* de Appellationibus. Habetur memorabile exemplum illius veritatis in persona Decani Altissiodorensis, qui vt caput Capituli iurisdictionem præfatam in domum Hospitalem illius ciuitatis agebat: nam cùm Episcopus quemdam sacerdotem illius præfatę domus carceri mancipasset, & Decano, vt suum iuridicum petenti, reddere renuisset, Decanus Ecclesiam Altissiodorensem interdicto supposuit; at Episcopus excommunicationis gladio Decanum percussit: lite autem ad Innocentium III. delata, licet pronunciauerit excommunicationem in Decanum nullam, eo quòd post appellationem legitimè interpositam pronunciata fuisset; attamen Pontifex seclusо illo defectu validam testatur, non obstante Decani iurisdictione in dictum sacerdotem, quæ ex consequenti minimè obeat, quin à iurisdictione Episcopi penderet, qui iure illum excommunicandi potiebatur: sic ergo similiter dicendum de bullis quæ iurisdictionem concedunt Prælatis regularibus.

Quartum genus probationis deducitur ex bullis Antipontificum, præcipuè Clementis VII. & Benedicti XIII. seu Petri de Luna nuncupati, & Ioannis XXII. seu XXIII. qui infinitis ferè exemptionibus Canonicos, seu Capitula Ecclesiarum Cathedralium per suas bullas donarunt. Verùm hoc genus probationis mihi summopere displicet, quoniam omnes illæ bullæ sunt ipso iure nullæ. 1. Ex defectu potestatis in dictis Antipontificibus, qui illas expedire mandarunt. Nam iuxta regulam 79. *Nemo potest plus iuris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur,* & sicut potimè resoluit Damasus Pontifex cap. *Per illicitam, Quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitimè non habuit? inuenire non possum,* Vnde prouerbium commune, *nemo dat quòd non habet.* Atqui huiusmodi exemptionibus multis Capitulis, ac etiam multis Regularibus Prælatis auctoritas, seu potestas Episcopalis data est in plurimos, qui cum antea iurisdictioni Ordinariorum iure communi subdetur, ab illa penitùs eximuntur: necesse est ergo, vt illa potestas originem habeat ab illis qui præsunt Episcopis, Capitulis, & Regularibus Prælatis, *Quibus aliquid iuris competere dignoscitur, qui potestatem dare legitime habent,* quod in Antipontificibus minime reperitur: de quibus Sanctus Cyprianus relatus in capite, *Nouatianus,* ait, *Episcopus nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem,* & in cap. *Didicimus,* 24. q. 1. *Didicimus omnes hæreticos & schismaticos nihil omninò habere potestatis ac iuris,* Quod ita verum est, vt qui aliquem dicit schismaticum, illum hominem sine potestate, qui nominat Antipontificem, non Papam asserere necesse est. Nam iuxta cap. *Factus,* 7. q. 1. *Qui quis enim post vnum, qui solus esse debet, factus est, non tam secundus ille, sed nullus est.* Ergo Antipontifices huiusmodi exemptionum auctores, non valent illas concedere, ac sic ab eisdem concessæ penitùs nullæ sunt. Et confirmatur.

Quoniam qui sacros Ordines à Schismaticis susceperunt, illos minimè exercere possunt, prohibente iure, cap. *Quod à prædecessore,* & cap. *Fraternitati,* de Priuilegiis, & adhuc cap. *Ordinationes,* 9. q. 1. q. cap. *Alienationes,* & cap. *Precariæ,* 12. quæst. 2. Qui-

bus precariæ, permutationes, & alienationes factæ tempore schismatis ab illis qui per intrusionem sedes legitimorũ Episcoporum occuparunt, cassantur, & annullantur. Quæ omnia decreta in Concilijs edita pro casibus illis specialibus testantur, mentẽ ecclesiæ fuisse, omnia facta à Schismaticis tempore schismatis, quacumque fulgerent auctoritate prætensa, cassa, & nulla existere; & priuilegia & gratias acceptas nullum habere effectum. Et certè si huiusmodi exemptiones, seu bullæ eorumdem, in iudiciũ Pontificis deducerentur, nullæ penitùs declararentur, iuxta 9. Iuris regulam, quę sic fatur, *Ratum Petrus habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*. Ex quibus sequitur, quòd cum ex cap. *Manet, Nihil fuerit ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus, aut soluerit, aut ligauerit*, Regulares qui huiusmodi exemptionibus potiuntur, non soluuntur ab Episcoporum iurisdictione, cùm à B. Petro non fuerint soluti.

Quocirca Martinus V. in Concilio Constantiensi, anno 1417. sess. 43. omnes exemptiones datas ab Antipontificibus, ac etiam tempore Schismatis, quibusdam dumtaxat exceptis, quæ causâ nouarum fundationum, & institutionum per formam augmentationis, confirmationis, & additionis partibus auditis, aut de consensu Ordinariorum concessæ fuerant, penitùs abrogat; sed cùm vix vllæ exemptiones hoc modo Regularibus concessæ reperiantur, non valet illud genus probationis deductum à bullis per Antipontifices concessis.

Obiicies, Dictos Antipontifices, præcipue verò Clementem VII. & Benedictum XIII. non fuisse declaratos Antipontifices eo tempore, quo huiusmodi exemptiones concesserunt, maximè in Gallia, in qua pro veris Pontificibus habebantur.

Deinde impetrantes huiusmodi exemptiones illos Schismaticos penitùs ignorarunt, ac proinde quidquid concessum ab illis habetur, nullum minimè existere; nisi stante cognitione in recursu, quòd essent schismatici: ac ex consequenti cùm impetrantes huiusmodi recursum, stante ignorantia, factum probare possunt, tunc facta, & concessa valida fore, & existere, iuxta cap. *Ordinationes*, 9. q. 1. Quod etiam expressè dictus Martinus determinat de collationibus Ordinum, his verbis, *Irritas esse iudicamus: nisi probare voluerint, se, cùm ordinarentur, eos nesciisse damnatos.*

Quod etiam videtur confirmatum pluribus Senatus Parisiensis Sententijs, quibus Capitula bullis huiusmodi Antipontificum exempta, in exemptionis potitione confirmata fuerunt; inter quas est illa de die 1. Decembris 1397. lata in fauorem Capituli Cenomanensis: & altera de anno 1415. in lucrum Capituli Altissiodorensis: & demum alia de anno 1542. pro Capitulo Bituricensi.

Verùm pręmissis difficultatibus respondetur 1. Dicendo, quòd illi qui ad huiusmodi Antipontifices bona fide recurrerunt, misericordia digni erant, ac propterea capita præcitata docent, vt misericorditer cum illis dispensetur, aut absque alia castigatione tolerentur; at hæc misericordia non abrogat ius, nec impedit, quòd factum à Schismaticis non rescindatur. Quod autem concessum est in c. *Ordinationes*, gratia specialis est, intuitu necessitatum illius sæculi facta: attamen Vrbanus qui illam concessit, non intendit præiudicare iuri, vt testantur hæc illius verba. *Quamuis autem misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente, hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, præiudicium cum sacris Canonibus fieri volumus fieri volumus, sed obtineant proprium robur.* Ac propterea prædictâ gratiâ non obstante, Canones, omne illud nullum, quòd à Shismaticis factum est declarantes, in suo robore permanent, siue impetrantes bona, siue mala fide ad illos recutrerint. Et meritò, nam validitas huiusmodi concessionum non pendet à bona, aut mala fide impetrantium, cùm non possit facere vt illi qui potestatem non habent, in omnem Ecclesiam potestatem habeant: ac sic potestate faciendi huiusmodi concessiones exemptionum potiuntur.

2. Respondetur Sententias supremi Senatus Parisiensis in lite Capituli Cenomanensis, & alias, si quæ sint, non tam emanasse in vi bullarum Antipontificum, quàm in vi possessionis exemptionis eiusdem Capituli: vnde Archiepiscopus Bituricensis quia contra possessionem sui Capituli quoad exemptionem in iudicio non egerat, ideò cecidit ab appellatione facta tanquam de abusu per Sententiam illius Senatus anno 1642. Et è contrariò quoniam in Bulla exemptionis, exceptio quarumdam clausularum, quæ spectant ad iniurias factas dicto Archiepiscopo, per Canonicos dicti Capituli, quam exemptionem dictum Capitulum nequaquã fuisse executioni

mandatam sustinebat, eadem sententiâ, data fuit potestas informandi pro vtraque parte super possessione, & executione dictæ bullæ. Ex quo euidenter colligitur, Senatum in hac materia non tam sententiam ferre in vi bullarum, quàm in vi possessionis exemptionis. ac sic hæ Sententiæ Senatus non supponunt, nec probant huiusmodi bullas esse legitimos exemptionis titulos, sed quod prętextu illarum possessio exemptionis est introducta. Et licet Senatus Parisiensis, & alij sic in fauorem possessionis iudicauerint, alij tamen in contrarium sententiam tulerunt; quod ostendit, in huiusmodi Sententiis Senatuum non dari sic certam regulam, quin mutari possit, quinue mutetur, vt de facto sententiam mutarunt, priuantes exemptione multa Capitula, quæ se anteà eisdem titulis exempta tuebantur.

Obiicies, concessiones exemptionum per Antipontifices tempore Schismatis Regularibus fuisse à veris Pontificibus confirmatas. Respondetur, huiusmodi confirmationes, si quæ sint, nullum ius acquisiuisse Regularibus: sed tantùm ius antiquũ, si quod esset illis acquisitum, conseruasse; iuxta caput *Cum dilecta*, de Confirmat. vtili, *Nolentes, ait Innocentius III. quòd ex innouatione huiusmodi nouum ius Monasterio acquiratur, sed antiquum, si quod habet, per innouationem priuilegij conseruetur.* Vnde posito quòd Regulares, ante bullas confirmationis, huiusmodi priuilegio exemptionis, aut aliis caruissent, nil penitùs per confirmationis bullas obtinuisse: nam glossa in caput *Examinata*, tit. proximè citato hæc verba [videlicet *Non obstante confirmatione*] interpretando, concludit, *Et ita patet, quòd confirmatio nihil, vel modicum operatur: quia aliquid inuenit, confirmat; aliàs nihil operatur, vt alibi dictum est.* Ac sic certum existit; quòd si regulares nullis aliis bullis exemptionis, quàm impetratis tempore schismatis potiantur, bullæ exemptionis obtentæ, erunt nullæ, licet auctoritate Apostolica confirmatæ: quia cùm confirmatio nihil validum inueniat, nihil penitùs quod valeat, operatur.

Quintum probationis genus innititur concessionibus exemptionis Regularibus ab Episcopis factis, de quibus Petrus de Marca in Concor. lib. 3. cap. 17. Nec-non in Transactionibus, seu Concordatis & Compromissis inter dictos Episcopos & Regulares initis: ac etiam in sententiis Arbitrorum ab eisdem Episcopis & Regularibus electorum in causis exẽptionis inter ipsos versantibus, latis. Denique ex bullis prædictas Concessiones, Concordata, Transactiones, & Compromissa confirmantibus: & hoc genus probationis mihi nullatenus placet, ex eo quòd hæc omnia sic facta nullum validum operantur effectum. Quod vt ostendatur, ordine de vnoquoque probandum est. Ac primò de concessionibus factis ab Episcopis, quoniam exẽptionis concessio est alienationis species, iuxta cap. *Nulli.* de Rebus Ecclesiæ alienandis: non licet autem Episcopis alienare, 17. q. 4. Accipe verba, *Quicumque Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum oblitus Dei, & decreti huius immemor, in constitutum præsens commutens prædium Ecclesiæ magnum, vel exiguum, vel quidquam de iure Ecclesiæ alienare tentauerit; & donator, & alienator, & venditor honoris sui amissione mulctetur.* Et in 12. q. cap *Quisquis*, prohibetur eisdem Episcopis quidquam conferre, vel alienare de bonis Ecclesiæ, alioquin *Irritum sit quod datum esse constiterit, secundum Canonem Sanctorum Apostolorum, qui dicit, omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenset eas tanquam Deo contemplante*, & post pauca, *& Episcopus, vel Abbas hoc faciens, id est, alienans, & donans illa bona, abijciatur; Episcopus quidem ab Episcopis, Abbas autem Monasterio, tanquam qui dispergit, quæ non collegit.*

Si autem obiicias primò, præfatos Canones non agere nisi de rebus temporalibus, exemptionem autem esse quid spirituale, Respondebitur, illam obligationem nasci in Episcopis ex obligatione quam habent gerendi curam bonorum spiritualium, vt optime determinatur 12. quæst. 1. cap. 24. his verbis, *Præcipimus, vt in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat: si enim animæ hominum pretiosiores illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere &c.*

Si obijcias 2. quòd aliquando licet Episcopis alienare dicta bona, Respondebitur, hoc illis licere in suarum Ecclesiarum vtilitatem, & non aliter: vt constat ex cap. *Sine exemptione.* 12. qu. 2. his verbis, *Nisi forte aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat.* Quis autem nesciat, concessionem exemptionis ab eisdem factam esse in detrimentum suæ Ecclesiæ Episcopalis: est enim Seminarium diuisionis, & litium inter caput &

Digitized by Google

piendo à Consuetudine, licet sit certum magna pollere vi in rebus humanis; attamen verum est, illam non esse regulam sic certam, & infallibilem, quin admodum sit fallax, & ideò maximo examine indiget, vt in legem transeat Alexander. III. in Concilio Lateranensi habito, 1180. cap. 7. sic loquitur de prauis consuetudinibus, *Putant plures, ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa inualuisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quòd tantò grauiora sunt crimina, quantò diutiùs animam infælicem tenuerunt obligatam.* Item Alexander scribens Episcopo Herfortensi, cap. *Sane*, de Temporibus Ordinationum super consuetudine in Ecclesiis quibusdam Scotiæ, & Walliæ, in quibus Episcopi in Dedicationibus Ecclesiarum extra ieiunia quatuor Temporum, clericos ad sacros Ordines promouebant, illam his verbis condemnat, *Significamus, quòd consuetudo illa, vt pote institutionis Ecclesiasticæ inimica, est penitùs improbanda*, & Clienensi Archidiacono mandat cap. *Cùm satis*, de Officio Archidiaconi, *Quòd obtentu alicuius consuetudinis non debet contra sanctorum Patrum constitutiones venire.* Similiter Innocentius III. cap. *Cùm ex tuarum*, de Auctoritate & vsu Pallij arguit consuetudinem Hispaniæ, quâ laici cum clericis concurrebant ad suorum Episcoporum electionem; his verbis, *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur, quæ si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, nonobstante contraria consuetudine, quæ dici debet potiùs corruptela.* Denique Celestinus III. vniuersaliùs decernit, *vt aboleatur consuetudo, quæ redundat in grauamen & perniciem Ecclesiasticæ libertatis*, cap. *Cùm terra*, de Elect.

Plures alij sunt Canones qui prauas consuetudines reprobant: ex quibus sequitur non sufficere allegare consuetudinem; sed examinanda est, si bona sit, si non contraria constitutionibus Ecclesiasticis, & non sit in detrimentum Ecclesiæ. Non valet ergo exemptio, si in sola consuetudine innitatur, cùm consuetudo sit admodum fallax. Ac ex consequenti non iuuat genus probationis à consuetudine ductum, ad Priuilegia Regularium probanda.

Quod similiter de præscriptione meritò opinari poterit: nam licet cap. *Cùm contingat*, de Foro competenti. & cap. *Irrefragabili*, de Officio Iudicis Ordinarij, videantur supponere, consuetudinem & præscriptionem sufficere ad verum titulum exemptionis, attamen multi Canones reperiuntur, qui præscriptionem nullius efficaciæ existere pronunciant. Et vt cæteros taceam cap. *Cùm non liceat*, de Præscriptionibus, præcepit quibusdam Prioribus Diœcesis Bracharensis in Hispania, vt suo Archiepiscopo (nonobstante præscriptione) obediant. Hæc sunt verba Innocentij III. in illo capite. *Ideò mandamus quatenus præfato Archiepiscopo, & Ecclesiæ Bracharensi obedientiam, & reuerentiam debitam, sicut alij Clerici suæ Diœcesis faciunt, impendatis, præscriptione temporis nonobstante*: cuius Decreti rationem reddens, ait, *Cum non liceat à capite membra recedere.* Quod etiam titulus illius capitis ostendit qui hæc verba habet, *Subditus non præscribit obedientiam contra Prælatum*; & confirmatur ex cap. *Licet*, causa 16. q. 3. in quo Pontifex Gelasius loquens de limitibus Diœcesum, qui Episcopalem iurisdictionem respiciunt, sic decernit, *Nec negligentia Pontificis, nec temporalis abiectio, quæ per incuriam forte generatur, neque ignauia faciente, consensus adhibitus, nec subrepente supplicatione præceptio diuellere potest Diœcesim semel constitutam.*

Denique vt consuetudo & præscriptio valeant, requiritur bona fides, & iustus titulus, vt decernitur ca. *Si diligenti*, de Præscript. in quo sic habetur, *In præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides, & iustus titulus exiguntur.* Ergo allegare consuetudinem, vel præscriptionem ad exemptionem non sufficit, sed bona fides & iustus titulus requiruntur: quis autem titulus iustus dicatur, resoluitur ca. *Cum personæ*, de Priuileg. in 6. vnde Capel Patronus Regius in Parlamento Pariensi litem agens in vna causa Andegauensi circa exemptionem, probauit non sufficere allegare possessionem seu præscriptionem & consuetudinem, sed necessarium esse allegare titulum, affertque in probationem cap. *Cum personæ* in 6. (Notent hoc qui vniuersaliter absque ratione Canones Sexti negant,) qui etiam explicando qualis sit iustus titulus, dicit, quod *Bona fides & titulus, saltem præbens iustam causam præscribendi*, est iustus titulus, ex Glossa in cap. *Si diligenti*, citatum, & quòd *titulus pro tanto dicitur iustus, quia dat causam præscribendi, licet in veritate non sit iustus.* Vnde postea addit, *Vnde minus iustus*

titulus dat causam præscribendi, si adsit bona fides, vt ille credat talem titulum sufficere, & credat tradentem esse dominum; vel vt docet Archang. Roman. verb. *præscriptio*, titulus dicitur iustus omnis actus per quem solet acquiri dominium; vt quando à vero domino res traditur, aut à possidente emitur, seu per iudicis sententiam recipitur, siue pro derelicta occupatur, & qui acquisita sic possidet, iure acquisita habet; ac proinde illa restituere non tenetur iuxta Augustini sententiam, cùm alienum non sit quod iure possidetur; qui ergo cum horum titulorum legitimo tempore lapso præscribit iustè sine dubio præscribit, non autem absque illo: ex quibus colligitur, præscriptionem legitimam minimè inniti posse bullis Antipontificum, cùm non sint titulus iustus: non enim bona fides & reliqua ad titulum sufficientem requisita in illis reperiuntur, quoniam ante tempus ad præscribendum, & legitimam consuetudinem inducendam, à Martino V. nullæ fuerant declaratæ; ac proinde non poterant bona fide præscribere. Quod similiter etiam asserendum est bullis protectionem Sedis Apostolicæ continentibus, & confirmantibus, ac alijs bullis ad laudabiles consuetudines confirmandas, concessis, vt manifestum est. Denique vltimò de iuramentis factis ab Episcopis possessionem Episcopatuum accipientibus, eadem est ratio, cùm illius naturæ existant, de quibus Alexander I. asserit, causa 15. quæst. 6. cap. *Si quandoque, Ad nullum eis, scilicet Sacerdotibus, & auctoribus Ecclesiæ, præiudicium, vel nocumentum valere censemus.* Quia si illa iuramenta non emitterent, differretur eorumdem receptio, non absque graui præiudicio: ergo coacti illa emittunt, ac proinde sunt ipso iure nulla. Quod similiter etiam de Sententijs supremorum Senatuum est affirmandum; non enim faciunt consuetudinem, & præscriptionem legitimam, sed supponunt, quòd si desit esse legitima, vt ex præcedentibus titulis legitima esse non potest, nihil operantur.

His omnibus probationum generibus omissis, non quòd aliqua illorum careant efficacia, cùm Consilium Regis, & supremi Senatus in suis decretis ea probent, ac etiam Cellotius de Hierarchia Ecclesiastica, nec-non Petrus de Marca in Concord. l. 3. ca. 17. ac etiam Ioannes Lomede de Exemp. cap. 3. præcipua autem harum probationum media, quæ communiter recipiuntur, sunt 1. pacta inter Episcopos & subditos circa exemptionem, si accedat consensus capituli, quam probant Calderinus, Oldrad. Decian. Coxier, Mandos. & plures alij à Barbosa citati de offic. & potest. Episc. part. 3. Allegat. 89. n. 1. & 5. 2. præscriptio & consuetudo: sic tenet textus *Cum olim*, vers. *quia* in cap. *Cum auditis*, cum multis alijs de præscript. & in cap. *Cum olim* 14. ad finem vers. *quia verò*, de priuileg. & in cap. *Cum persona* vers. *Si autem*, eod. tit. in 6. quibus locis ita obseruant Doctores communiter & latè Bald. de præscript. part. 1. 5. principales quæst. 11. a. n. 3. Coxier de Iurisd. Ordinarij in exemptos parte 1. quæst. 3. n. 73. confirmatio exemptionis non legitimè factæ, vt videmus in multis & præcipuè exemptionis factę ab Antipontificibus; nam illa confirmatio validat huiusmodi exemptionem; exemplum singulare habetur de exemptione Canonicorum Ecclesię Metropolitanæ Burdegalensis à Clem. VII. Antipontifice concessa, & à Pio II. confirmata, quę nonobstantibus pluribus litibus ab Archiepiscopis Burdigalensibus, aduersus illam excitatis vsque in præsentiarum illæsa subsistit; hæc media procul dubio à Senatibus, & multis alijs Doctoribus probantur. Sed quoniam minùs efficacia mihi videntur, & possunt à contradicentibus impugnari, si non oppugnari, ideò ad vera & efficacia probationum genera progrediendum est. Sunt autem hæc diplomata, seu Bullæ, Breuia, & Concessiones Summorum Pontificum, & Conciliorum generalium, vt manifestum fit ex toto cap. *Cùm persona*, de Priuilegiis in 6. quod longum esset adducere; si ergo probauerimus Exemptionem fuisse Regularibus, aliquo ex huiusmodi mediis à Pontificibus concessam, censebuntur Regulares verè exempti.

Probatur autem 1. ex concessionibus specialibus factis ordinibus proximè referendis relatis partim à Barbosa, partim ab alijs quos citat. li. 2. Iur. Eccles. cap. 12. de Monast. & Religios. domibus, partim ex alijs concessionibus, quas hîc referre esset nimis prolixum: sunt autem sic exempti Canonici Regulares S. Augustini, qui à Paschali II. supponuntur exempti. Cluniacense Monasterium à Clem. IV. eximitur Cassinensis Abbatia à Zacharia, & postea vniuersa Cassinensis Congregatio ab Eugen. IV.

gen. IV. Camaldulensis à Leone X. Congregatio Vallumbrosa ab Innocent. IV. Cisterciens. Ordo ab Alexandro III. Cœlestini ab Innoc. IV. Monachi montis Oliueti à Iulio II. Monachi montis Virginis à Cælestino III. Præmonstratenses ab Alexand. V. Carthusienses à Bonifacio IX. Ordo S. Basilij penè collapsus & instauratus à Greg. XIII. Fratres S. Spiritus in Saxia à Sixto IV. Fratres S. Antonij Viennensis ab Vrbano IV. & multis alijs. Fratres Prædicatores à Greg. XI. & multis alijs. Fratres Minores à Clemente IV. & multis alijs. Eremitæ S. Augustini à Sixto IV. & à multis alijs. Carmelitæ à Ioanne XXII. & à multis alijs. Serui B. Mariæ ab Vrbano VI. Ordo Minimorum à Iulio II. Theatini à Clem. VII. Clerici regulares S. Pauli à Paulo III. Societas Iesu à Paulo III. Clerici Regulares de Sommascha à Sixto IV. Carmelitæ discalceati à Sixto V. Clerici regulares Minores ab eodem. Ministrantes infirmis à Gregor. XIV. Congregatio Benedictinorum exemptorum Galliæ ab eodem. Cruciferi etiam ab eodem, Discalceati Sanctissimæ Trinitatis à Paulo V. Congregatio Benedictinorum S. Mauri à Gregor. XV. Omitto aliorum ordinum exemptiones, quas quis legere poterit in Bullario Cherubini & alijs, ac alibi.

Probatur 2. ex Iure communi cap. *Quàm si necessarium*, 18. quæst. 2. in quo à lege Diœcesana eximuntur, his verbis, *Interdicimus igitur in nomine Domini, vt nullus Episcoporum, aut Sæcularium, vlterà præsumat de redditibus, vel rebus, vel chartis Monasteriorum, vel de Cellulis, vel de Villulis quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones, aut violentias aliquas facere, &c.* Et postea post pauca, *Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus, illibatamque seruare, vt & sui Ecclesiæ iuuante Domino tantummodo sint iure contenti: Monasteria, Ecclesiastici conditionibus, seu angarijs, vel quibuslibet obsequiis secularibus nullomodo subiaceant, nullis Canonicis iuribus deseruiant: sed remotis vexationibus, ac cunctis grauaminibus, diuinum opus cum summa deuotione perficiant.* Quibus accedit declaratio Pij V. bullâ antedictâ. *Etsi Mendic.* verbis sequentibus, *Inhonestum quoque esse censentes, Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos, illorumque loca, etiamsi curam habeant animarum, &c.* & post pauca, *illosque & illas, à quibuscumque decimis, primitiis, quartis mediis, & aliis fructuum partibus: necnon subsidiis charitatiuis, &c. Ita vt penitùs & omnino ad alicuius rei contributionem minimè teneantur, omnino eximimus, & liberamus, ac illos, & illas, etiamsi seculares, & alia personæ quæcumque, in ea exigendi possessione fuerint, minimè teneri debere volumus, nec sub can. 12. sess. 25. comprehendi posse, vel debere decernimus.* Sic Pontifex.

At verò cap. *Volentes*, de Priuileg. in 6. à præcipuis actibus iurisdictionis Episcoporum, videlicet à correctione per censuras eximuntur, his verbis, *Ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos pro vlla causa, vllone loco, interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat; iurisdictionem enim suam quantùm ad ista, vbicumque fuerint, exercere non possunt*, & cap. *Suborta*, de Sent. & re Iudic. in quo annullantur omnes processus, sententiæ, & actus iurisdictionis, emanati ab Episcopis contra Regulares.

Insuper huiusmodi exemptis manifestè constat ex concessione generali omnibus Ordinibus Mendicantibus facta per Pium V. bulla proximè dicta, his verbis num. 7. & 8. *Cúmque inhonestum sit, quemlibet in alienam messem falcem inijcere, cúmque Monialium Monasteria nonnisi de Episcopi, vel Superioris licentia, & in casibus necessarijs aliquis ingredi præsumat, in sess. 25. can. 5. prohibetur: hoc tamen in illis Monasterijs locum habere volumus, quæ Ordinarijs ipsis pleno iure subsunt, in quibus, in casibus necessariis, quæ Ordinariis ipsis pleno iure non subsunt, ipsi Ordinarij illa ingredi non possint; prout in regulis eorum, seu de iure statuitur; & eis aliquos processus aduersus Moniales ipsas, seu Fratres huiusmodi propterea, seu alias ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis; quoquomodo formare, aut facere omnino prohibemus: ita vt aliquam iurisdictionem, seu aliud quodcumque dominium in Moniales & Fratres huiusmodi respectiuè habere, exercere, aut exquirere nullatenus possint, aut debeant. Imo illas & illos omnes ab eorum superioritate, dominio & iurisdictione, & potestate eximimus, & liberamus, prout eis concessum est, per sua priuilegia à Sede præfata obtenta: & ita præfata Moniales, & Fratres sint exclusi à su-*

Digitized by Google



CAPVT III.

DE EXEMPTIONIBVS SPECIALIBVS A POTESTATE. DIRECTIVA ORDINARII.



VONIAM pascere gregem est munus Ordinarij, & speciatiter Episcopi, & vnus inter primos actus illius est, Sacramenta quibus gratia communicatur, eidem gregi ministrare: ideò posset hic agi de Exemptione Regularis à perceptione Sacramentorum ab Ordinario. Sed quoniam hæc exemptio quoad susceptionem Pænitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-vnctionis, nec-non etiam sepulturæ, quæ illa Sacramenta consequitur ex cap. Nimis iniqua *de excess. prælat. per se nota est: nec de ea vllus Ordinarius amplius conqueritur; eà propter de illa non erit nobis sermo faciendus: alibi acturis de Exemptione à susceptione Sacramentorum Confirmationis & Ordinis. Nunc autem de Exemptionibus specialibus à potestate iurisdictionis Ordinarij, quam in eo duplicem agnoscimus, vnam quæ directiua nuncupatur, cuius munus est Christianum ad salutem æternam docendo, regendo, monendo, leges & præcepta imponendo, & spiritualiter alendo dirigere: alteram, quæ coactiua appellatur, quâ post directiuæ media adhibita, correctionibus, citationibus, censuris, pœnis spiritualibus, & temporalibus, idem Christianus ad viam salutis relictam suscipiendam cogitur, & quasi acribus stimulis excitatur: ac sic se habent illæ duæ potestates comparatiuè inter se, vt directiua sit velut fulmen ostentarium, quo metus incutitur: coactiua peremptorium, quo nocentes puniuntur: illa sit tonatio sine ictu: hæc iaculatio cum ictu, & manus armata directiuæ; quæ suæ salutis hostes prosternit, vt erigat. De exemptione Regularis ab hac potestate in capite sequenti acturi, in hoc de directiua agemus: ac priùs de exemptione à visitatione Ordinarij, & posteà de exemptione ab illis legibus & præceptis, ordinem naturæ sequentes: priùs enim per visitationem Ordinarius cognoscit subditum, antequam eidem leges & præcepta imponat.*

PROPOSITIO I.

NOn potest Ordinarius visitare personas, & Ecclesias ac Monasteria Regularium.

Quamuis antiquitùs Monasteria Regularium, eorumque personæ plurimis priuilegijs à sede Apostolica donarentur, attamen ferè semper iurisdictio visitandi, dirigendi, & corrigendi Regulares, ac eorum Monasteria, integra Episcopo seruabatur:

ſic Gregorius lib. 7. Epiſt. 34. indict. 1. Epiſcopo Ioanni Schillitano ſcribens, decernit, his verbis, *Seruatis omnibus quæ à tuis prædeceſſoribus præmiſſa ſunt, ac ſeruata, curæ tua ſit, circa actus conſiſtentiam illic Monachorum te vigilantem inſiſtere.* Sic idemmet Gregorius eodem, lib. 7. Epiſt. 15. indict. 2. ſcribens Fortunato Neapolitano, *In eodem Monaſterio nec Fraternitas tua, nec Presbyteri, præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiarum inferant.* Dixi ferè ſemper ius prædictum viſitandi ſeruatum integrum Epiſcopo: nam aliquando illud ius eis auferebatur; & vt cætera exempla taceam, hoc vnum de Monaſterio Ariminenſi, à quo per Gregorium ſublatum eſt illud ius ab Epiſcopo Ariminenſi, eidem dumtaxat ſolo iure ordinandi Abbatem ſeruato, afferam: teſtatum à dicto Gregorio eodem li. 7. Epiſtola 34. indict. 1. his verbis, *Illa videlicet ei iuriſdictione relicta, vt in defuncti Abbatis locum, alium quemdignum communis conſenſus congregationis elegerit, debeat ordinare.*

Hoc autem ius viſitandi, dirigendi, & corrigendi Regulares ſeruabatur, quoniam adhuc Regulares illo tempore manebant ſubiecti ſuperioritati Epiſcopi, ad quam ſuperioritatem ſpectat, tùm ex iure naturæ, & diuino ſubditos agnoſcere, dirigere, & corrigere, ac ex conſequenti vt hi tres actus exerceantur, viſitare, iuxta illud Prouerb. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera,* & illud Lucæ, *Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Tùm ex iure Eccleſiaſtico, vt videre eſt ſeſſ. 25. de Regular. cap. 8. 10. 20. & ſeſſ. 7. cap. 8. verùm ab eo tempore, quo à ſuperioritate Epiſcopi exempti fuerunt, ſimul etiam & ab illius viſitatione exempti ſunt. Superiùs autem probatum eſt, omnes Regulares à ſuperioritate, & iuriſdictione Epiſcopi eſſe plenè exemptos: ex quo ſequitur euidenter, quòd ab illo non poſſunt viſitari: quod etiam probatur ex Mari magno Minorum inchoato *Regiminis* in quo ſic habetur, *Et ne prætextu conſtitutionis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit,* Volentes, *locorum Diœceſani, & alij Ordinarij, & alij quicumque in perſonas, & loca prædictorum Fratrum contra eiuſdem Clementis prædeceſſoris in fine Literarum prædictarum, ordinationem, ſiue quamcumque iuriſdictionem, aut ſuperioritatem vendicare præſumant, diſtrictiùs inhibemus.* Et pòſt pauca additur, *Aut in perſonas, domos aut loca huiuſmodi aliquam præeminentiam, ſuperioritatem & iuriſdictionem quomodolibet exercere præſumant, &c.* Eodem fauore decorauit Boniſac. VIII. ordinem Eremitarum S. Auguſt. B. inchoata *Sacer ordo* in qua poſt conceſſam omnimodam exemptionem, ſic fatur *ita quod nec locorum ordinarij, nec alia quæuis perſona Eccleſiaſtica in vos & ordinem, perſonas, Eccleſias, oratoria, domos & loca prædicta, vtpotè prorſus exempta poſſint excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti promulgare ſententias: vel aliàs poteſtatem, ſeu iuriſdictionem aliquam exercere. Quod ſi forſan quidquam in contrarium à quocumque fuerit attentatum, illud omninò ſit irritum & inane.* Quam gratiam ſeu fauorem Clem. VII. confirmauit & Archiepiſcopo Toloſano ſub pœnis interdicti, ingreſſus & ſuſpenſionis à Diuinis, ne Auguſtinianos in hoc priuilegio moleſtaret prohibuit, Bulla inchoata *Vacantibus.* Ex quibus manifeſtè concluditur, Epiſcopos non poſſe viſitare Regulares, & eorumdem Monaſteria & Eccleſias: cùm viſitatio ſit actus iuriſdictionis, & ſuperioritatis, quæ ab illis in prædictos fratres exerceri prohibetur, quæ ſucceſſiuè illis, etiam prohibita eſt per ſæpiùs citatam conceſſionem Pij V. *Etſi Mendicantium*, in qua §. 1. ſic habetur, *Nec etiam ſe intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum tam Fratrum, quàm Monialium huiuſmodi, & illorum correctionibus; ſed omnia iſta, & alia neceſſaria ad correctionem, & gubernationem Fratrum, & Monialium huiuſmodi, &c. eorum aut earum reſpectiuè ſuperioribus omninò relinquantur, nec vllo modo in præmiſſis, & alijs, Fratres, & Moniales huiuſmodi tangentibus Ordinarij prædicti per ſe, vel alios, ſe intromittant.* Quibus verbis quæ gubernationem & correctionem expreſsè excludunt, viſitationem, quæ ad illa duo ordinatur, excludere neceſſe eſt: nec ſolùm viſitationem Regularium, & Monaſteriorum, ſed etiam Eccleſiarum, ad quas viſitandas, ius in vi Tridentini proximè citandi ab aliquibus prætendebatur. Expreſſiùs tamen hanc exemptionem Martinus V. Monachis S. Benedicti Monaſterij S. Crucis ciuitatis Burdigalæ, & membrorum eiuſdem impertitus eſt B. *Sedes Apoſtolica* cuius originale ſeruatur in dicto Monaſterio executioni mandata die 22. Iulij 1451. aduerſus Archiepiſcopum, Officialem, & alios eiuſdem ciuitatis, ſub cenſuris & alijs pœnis ipſo

facto ab eisdem incurrendis, per Abbatem S. Seueri ad hoc à Sede Apostolica specialiter delegatum, his verbis: *vos tam coniunctim, quam diuisim vestrum Monasterium cum personis & membris per Monachos eiusdem Monasterij gubernari solitis iuribus & pertinentijs, nec-non bonis vniuersis Monasterij præfati, quæ impræsentiarum legitime possidetis, & iustis titulis dante domino poteritis adipisci, ab omni iurisdictione, dominio & potestate, necnon visitatione & correctione &c. Archiepiscopi Burdigalensis, & aliorum, quos regimini & administrationi Ecclesiæ Burdigalensis præesse contigerit: ac quorumlibet officialium suorum auctoritate Apostolica, tenore præsentium prorsus eximimus & totaliter liberamus &c.* vbi vides quod non solum personas, sed etiam membra & Monasterium (quod necessariò Ecclesiam comprehendit) vt alibi ostendemus, à visitatione Archiepiscopi eximit: & quamuis hæc omnia non sufficerent, declarationes allatæ ab Armendar. in addit. ad recõpilat. leg. Nauarræ lib. 1. tit. 6. n. 9. & à Barbos. in cap. 8. Trident. hanc veritatem ostendunt, quarum vna (supposito quod vigeat bulla Greg. XV. inchoata *Inscrutabili*) sic pronunciatur. *Congregatio Concilij censuit, Episcopos, aut alios locorum Ordinarios, vigore cuiusuis decreti eiusdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in Monasterijs, domibus, & Ecclesiis Regularium exemptorum: quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium, visitandi sacristias, parlamenta, vasa sacra, altaria, & cætera huiusmodi, aut etiam tabernaculum, seu pixidem in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur.*

Instabis 1. Tridentinum sess. 7. cap. 8. præcipere Ordinarijs locorum dictas Ecclesias Regularium visitare: sic enim habet, *Locorum Ordinarij Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur, & opportunis iuris remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, si qua illis immineat, alijsque debitis obsequijs minime defraudentur, appellationibus, priuilegijs, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis, Iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitùs exclusis.*

Respondetur 1. hanc obiectionem nullam pati difficultatem, vbi Tridentinum non est receptum. 2. Vbi Tridentinum receptum est, hanc obiectionem non habere vim, quia clausula derogatoria requisita ad Regularium priuilegia reuocanda, non est huic decreto apposita. Nec substulisse censetur rem iudicatam, vt est exemptio regularium à visitatione ordinarij, quoniam, vt ait Garcias de Benef. p. 3. c. 2. n. 202. *non derogat sententiæ & concordiæ, quæ Episcopum à visitatione excludunt: cum enim faciat diuersas derogationes, censetur aliis non expressis noluisse derogare.* Sic etiam post illum Barbosa in cap. 8. sess. 7. Trident. cuius sententiæ est decisio Cardin. & Rotæ in vna Legion. Iurisd. vt refert citandus Gallemart. 3. In vi huius decreti posse locorum Ordinarios visitare dumtaxat aliquas Ecclesias commendatas, non autem illas commendas, in quibus regularis obseruantia viget: sic enim declarauit congregatio Concil. ex relatione Ioannis Gallem. in dictum cap. Trident.

Respondetur 2. Tridentinum nullam ibi mentionem facere de Ecclesiis Regularium neque de Episcopis, sed tantùm de Ecclesiis exemptis, & de Ordinarijs: Ecclesiarum autem exemptarum aliæ sunt Regulares, aliæ verò Sæculares, & Ordinarij alij sunt Episcopi, alij Regulares, & alij Sacerdotes Sæculares: vt tenent communiter Doctores in cap. *Decernimus*, de Iudiciis, vers. *Ecclesiarum Prælati*, & constat ex Trident. sess. 14. cap. 5. de Reformat in quo hæc veritas manifesta fit hís verbis, *Vt coram Episcopo, vel alio Superiori ordinario*, ex quo videre est, alium esse ordinarium ab Episcopo. Tridentinum autem intendit inibi, vt Ordinarij locorum, siue Episcopi sint, siue Sacerdotes Sæculares, siue Regulares, quique suas Ecclesias quomodolibet exemptas visitent singulis annis. Sic Roder. respondet tom. 1. q. q. reg. q 36. ar. 3.

Quòd autem sic debeat intelligi, probat sequens ratio, videlicet quia duo domini eiusdem rei in solidum esse non possunt, vt dicunt communiter Doctores in l. *Vt certo. §. Si duobus esse commo.* essent autem duo domini, si Episcopus & Prælatus possent visitare vnam, & eamdem Ecclesiam regularem: vt sic possent corrigere delinquentes, ac si iurisdictio spiritualis, quæ naturaliter indiuisibilis est, esset diuisibilis: & Ecclesia quæ secundum iuris dispositionem est indiuisibilis, esset diuisa.

Deinde potest dici quòd Trident. loquitur dumtaxat de Ecclesiis sæcularibus exemptis, antea habentibus priuilegia, vt ab Ordinariis non visitarentur, quæ in vi

illius decreti debent ab Ordinarijs visitari; quod autem de Sæcularibus, & non de Regularibus necessariò intelligatur, constat ex eodem Trident. sess. 14. cap. 5. de Reformat. vbi dicit, *quoad visitationem debere obseruari Regularium & suorum Monasteriorum, & Ecclesiarum iura, & exemptiones.* Plura vide apud citatum Rodericum, vbi probat, quòd licet Episcopus visitauerit Ecclesiam Regularem, etiam per multos annos, non propterea amitti priuilegium, quòd non visitetur; licet pacificè visitauerit. Ac sic docent in communi de omnibus priuilegijs Hyeron. Roder. resolut. 63. num. 13. & alij penes ipsum, Diana in dub. Reg. tract. 2. resol. 134. & Barbosa de potest. Episc. part. 3 alleg. 105. num. 76. qui testatur sic fuisse resolutum in Rota, in vna Vlisiponensis Monasterij die 19. Nouemb. 1625.

Instabis 2. ius committere omnes Ecclesias Episcopi gubernationi, ex cap. *Decretum*, 10. qu. 1. cuius verba sunt, *Decretum est, vt omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus suis iuribus in Episcopi potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant.*

Respondetur, sic esse, quòd Episcopus habeat in sua potestate omnes Ecclesias, & omnia ad eas pertinentia: quod tamen necessariò intelligendum est, de Ecclesiis in suis Diœcesis constitutis: nam extrà nullam iurisdictionem habere noscuntur. Quòd autem sic intelligendum sit, ex alio decreto patet, cap. *Episcopum*, 10. quæst. 1. in qua hæc verba habentur, *Episcopum per cunctas Diœcesis Parochias suæ, per singulos annos ire oportet.* Et ex cap. 21. de offic. Ordin. in quo dicitur, *Habeant igitur Episcopi singularum vrbium in suis Diœcesibus liberam potestatem.*

Ex quibus locis colligitur, hoc ius visitandi, quod potest habere Episcopus, illi competere ad hoc vt Ecclesias suæ Diœcesis visitet, non verò eas quæ sunt nullius Diœcesis, vt sunt Ecclesiæ Regularium, quas extra suæ Diœcesis constitutas, vtpotè exemptas, visitare non potest. Nam iuxta Federicum de Senis Consil. 16. Dominicum in cap. *Cùm Episcopo*, n. 3. de offic. Ordin. lib. 6. & Altaminarium de Visitatione, verb. *Propriam Diœcesim.* n. 48. fol. 22. col. 2. *Locus exemptus, quoad exercendam iurisdictionem per Episcopum, æquiparatur loco existenti extra Diœcesim.*

Instabis, proximè antedictis obstare idem Tridentinum cap. 9. sess. 24, de Reformat. vbi dicitur, quòd Episcopus proximior visitet Ecclesias, quæ nullius Diœcesis esse dicuntur: Ergo, etiamsi Ecclesiæ Regularium, vt exemptæ, sint extra Diœcesim, ab Episcopo sunt visitandæ.

Respondetur, hoc decretum habere locum in Ecclesiis Sæcularium, quando visitantur ob seruitium: quod colligitur ex illis verbis, *Eademque etiam in his Ecclesiis Sæcularibus.* Quæ verba apertè indicant contrarium esse in Ecclesiis Regularibus, iuxta Iuris notam regulam, scilicet quòd *Expressîo vnius, sit exclusio alterius.*

Quod autem ille textus sit ita intelligendus, ostendit Tridentinum sess. 25. cap. 20. de Refor. vbi sic pronunciatur, *Abbates qui sunt Ordinum capita, ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores Episcopis non subiecti, quibus est in alia Monasteria, Prioratusue legitima iurisdictio, eadem sibi subiecta Monasteria, & Prioratus suo quisque loco, ex officio visitent.* Quod conforme est iuri antiquo, quo prohibebatur Episcopis cap. *Luminoso*, 18. qu. 2. in dictis Monasteriis, *Quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi.* Ex quibus constat, quòd Regulares qui Episcopo minimè sunt subiecti, debent visitari ab eorum Superioribus, vt ordinariis, & non ab Episcopo, & sic nec eorum Ecclesiæ, quia si eorum Ecclesias visitaret, indirectè cognosceret de Regularium causis, quod Tridentinum non vult.

Quod autem diximus de Monasterijs, & personis eorumdem, id etiam de Monialium Monasterlis, & personis earumdem intelligendum est, ex superioribus Concessionibus, & præcipuè ex illa Pij V. in qua postquam Monialium Monasteria Messem alienam ab Episcopis appellauit: sic loquitur, *Itaut aliquam iurisdictionem, seu, aliud quodcumque dominium in Moniales, & Fratres huiusmodi habere, respectiuè exercere aut exequi nullatenus possint, aut debeant: imò illas, & illos omnes ab illorum superioritate dominio, & iurisdictione, & potestate eximimus, & liberamus, prout eis concessum est per sua priuilegia, à Sede præfata obtenta. Et ita præfatæ Moniales, ac Fratres sint exclusi à superioritate & iurisdictione Ordinariorum respectiue huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum Syndicis aut Procuratoribus deputatis, vel in deponendis facultatibus illorum, vel alia*

sibi non competentia facienda, vllatenus non se intromittant. Et licet præmissa verba, præcipuè de Monialibus iurisdictioni Mendicantium subditis intelligantur, tamen de alijs quæ pleno iure Episcopis non subduntur, etiam intelliguntur: vt præcedentia verba in prædicta bulla inserta manifestè ostendunt. Illa autem Monasteria, seu Ecclesiæ dicuntur pleno iure Episcopis subijci, quando tam in administratione spiritualium, quàm temporalium eis subduntur, vt notat Archang. Roman. de Priuileg. in addit. pag. 6. & cap. *Abbatis* de Priuileg. & ex Archid. & Ioan. And. in illud.

Obijcies ex Trident. sess. 25. de Regul. cap. 29. Monasteria Monialium subijci visitationi Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ac proinde posse ab illo visitari: sic enim habet, *Monasteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Capitulorum Sancti Petri, vel Sancti Ioannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque.* Respondetur, illud esse decretum à Tridentino, cuius tamen intentio non fuit priuilegijs Monialium derogare, vt præcitata verba Pij V. Tridentinum explicantis, ostendunt: nec de facto derogauit, cùm derogatoria clausula huic decreto apposita, non sit eius naturæ, quæ deroget dictis priuilegijs: vt cum Doctoribus docuimus in Tractatu de Priuileg. in communi. Quocirca in vi illius decreti dicta Monasteria non posse ab Episcopis visitari, nec eorumdem iurisdictioni subijci vt etiam vsus, necnon Senatuum supremorum Sententiæ probant, qui Episcopos ab huiusmodi visitatione arcent, vt testatur Baunyus, qui in praxi iuris Canon. lib. 1. cap. 22. refert duo placita senatus supremi Parisiensis: primum aduersos Officialem Episcopi Andegauensis de anno 1603. aliud aduersus Officialem Episcopi Cenomanensis de anno 1613. Qui quosdam regulares visitare & corrigere tentauerant. Imò & Pontifices, nonobstante dicto decreto, Visitatores triennales in plurimis è dictis Monasterijs pro visitatione facienda nominant, & deputant, nulla facta illius decreti mentione. Quod signum est, decretum huiusmodi non habere vim in præmemorata Monasteria, licet videantur in vi verborum sub illo vniuersaliter comprehendi: debet ergo iuxta alia decreta Tridentini interpretari, quemadmodum de Monasterijs virorum, videlicet si in eis non vigeat Regularis obseruantia, vel si non visitentur post sex menses à monitione Episcoporum, de facienda visitatione, tunc possint Episcopi dicta Monasteria visitare, vt post Tridentinum, tenet Piasecius in Praxi Episcoporum, parte 2. cap. 3. art. 6. Vbi verò Tridentinum non est receptum, nullo iure ad illa visitanda potiuntur Episcopi, cùm, vt supponit Tridentinum, sint exempta, & Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, in quibus propterea Episcopi nullam penitùs iurisdictionem habent.

Instabis primò, Gregorium cap. *Cognouimus* 18. q. 1. decernete, Episcopum curam habere debere illorum Monasteriorum, ac ex consequenti possidere ius visitandi Ecclesias, Monasteria, & personas in eisdem manentes. Respondetur eodem capite, curam etiam Monasteriorum virorum Episcopo demandari: sed quemadmodum successiuis sæculis hæc à iurisdictione, & visitatione Episcopi exempta fuerunt, sic & illa, vt ex antedicto Decreto Tridentini supponitur.

Instabis secundò, in chartularijs plurium Episcopatuum reperiri, quòd huiusomdi Monasteria debent procurationem Episcopo, aut quòd illam Episcopis soluerunt. Respondetur per hęc verba non intelligi visitationem, aut ius ad illam faciendam, vt propriè visitatio est; sed tantùm ius temporale debitum Episcopis; quod post factam exemptionem illorum Monasteriorum eisdem Episcopis, vel per compromissum, vel per alium titulum, in signum quod anteà illorum iurisdictioni subiecta erant, Pontifice Romano, vel consuetudine approbante, relictum est: illoque per plurimos annos potitos fuisse, ac forsan impræsentiarum potiri.

PROPOSITIO II.

NOn est liberum Episcopo puellarum probationem in monasterijs sibi non subditis agentium voluntatem per examen explorare, sed hoc munus ad prelatum regularem spectat, vbi Tridentinum non viget: secùs autem vbi receptum est.

Non dubium est, quin Abbatissæ, seu Priorissæ, & aliæ Monialium præfectæ possint de suorum Prælatorum licentia nouitias recipere, imò & puellas minores duodecim annis ad habitum regularem, seu vt sint nouitiæ, etiam de eadem licentia recipere; sicut & ad professionem anno 16. ætatis expleto, vbi Tridentinum receptum est, admittere: vbi autem non viget, ante prædictum annum, secundum Lessium de Iure & Iust. & alios. Sed dubium est, ad quem puellarum huiusmodi examen, vbi non viget Tridentinum, pertineat? quod facili negotio soluitur, dicendo, quòd cùm antiquo iure, videlicet constitutionibus regularibus examen illud, sicut etiam adolescentium ad Prælatos Regulares spectaret, nec vllo iure ad Episcopum deuolueretur; sic etiam hoc tempore non ad Episcopum, sed ad Prelatos Regulares spectat, ac sic in multis partibus Galliæ praxis habet. Et determinatum est Parisiis à duobus eminentis doctrinæ, & famæ Canonistis.

Vbi verò Tridentinum viget, examini Episcopi expressè subduntur nouo omnino iure, videlicet decreto eiusdem cap.17. sess.25. de Regular. dum sic statuit: *Nec postea ipsa vel alia*, scilicet Monialis, *professionem emittat, quam explorauit Episcopus, &c. virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat*. Et ita referunt decisum à Congreg. Cardinal. Sellius, Armand. & Piasec. à Barbosa in suis annotat. in prædictum Tridentini decretum, citati; & tenent multi Doctores. Quod ius introductum est in fauorem libertatis puellarum, ne à parentibus coactæ, vel à Monialibus allectæ, non autem Dei spiritu ductæ profiterentur, vt ex dicto cap. constat inchoato, *Libertati puellarum*. Nec obest objicere, hoc decretum carere clausula priuilegiorum reuocatoria; quoniam Pius V. explicando hoc decretum, ita declarauit, ac formam tradidit examinis faciendi: ac ex consequenti intentionem Tridentini esse, quòd non obstantibus priuilegijs regularium examen illud fieret, licèt prædicta clausula non esset apposita. Accipe verba Pij, *Volumus etiam, quòd puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seducta fuerint examen faciendum; non nisi infra quindecim dies, postquam iuxtà Concil. Trident. Episcopi vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit; quibus elapsis in hoc illis se intromittere non liceat, cuius occasione, nec Episcopus, nec eius vicarius intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream; & interrogationes alias, quas præfatum Tridentinum iubet eis fieri, omninò prohibemus. Ac similiter volumus, quòd puellæ, seu nouitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minime teneantur.*

Dices, nos sæpiùs docuisse, Tridentinum non reuocare priuilegia, nisi per appositionem derogatoriæ clausulæ: ergo cùm non apposita fuerit decreto, non reuocat. Respondetur 1. illam clausulam non esse necessariam, quia quoad illud examen regulares non habebant antea priuilegium, quod hoc decreto, quasi nouo iure introductum est. Respondetur 2. illam clausulam non esse necessariam; quoniam ibi non agitur de priuilegijs regularium, seu Monialium propriè sumptarum, quę omnes vota emiserunt; ac ex consequenti non ex priuilegio, sed ex natura professionis regularis ab hoc examine sunt liberæ: sed de impropriè regularibus, seu monialibus, videlicet puellis nouitijs, quæ in priuilegijs dumtaxat professarum participant, quod cum illarum priuilegium non sit, ideo Episcopi examini subiectæ sunt, sicut & eidem in aliquibus alijs.

Punienda autem est ab Episcopo per suspensionem ab officio præfecta monialium non monens congruo tempore de examine huiusmodi faciendo, si non gaudeat

exemptione,

exemptione, qua ab Episcopo non possit castigari: secus autem si illa potiatur. Ratio est, quia, vt alibi diximus, non censetur persona exempta Episcopo subiici; nisi exprimatur, & vlterius clausula derogatoria priuilegiorum apponatur, quod à Tridentino non est factum: non tamen propterea incastigata remanebit, si Episcopus requirat correctionem à Prælato, qui eius superior existit; qui potest, & debet illam corrigere, alioquin ipsemet castigandus. Professio autem, omisso prædicto examine facta, non est nulla, cùm Tridentinum ob hunc defectum non apponat nullitatem. Ad quem autem spectet ad professionem Moniales admittere, & in præceptis Ecclesiæ, & regulæ dispensare? Respondetur, quosdam Doctores existimare, quòd præfecta monasterij potest ad illam admittere, quia admissio ad professionem non est actus Ordinis, aut iurisdictionis: sed tantùm superioritatis. Sic Hostiensis, & alij quos citar Sanches proximè citandus: alij verò arbitrantur spectare ad superiorem; quia solam administrationem monasterij habet præfecta. Sic Sanches in Decal. lib. 5. cap. 4. num. 76.

Obiicies, Moniales emittere vota in manibus præfectæ, cui promittunt se obseruaturas regulam, eo modo quo Deo, ipsaque præfecta ex parte Religionis promissionem, seu vota solemnia acceptat; ergo ad professionem admittit. Respondetur, eam acceptationem esse ministerium, quod præfecta exercet ex tacita, aut expressa commissione prælati monasterij, vel institutoris regulæ, si regula hoc habeat; cumque succedat prælatus institutori, illius nomine semper agit: cui etiam vt ministræ illius moniales promittunt se regulam seruaturas. Quod rationi consonum videtur; quoniam cùm præfecta debeat esse ministra cogens moniales ad suę obligationis contractæ executionem, promissio quoque huiusmodi eidem tanquam ministræ expressè fieri debet. Et sic primo quæsito responsum est. Secundo autem respondetur, præfectam in ieiunijs, vt supra, non posse dispensare; sed prælatum dumtaxat; quia dispensatio est actus iurisdictionis. Sic Sanches citatus librò 6. capite 1. num. 24.

Hic duo te aduertere desidero, primum ex Medina de Sacror. homin. continentia, lib. 4. Controu. 9. cap 4. Miranda de Sacris monial. quæst. 8. art. Sanche in Summa, lib. 4. cap. 18. num. 33. & Suario tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 1. numer. 9. puellas huiusmodi cuiuscumque ætatis, esse aptas receptioni in monasterijs huiusmodi, vt fiant moniales; cùm nulla à Tridentino ætas præscribatur. Secundum, probabilem esse sententiam, quæ asserit, nec recipientes in monasteria puellas 10. annorum, nec easdem ingredientes incurrere excommunicationem. Sic Llamas in Methodo Curarorum, in appendice, quam ponit in fine §. 13. & Sorbus in suis annor. ad compendium, verb. *Ingredi Monasteria*, qui addit, posse dici solas mulieres ingredientes matrimonio consummando aptas (videlicet 12. annorum) excommunicationem incurrere.

PROPOSITIO III.

EPiscopus non potest visitare Regularem vt Parochum, vel Vicarium in Ecclesia sui Monasterij inseruientem, aut in Ecclesijs alijs Parochialibus exemptis Vicarium agentem.

Certum est primo quòd antiquitùs Regulares non habebant curam animarum personarum Sæcularium, licet haberent curam personarum Regularium, quibus Sacramenta ministrabant, vt constat ex cap. *Placuit*, 16 quæst. 1. factum, vt dicitur in Concil. Nicæno. Sed hodie neque in primo Nicæno, neque in secundo habetur, in quo sic decernitur, *Quamobrem firmiter, & insolubiliter omnibus præcipimus: vt aliquis Monachus Pænitentiam nemini tribuat; nisi sibi inuicem, vt iustum est: mortuum non sepeliat; nisi Monachum in Monasterio secum morantem, vel si fortuitè*

Digitized by Google

quemquam aduenientium Fratrum ibi mori contigerit. Successiuè propter eorumdem capacitatem cura animarum personarum sæculi, eis demandata fuit, vt manifestè patet capite *Dictos Monachos*, & alijs capitibus eiusdem proximè dictæ causæ, & quæstionis.

Postremò cùm disciplina regularis ex huiusmodi ministerio laxaretur, prouisum est, vt aliàs etiam fuerat, per Pium V. Bulla, quæ incipit, *Ad exequendum*, vt Regulares, quorum Monasterijs annexa erat animarum personarum sæcularium cura, Vicarios perpetuos quibus huiusmodi ministerium demandaretur, in eisdem Monasteriis constituerent: ac per hoc sunt Curati primitiui, & proprietarij omnium iurium & redditùum illorum Beneficiorum, seu Vicariarum perpetuarum, cum onere portionem congruam Vicarijs perpetuis sic institutis, singulis annis soluendi, ea tamen conditione, vt in Parochijs vnitis Mendicantibus, possint superiores eorumdem aliquos Regulares sibi subditos in Vicarios illarum Parochiarum, à se ipsis examinatos, & ab Ordinarijs approbatos, deputare in Vicarios, ad suum nutum amouibiles, vt etiam idem met Pius Bulla quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, decernit his verbis, *Insuper volumus, quòd præfati Regulares, quibus cura animarum inest, possint per seipsos, iuxta suorum superiorum ordinationem, &c. præfatam curam exercere.* Ratio est quoniam sic præsentatus ab obedientiæ iugo non liberatur; & sic censet Archang. Rom. verb. *Ecclesiarum immunitas*, citans Nauarrum consil. 2. de regularib. num. 65. & Lezana tom. 1. cap. 2. quocirca referente eodem Archang S. Congreg. Cardinal. declarauit posse Abbates ordinum regularium, inuito Episcopo, absolutè reuocare ad Monasterium Religiosos exercentes curam animarum in Ecclesijs, quæ sunt vnitæ ipsis Monasterijs. Ad hoc autem, vt licitè & prudenter fiat reuocatio, requiritur aliqua causa rationabilis, vel quæcumque vtilitas, vel commoditas Religionis, aut Ecclesiæ: casu autem quo constaret reuocationem malo animo factam fuisse, reuocati maioris prælati auxilium implorare possent: sic citatus Archang. & Lezana to. 2. cap. 18. nec illud ius est dumtaxat mendicantibus concessum; verum etiam Monachis, vt proximè dictum est, & constat ex dicta constitut. *ad exequendum*: cùm onere tamen vt cum Vicarijs deputatis habitent quatuor alij Monachi, quod onus non video susceptum in Gallia: nam vt cæteros omittam, Canonici regulares. S. August. soli in dictis Parochijs habitant. Nec mireris quod hos Canonicos vocarim Monachos; nam licet propriè sint Canonici & Clerici regulares, tamen in fauorabilibus sunt Monachi; ac etiam in odiosis, in quibus eadem est ratio, ac in Monachis (vt in præsenti) sicut optimè probat Roder. tom. 1. Q.Q. Regul. quæst. 1. art. 3. Vlteriùs ab eodem Pio V. pro Mendicantibus est concessum, vt alios Vicarios seu Capellanos sæculares, ad nutum eorumdem amouibiles, seu vt vocant, conductitios, dummodò ab Ordinarijs approbati sint, ad seruiendum dictis Parochijs, deputare valeant, cum prohibitione Episcopis, ne se in eorumdem deputatione: vel amotione intromittant, Bulla, *Etsi Mendicantium.*

Certum est 2. dicta Beneficia Curata annexa Monasterijs Regularium duobus modis ad illa pertinere. Primo modo pertinent ad Monasteria ab Ordinarij iurisdictione; pleno iure exempta, absque debenpentia ab Episcopo, in institutione, aut destitutione Curatorum, seu Parochorum, vt sunt in Gallia Monasteria Sancti Dionysij, Sancti Germani Pratorum, & alia, quę plena & libera collatione Parochiarum, & Vicariarum perpetuarum (vt asseritur) ab ipsis dependentium potiuntur.

Secundo modo pręmissa Beneficia Curata pertinent ad Monasteria quidem exempta; sed non illo iure, quo præmemorata, cùm in institutione Curatorum, seu Vicariorum perpetuorum, etiam ab Episcopo pendeant (videlicet) ab illius examine, & approbatione; attamen tum hæc, tum illa Monasteria spectant ad primitiuum Curatum illarum Parochiarum, seu Vicariarum perpetuarum, suntque proprietarij omnium iurium ab eisdem dependentium; cum onere portionis congruæ dictis Curatis, seu Vicarijs perpetuis tradendæ: vt habetur dicto cap. 1. *de Capellis Monachorum*, in Glossa, & in Glossa etiam super cap. *Cùm & plantare*, de Excess. Prælat.

3. Certum est tribus modis posse Regulares Beneficijs Curatis inseruire 1. Tanquam veros Curatos, vt sunt cōmunite, Canonici Regulares sancti Augustini in suis

Parochijs, & Prioratibus à suis Monasterijs dependentibus. 2. Vt Curatos seu Vicarios in alienis Parochijs Episcopo subditis. 3. In alienis à suo Ordine, Parochijs, ab Episcopi tamen iurisdictione exẽptis. His positis nostra propositio probatur quoad primam partem. Quoniam si aliqua iurisdictione in Vicarium Regularem, seu Curatum potiretur Episcopus, hoc haberet vel ex parte Ecclesiæ, vel ex parte personarum Regulariũ: sed nulla iurisdictione potitur in Ecclesiam, & personas Regulariũ, vt supra probatum est, cùm exemptionem plenissimã ab illius iurisdictione probauerimus: ergo nulla in dictum Vicarium Regularem, in Ecclesia Parochiali sui Monasterij inseruientem, iurisdictione potitur: ergo cùm visitatio sit vnus ex præcipuis actibus iurisdictionis Episcopalis, non potest Episcopus talem Regularem visitare.

2. Ex mari magno Fratrum Prædicatorum expressè ab Vrbano VIII. confirmatum, in quo §. 51. sic habetur, *Caeterùm, ne si ratione Parochialium Ecclesiarum, apud quas eorum Fratrum domus constructa fuere, aut construentur in posterum, locorum Ordinarij, in eorum Fratres aliquam superioritatem sibi vendicare tentarunt, Fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur; concedimus eisdem Fratribus, vt in sic concessis, & quas ei concedi contigerit, Curatis Ecclesiis possint per Capellanum, per eos, pro eorum nutu ponendum, & amouendum, Curam huiusmodi exercere: qui quamdiu Capellanotus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Prædicatorum libertate, & exemptione vbique fruatur, Ecclesia verò prædicta, & illarum bona, illâ, quâ domus dicti Ordinis prærogatiua laetatur.* Quid clarius? sic etiam habet antea memorata Bulla, Monasterio S. Crucis à Martino V. concessa.

Obiicies 1. Tridentinum (quod illo priuilegio, tempore posterius est) sess. 25. c. 11. de Regular. decernere, quòd *in Monasteriis, siue domibus virorum, seu mulierum, in quibus imminet animarum cura personarum saecularium (præter eos qui sunt de eorum Monasteriorum, seu locorum familia) personæ, tam saeculares, quàm Regulares huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in his quæ ad dictam curam, & sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cuius Dioecesi sunt.* Ex quibus videtur colligi, quòd Episcopus possit visitare hunc Regularem in administratione Sacramentorum, & animarum cura; sed huic argumento respondetur, quòd non potest iudicari de particula alicuius legis, nisi tota lege perspecta, vt ait quidam Iurisconsultus: vndè oportet perlegere totum capitulum Concilij Tridentini, vbi postquam dictam clausulam argumenti posuit, statim in hæc verba prorumpit, excipiendo ea quæ sequuntur in hunc modum, *Excepto Monasterio Cluniacensi, cum suis limitibus: & exceptis etiam his Monasteriis, seu locis, vbi Abbates, Generales, aut capita Ordinum, sedem ordinariam principalem habent: atque aliis Monasteriis, seu domibus in quibus Abbates, & alij Regulares superiores iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent.* Hæc Concilium: ex quibus constat subsistere, exemptionem factam in Curatis illorum trium Ordinum, ac etiam aliorum qui iurisdictione spirituali, & temporali in sua Beneficia Curata potiuntur: & denique in aliis Curatis aliorum Ordinum, videlicet Mendicantium, & aliorum qui eum eisdem ordinibus in priuilegiis communicant.

Quocirca argumento respondendo dicimus, 1. Illud decretum non habere clausulam reuocatoriam priuilegiorum, ac consequenter, nec illius priuilegij: ac proinde priuilegium stare in suo robore, 2. Quòd licet Trid. illud reuocaret, subsisteret tamen priuilegium illud, quòd regularis Curatus in Ecclesia sui Monasterij, non possit visitari ab Episcopo: cùm, vt ostendimus in Tractatu de priuilegiis in communi, priuilegia Dominicani Ordinis, & specialiter Mare Magnum in quo dictum priuileg. expressè continetur, fuerint ab Vrbano VIII. expressè, vt iam suprà dictũ est, confirmata, vt antea Pius V. explicando Tridentinũ B. sæpe dicta, *etsi mendicantium* confirmauerat, priuilegia à Sixto IV. à quo prædictũ mare magnum emanauit, concessa.

Obiicies 2. decretum illud Sacræ Congregationis in proxima præcedenti propositione allatum, quo declaratum est; non posse Episcopum visitare Ecclesias Regularium, *Quibus non imminet cura animarum*: ergo videtur sentire, quòd potest visitare Ecclesias illorum in quibus imminet cura animarum: ergo & consequenter Regularem. Respondetur 1. id non sentire Sacrã Congregationem; sed tantùm declarare dubium quod illi proponebatur (videlicet) num Regularium Ecclesiæ, in quibus

non imminet animarum cura, visitari possint ab Episcopo; quocirca illa verba interposita non posse obesse priuilegio. 2. Sacram Congregationem conformiter ad præmissum decretum Concilij, vt ibi videbatur declarasse, vel melius sic declarasse non in vi decreti Tridentini, sed posita constitutione Greg. XV. *Inscrutabili*, quam in Gallia & Hispania non valere alibi diximus. 3. Quod licet ita declarauerit, non est tamen tanti ponderis, quòd officiat priuilegio per constitutionem Apostolicam facto, vt supra ostensum est. Accedit, quòd non habet clausulam reuocatoriam; & quod illud priuilegium post decretum præfatum fuerit confirmatum cum debitis clausulis derogatorijs, vt dictum est.

Ex quibus sequitur 2. Propositionis pars videlicet regularem non subijci visitationi Episcopi, si fungatur Vicarij vel parochi munere in Ecclesia exempta, quoniam ex vtroque titulo, scilicet exemptione Ecclesiæ, & personæ potitur. Sequitur 2. non subiici visitationi Episcopi, si eodem munere fungatur in Ecclesia non exempta; quoniam, licet ab Episcopo visitetur talis Ecclesia, Parochus seu Vicarius regularis, cùm sit persona exempta ac suo prælato regulari subiecta, ab Episcopo visitari non potest, quia non potest illum corrigere. ergo nec visitare: cùm visitatio, vt iam dictũ est, sit via ad correctionem. Probabimus autem in cap de Exemptione à potestate coactiua Episcopi, quod Episcopus non possit huiusmodi Regularem corrigere.

Petes 1 quid fiet de illo regulari delinquente, si non possit illum visitare. Respondetur Episcopum visitando Ecclesiam & paræciam, posse illum per accidens sic visitare, & visitationem factam, prælato ipsius intimare: & instare apud illum, vt castiget, vel illum prælato eidem denunciare, vt informet: & instare vt puniat.

Petes 2. Si regularis dispensatus à Papa, de consensu sui prælati regularis ad dignitatem Episcopalem vel ad Beneficium Parochiale extra suum ordinem possidendum possit illa ab Archiepiscopo suo visitari & corrigi, & hic à suo Episcopo? Respondetur quod sic, quia amplius ordini, ex quo sunt assumpti. non tenentur cum si resignent, aut sua beneficia quoquomodo dimittant, non obligentur ad illum redire, sed possunt viuere inter cognatos &c. vt docent Nauarr. & Eman. Sa citati à Millardo de Sacram. Pœnit. cap. 33. instit. 1. n. 5. cumque in odiosis regularium non participent, nec infauorabilibus, vt est exemptio, qua nullus dispensatus gaudet, sicut nec alijs priuilegijs, vt sedes Apostolica declarauit. Quocirca dum aliquis regularis fit Parochus aut Vicarius in aliqua Parochia cuiusdam exemptæ aut non exemptæ Ecclesiæ, attendenda sunt verba prouisionis, etsi Papa dispenset cum consensu prælati hunc regularem, potest Episcopus illum visitare & corrigere, quia in ius transit regularis cum in perpetuum dispensatur ad Beneficium curatum, vt docet Nauarr. Consil. 6. de testam.

PROPOSITIO IV.

Monasteria Monialium subdita Prælatis Regularibus, à visitatione Episcopi ratione clausuræ, vbi non est, instituendæ, exempta sunt.

Constat hęc veritas ex cap. *Periculoso*, de statu Regular. in 6. vbi Monasteria Episcopo, & sedi Apostolicæ immediatè subiecta, à Monasterijs, Prælatis regularibus subiectis distinguit, & de his sic pronunciat: *Abbates verò, & alii, tam exempti, quàm non exempti Prælati Ecclesiarum Monasteriorum, & Ordinum quorumcumque in Monasteriis huiusmodi sibi subiectis, de clausura conuenienti, vbi non est, prouidere procurent.* Nec Trident. decretum cap. 5. sess. 25 de Regul. aliud operatur, quàm confirmare constitutionem Bonifacij VIII. illius capitis, *Periculoso*: nam decretum innouans iuxta terminos constitutionis innouatæ est intelligendum, vt diximus in Tractatu de Priuileg. in communi, & iuxta Nauarr. de Datis & promissis, notab. 3 in n. 6. Quod similiter etiam dicendum est de constitutionibus Pij V. quę incipiunt, *Circa pastoralis*, &, *Decori & honestati.*

Nec obiiciendum, Trident. generaliter loqui, non distinguendo de Monasteriis immediatè subiectis sedi Apostolicæ, & de aliis Prælatis Regularibus subiectis nam

quamuis id ita sit, recedendum non est à constitutione antiqua: nisi quatenus per nouam reperitur contrarium: vt habetur in Iure ciuili L. *Præcipimus*, de Appellat. &c. 1. de Constitut. in 6. At in dicto cap. *Periculoso*, satis exprimitur differentia, vt in principio huius propositionis tactum est: illa enim quæ immediatè sedi Apostolicæ, vel Episcopo subduntur, quoad hunc actum clausuræ, Episcopo subijcit: reliqua verò Monialium Monasteria suis Prælatis ordinarijs. Atque hæc responsio corroboratur ex fine proximè dicti cap. *Periculoso*, vbi habetur, *Per hoc autem in Monasterius exemptis Ordinarii locorum nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus attributam*: ergo ex constitutione huiusmodi nullam habet Episcopus facultatem quoad clausuram in dicta Monasteria exempta; alioquin iurisdictionem & potestatem in illa. Sic tenet Miranda in tractatu de Sacris Monialibus, quæst. 2. art. 14. conclu. 3. & alij.

Ex quibus sequitur 1. non posse Episcopum ingredi Monialium Monasteria, vt videat si violata est clausura: nec se intromittere ad illam reparandam, si violata esti nisi in casu, in quo monitus ab ipso Prælatus Monasteriorum, in quibus clausura violata est, nollet illam reparare: tunc enim vbi Trident. est receptum, id posset tanquam Sedis Apostolicæ delegatus.

Sequitur 2. vbi Trident. aut cap. *Periculoso*, aut præfatæ Constitutiones Pii V. receptæ sunt, Episcopum posse visitare Monasteria Monialium Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, ad effectum dictæ clausuræ reparandæ: dixi vbi prædicta recepta sunt; quoniam dubitari forsan posset, num constitutio illius capitis *Periculoso*, in quo, & prædictum Decretum Tridentini, & proximè dictæ Pij V. Constitutiones in illa fundantur, sint in Gallia receptæ: nam illa constitutio est Bonifacij VIII. & Codex Iuris illam continens, cum alijs eiusdem Pontificis, & aliorum Pontificum, qui sextus appellatur, editus & compilatus est ab eodem Bonifacio, quibus, vt ait Petrus de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. li. 2. cap. 17. in Gallia locus non fuit ob dissidium Regis cum Pontifice illo, vt obseruat Ioannes Andræas in ca. *Generali* de Elect. in 6. vbi relato diuortio Bonifacij & Philippi ob iura Regalium, hæc addit: *Ideo secundum aliquos, constitutiones istius compilationis non fuerunt receptæ propter istam controuersiam*, quæ verba recisa sunt in editione Romana. Cæterùm plurimæ Decretales hoc sexto libro comprehensæ hodie vigent in Iudicijs & frequenter apud Summa Curiarum tribunalia à Causidicis laudantur. Hęc Petr. de Marca. Quocirca consulendi circa hanc constitutionem, & alias similes, Causidici, & alij periti & docti; ac vsus qui est optimus Legum interpres.

PROPOSITIO V.

Regulares non obligantur ad obedientiam legibus Episcoporum.

Hæc propositio sequitur ex præcedentibus, ac probatur 1. Quia sunt simpliciter exempti à lege iurisdictionis, & Diœcesanę Episcoporum; ergo maximè sunt exempti ab illo actu iurisdictionis, qui est legem ferre. 2. Quia sunt extra territorium Episcoporum, ex cap. 1. de Priuileg. in 6. Et iuxta communem Canonistarum sensum, existens in loco exempto, est extra territorium quoad effectum iurisdictionis: quod confirmatur cap. *A nobis*, de Sent. Excom. vbi dicitur, *Non incurrere sententiam latam per statutum Episcopi, qui extra territorium existens illud non seruat*. Cuius rationem reddit Pontifex his verbis, quia *extra territorium ius dicenti non paretur impunè*; & consequenter concluditur, Episcopum non posse quidquam validum decernere, & statuere in personas, & loca quæ sunt extra territorium, sicut sunt loca Regularia, & personæ. Et hæc est sententia communis Doctorum in cap. 1. de Constit. in verb. *Lex*, præcipuè Couarr. in cap. *Alma Mater*. 1. l. §. 10. nu. 3. cuius sententiæ est etiam Barthol. l. 1. de Sancta Trinitate nu. 44. eamque colligit ex l. *Omnes populi*, ff. de Iustitia, & iure, & Suares lib. 4. de Legibus, cap. 20. Ratio est, quia Regulares exempti non tenentur parere Episcopis seu Ordinarijs: nisi in casibus à iure expressis, vt colli-

Google

gitur ex dicto cap. 1. de Priuileg. in 6. his verbis, *Saluis casibus aliis, in quibus Episcoporum iurisdictioni subesse canonica præcipiunt instituta.* Nullum autem est decretum Canonicum, quod præcipiat exemptos parere legibus Episcoporum; quin imò in cap. *Nimis praua.* de Excess. Prælatorum, inter alia quæ prohibentur Episcopo, ponitur, quòd *Suis constitutionibus subiicere cogunt Religiosos*: & licet ibi nominentur specialiter Fratres Prædicatores, & Minores, tamen, id est gratia exempli, sermo tamen generalis est de omnibus similibus, vt patet ex illis verbis, *Cùm quidam verè Religiosi, vt putà Fratres Prædicatores, & Minores.*

Accedit quod Trident. sess. 25. cap. 12. de Regul. specialiter præcipit, vt *Religiosi exempti obediant Episcopis, in censurarum, & festorum obseruatione ab eis præceptorum.* In quo videtur supponere, anteà non fuisse ad hoc obligatos, sed per eam legem eorum exemptioni derogatum iri. Vndè sumitur argumentum à speciali, quòd in aliis legibus Episcopalibus Religiosi exempti obedire non tenentur. Quòd si subditus iuxtà Facundez in præcepta Decal præcepto 1. lib. 1. cap. 7. nu. 7. 8. non tenetur seruare festa, & ieiunia à suo Episcopo sub præcepto indicta, licet sit intra suæ Diœcesis limites dummodò sit in loco exempto: & si iuxtà Henriquem in summa lib. 13 cap. 26. §. 1. & Auilam de cens. p 2. cap. 3. dub. 5. non ligatur excommunicatione sui Episcopi pro tota Diœcesi lata, si commoretur in loco exempto intra eamdem Diœcesim: à fortiori exemptus regularis, non ligabitur huiusmodi & aliis legibus Episcopalibus, & huius sententiæ sunt Granado in part. 12. contract. 7. tractat. 33. parte 1. disp. 6. sect. 3. num. 18. Lorcas in part. 2. tom. 2. disput. 25. memb. vlt. Salas de Legibus, tractat. 14. sect. 4 num. 43. Zanardus in suo Direct. Theol. p. 2. præcep. 4. cap. 10. in fine, Pontius de Matrim. 46. 5. 6. 7. num. 31. Diana tract. de Leg. Resol. 11. Suares de Leg. lib. 4. cap. 20. num. 9.

Ex quibus sequitur, 1. Regulares non seruantes festa quæ ab Episcopis ordinantur, non peccare, quoniam institutio illorum festorum est lex Diœcesana, quam, vt supra probatum est, non tenentur Regulares seruare, vt expressè concessit Eugenius IV. Monachis sancti Benedicti Congregationis Hispaniæ, verbis sequentibus à Roderico tom. quæst 72. art. 1. relatis *Quòd in suis Monasteriis non teneantur seruare, siue colere alias Festiuitates: nisi illas præcipue quæ per vniuersalem Ecclesiam obseruantur: aliàs licite vacare laboribus, & consuetis exercitiis, vel occurrentibus possunt, nisi communiter ab omnibus secundum consuetudinem locorum vbi Monasteria sita fuerint, vel superiorum obseruentur, quibus sine scandalo in huiusmodi laboribus faciendis contrauenire non possit.*

Quibus verbis huius sequelæ veritas concluditur: restrictâ tamen causâ scandali quo interueniente, tenentur Regulares se huiusmodi obseruantiis Festorum cum, populo conformare. 2. Restricta est consuetudine vim legis obtinente, quâ huiusmodi festa in Diœcesi introducta sunt: tunc enim ad illa obseruanda Regulares obstringuntur sub mortali, sicuti ad cæteras consuetudines. Vt autem huiusmodi consuetudines obligent tum ad festa, tum ad cætera, euidens esse debet, quod sub obligatione peccati mortalis, non verò ex deuotione introductæ fuerint; alioquin si dubitetur num ex deuotione; an vero ex obligatione introductæ fuerint, tunc obseruandæ non erunt sub mortali Nec obstat huic veritati Tridentinum sess. 25. cap. 12. quod vult, vt *Regulares seruent illos dies festos*: quoniam sicut non habet vim vbi receptum non est, sic etiam non obligat in illis decretis, quæ clausulam reuocatoriam non habent; hoc autem decretum caret illa clausula.

Sequitur 2. Regulares non obligari ad ieiunia lege Episcopali ordinata quia cùm sint exempti à iurisdictione, & legibus Episcoporum, nec illis subiiciantur, nisi in illis casibus in quibus ius commune, aut Concilium generale præcipit: nec vllum sit, quod illud speciale ius concedat Episcopis; fit indè, vt dictis ieiuniis seruandis minimè teneantur: alioquin nimis grauarentur Regulares, si vltra obseruantias ieiuniorum vniuersalis Ecclesiæ, & Regulæ, ieiuniis lege Episcopali indictis obligarentur. Et huius sententiæ est Suares lib. 4. de Leg. cap. vltim. citans Paludanum, & Antonium; quibus accessit Roder. in addit. ad Summam moralem tom. 4. cap. 110. num. 4. qui tamen addit, quod licet Regulares non teneantur ad ieiunia ab Episcopis indicta; teneri tamen ad ieiunia per consuetudinem generalem Diœcesis introducta, eo modo, quo supra dictum est, de festis ex consuetudine introductis. Quod autem

dictum est de exemptione Regularium à præmissis legibus, id similiter de cæteris legibus Diœcesanis asserendum est: à quibus omnibus sunt Regulares per exemptionem soluti.

Verùm quia posset quis dicere, quòd licet Regulares sint ab illis soluti, illos tamen obligari Episcoporum præceptis, quoniam præcepta minorem requirunt potestatem: multi enim possunt præcepta subditis imponere, vt sunt aliqui superiores locales, qui tamen legem ferre non possunt. Respondetur, Regulares etiam eximi ab obligatione parendi Episcoporum præceptis: cùm ab illorum omni prorsus iurisdictione sint soluti à qua potestas præcipiendi suam originem trahit. Quocirca illorum præcepta minimè sunt Regularibus formidanda, nisi ad hæc facienda à iure, vel à Pontifice expressam habeant facultatem. Et hanc veritatem quibusdam specialibus propositionibus proximè ponendis probabimus.

PROPOSITIO VI.

Regulares non possunt ab Episcopis prohiberi, in suis Ecclesijs Missas, & Officia Diuina publicè, & solemniter celebrare; ritusque sui Ordinis, & ceremonias in festis, & alijs diebus obseruare, & Sacræ Eucharistiæ Sacramentum à populo adorandum publicè exponere: necnon extra claustra processionaliter infra octauam corporis Christi circumferre.

Hæc propositio, quoad 1. partem, ex præcedentibus sequitur, & probatur ratione: quia cùm personæ, & Ecclesiæ Regulares sint exemptæ, nec quicquam in illas possint Episcopi, Prælati Regularium sunt in illis vt Ordinarij: & ideò tamquam Ordinarij possunt prædicta in suis Ecclesiis facere. Sic Pius V. statuit explicando decretum sess. 22. de Ecclesiis Parochialibus à populo frequentandis, Bulla quæ incipit. *Etsi Mendicantium* his verbis, *Volumus quòd Fratribus Mendicantibus huiusmodi, non solùm prohiberi non possit, ne Missas, & alia Diuina Officia faciant in eorum Ecclesiis, verùm etiam in quibuscumque alijs vbi celebrari Missas solitum est; etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant.* Et paulò post, *Necnon Missas, & Diuina Officia huiusmodi, etiam in diebus Dominicis, & Festiuis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit, celebrare, & celebrare facere.* Hæc Pontifex in illius Bullæ, §. 20. Quam concessionem, cùm sit Pontificis, independenter à voluntate, seu beneplacito Ordinarij factam esse, censendum est, vt in Tractatu de Priuilegijs diximus, cùm in genere, ostendimus, gratiam Pontificis habere suum effectum independenter ab Ordinario: cuius concessioni, seu declarationi inhærendo sacra Congregatio Cardinalium interpretum Concil. Trident. sedente Clemente VIII. anno 1602. explicando vltimam partem cap. 12. sess. 25. declarationi præfati Pij V. superaddit quod sequitur. *Congregatio Concilij censuit ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis diebus Festis permaneat quoad Missas celebrandas, & cætera Diuina Officia, tàm publicè, quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda; nec circa hæc ab Episcopis quoquo modo quidquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse: quòd si de facto præceperint Regulares, neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri.*

Secunda Propositionis pars probatur 1. quoniam Episcopus dum sub eius vexillo regulares militarent, poterat sine dubio in eorumdem Ecclesiis sibi prorsus subditis SS. Eucharistiæ Sacramentum, quoties sibi videbatur opportunum, populo publicè adorandum exponere: at totum ius Episcopi in dictas Ecclesias, in Prælatum regularem translatum est, ergo etiam id potest Prælatus regularis. Prima propositio patet, in qua non est distinguendum si Episcopus id poterat, quatenus prælatus regularium; aut quatenus Episcopus, quoniam nulla ratio vrget cur id non posset quatenus regularium prælatus, cùm vna & eadem esset superioritas Episcopi relatiua indistinctè ad sæculares & regulares subditos. Propositio secunda etiam patet, quoniam eorumdem Ecclesijs ab omni prorsus iurisdictione, dominio, & superioritate

Episcopi per Papam exemptis, necessarium erat ad eorumdem perfectum regimen vt omnis eiusdem Episcopi potestas Prælato regulari concederetur, quod de facto actum est, vt ex innumeris canonibus, & Pontificum Romanorum Bullis manifestè patet, & quia de Ecclesiis est sermo, in medium afferre liceat antiquum Gregorij Magni decretum, cap. *Luminoso. Nec audeat ibi cathedram collocare Episcopus, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec quamcumque ordinationem, quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus; quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, vt remotis vexationibus, ac cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione animi perficiant.* Hæc Gregorius.

Cathedram autem Episcopus in dictis Ecclesiis poneret, & exerceret potestatem imperandi, & ordinandi, si non liceret regulari Prælato sine eius mandato SS. Eucharistiæ Sacramentum populo adorandum publicè exponere.

Probatur 2. quia Prælatus regularis posset in suis Ecclesiis, ordinis, nec-non etiam iurisdictionis, & superioritatis potestate: sed actus exponendi Eucharistiæ Sacramentum non superat hanc potestatem, ergo potest illam exercere: 1. propositio constat ex eo quod in locum Episcopi quatenus antea superioris illarum Ecclesiarum successit. 2. autem probatur quoniam illius est exponere, cuius est conficere & ministrare illud Sacramentum; hoc autem ad sacerdotem præcisè spectat. Dixi præcisè, quia vt in Ecclesiis regularium hoc fiat, requiritur in faciente sola superioritas, vel saltem illius licentia, sine iurisdictione, cùm ille actus non sit iurisdictionis vt constat; Ergo cum Prælatus sit simul & sacerdos, & superior Ecclesiarum, poterit illud in suis Ecclesiis exponere.

3. Quia non videtur qua ratione Episcopi requiratur licentia: non enim, quâ Episcopus, quoniam non est actus caracteris Episcopalis; non quâ Diœcesanus, seu quâ superior territorij, in quo sunt dictæ Ecclesiæ quia illarum non est superior, & locus exemptus iuxtà canonistas extra Diœcesim iudicandus est: nec denique quia ad eas confluat populus ei subditus; quoniam etiam ad eas sine eius licētia [nec non etiam ipso contradicente] confluit populus ad audiendum verbum Dei, & diuina Officia; ad Sacramenta recipienda, ad processiones, confraternitates, funeralia & quod maius est ad vota in manibus Prælati regularis, si sit populus ex tertio ordine emittenda: & cetera facienda, quæ procul dubio maiorem requirunt in regulari potestatem, quàm actus exponendi Sacramentum Eucharistiæ.

4. Quoniam nemo negabit, quin Canonici Ecclesiæ Cathedralis exemptæ, & aliarum Ecclesiarum exemptarum possint illud exponere; ergo à fortiori illud potest Prælatus regularis: cùm illi sint tantum exempti velut ad instar Regularium, vt inferiùs dicetur: & Tridentinum ab exemptionis iure illos expressè excludat; cum tamen non excludat regulares, maiorique in suos subditos, suasque Ecclesias Prælatus regularis, quàm Decani & Canonici in suos & suas, potestate calleat.

Nec obstat 1. opponere quod in multis Synodis Diœcesanis ordinatum habetur, quod id non liceat Prælato regulari sine Episcopi licentia; quoniam illa lege regularis non ligatur.

Non obstat 2. quod nouæ indulgentię non possint à Prælato regulari publicari in dictis Ecclesijs absque Episcopi licentia; ergo nec Sacramentum Eucharistiæ exponi. Respondetur ita esse, si rescriptum, in quibus continentur, hanc conditionem apponant; sin autem, in dubio res versatur. Sed supposito, quod Prælatus regularis non possit illas publicare absque Episcopi licentia, non est similis in vtroque ratio, nam indulgentiæ sunt publicus extraordinariæ iurisdictionis effectus, delegatione Apostolica exercendus erga suos subditos; ac ex consequenti cum delegata potestas, quę non transijt in ordinariam, non debeat exerceri sine Episcopi facultate, saltem ex decentia ab eodem habenda est, at verò SS. Sacramenti expositio est actus ordinariæ potestatis; & ideò hęc licentia non requiritur.

Non obstat 3. quod in pluribus causis à S. Congregat. Cardinalium decisum est, id ei non licere absque Episcopi licentia, quoniam vel illa decisio est interpretatio iuris communis, vel decreti alicuius Concilij generalis, aut denique Pontificij: vel non est declaratio, sed lex: non potest dici prius, scilicet quod sit declaratio, 1. quia nullum est ius declarandum quod de hac materia in specie agat 2. quoniam declaratio

claratio alicuius iuris facta à potente non potest esse contraria iuri declarato, cum sit vnum & idem cum eo; esset autem talis, cum sint duæ decisiones circa hanc materiam penitus contrariæ, ab eisdem Cardinalibus emanatæ, vt mox constabit. Non potest dici posterius, scilicet quod sit lex; Quoniam Cardinales illius congregationis facultate non pollent ad legem condendam. Nec huiusmodi decisio vt lex publicatur; Quod confirmatur ex decreto per Cardinalem Grimaldum tunc in Gallia Nuncij Apostolici munere fungentem, in fauorem Archiepiscopi Burdigalensis, partibus videlicet Dominicanis inauditis ab eadem congregatione impetrato, 1544 in quo loquens de quodam alio decreto circa hanc materiam aliàs emanato, sic fatur: *Hanc eamdem opinionem secuta fuit sacra Congregatio Episcoporum in pluribus causis.* Quibus vides decisionem Cardinalium esse opinionem, non autem legem.

Dices, ergo saltem hæc decisio erit opinio sequenda, cum sit tantorum virorum; Respondetur quòd si velis sequi illorum opinionem, sequenda potissimum illa, quę vniuersaliter, ab illis pronunciata fuit, & non sicut hæc in causis priuatis, illa (inquam) quæ etiam auctoritate Apostolica iudicialiter promulgata fuit, anno à nuntio Apostolico apud Hispaniæ Regem residenti in toto illo regno obseruanda: & denique Bulla Vrbani VIII. inchoata *In plenitudinem*, de qua aliis, qualis est hæc cuius tenor sic habet, *Sacra Congregatio regularium censuit & statuit, vt liceat regularibus in eorum Ecclesiis, & intra septa Monasteriorum suorum Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum processionaliter circumferre; & super altari publicè adorandum exponere ex quauis causa publica vel priuata die 2. Iulij 1580.*

Verum supponamus decisionem Cardinalium legem facere, certè vt reuocet ius Regularium & præfatam generalem eorumdem Cardinalium decisionem in fauorem omnium Regularium editam non debet esse particularis, quoniam nulla lex in causa particulari seu speciali lata generalem reuocat: imo nec generalem, aut specialem; nisi habeat clausulas derogatorias ad id necessarias; Præfata autem decisio particularis: sicut & cætere non habet aliquam clausulam reuocantem, quam doctores iudicant necessariam, etiam in Concilijs generalibus, & rescriptis Pontificum, dum aliquod priuilegium aut ius quæsitum reuocant, maximè si in iure communi insertum sit, aut tamquàm merces datum, vt est hoc priuilegium immediatè suam originem trahens ab exemptione iurisdictionis, potestatis, & superioritatis Episcopalis, cuius intuitu eadem iurisdictio, potestas, & superioritas collata fuit prælato regulari in suos subditos & Ecclesias suorum omnium monasteriorum.

Quòd autem possint Regulares processionem solemnem facere extra claustra infra Octauam Corporis Christi, vt ponit tertia nostræ propositionis pars, probatur ex concessione Gregorij XIII. quâ facultatem fecit omnibus Ordinibus, ac etiam Ecclesijs sæcularibus posse solemniter cum processione celebrare festum Sanctissimi Corporis Christi qualibet die infra Octauam eiusdem solemnitatis; reuocando priuilegium Pij V. Ordini Prædicatorum concessum, quo soli proximè dicto Ordini illud concedebatur, vt videre est in bulla eiusdem Gregorij inchoata, *cum interdum contingat.* Et quamuis post hæc Clemens VIII. bullâ quæ incipit, *Dudum fœlicis record. Pius.* sub data 8. Martij 1592. reuocauerit dictam bullam Gregorij, & hanc gratiam soli Ordini Prædicatorum fecerit; attamen idemmet Clemens postea anno 1597. die 20. Decembris, confirmando ex certa scientia priuilegia Minorum bullâ quę incipit, *Ratio Pastoralis*, confirmauit etiam hanc gratiam omnibus Ordinibus concessam: Quod etiam fecit Paulus V. quando dicta priuilegia Minorum confirmauit anno 1609. die 2. Nouembris, vt alibi diximus. Et licet nec illa, nec alia priuilegia aliorum Regularium, ex certa scientia, ab emanata antedicta bulla Clementis, essent confirmata; possent tamen vti illo priuilegio, sicut in genere de omnibus priuilegijs ostendimus in primo Tractatu de priuilegijs in communi: nisi quo ad hanc gratiam B. prędicta Vrba. VIII. habeat specialem clausulam derogatoriam, quod ad meam notitiam non venit; haud enim illam B. integram vidi quod autem illam clausulam non apposuerit, colligitur ex eadem B. in qua Pontifex affirmat se confirmare priuilegia non reuocata: proximè autem ostendimus, illud priuilegium quatenùs priuatiuum eiusdem gratiæ per respectum ad alios regulares, fuisse reuocatum. Adijce quod nequaquam credibile est Vrban. VIII. huic priuilegio omnibus regularibus communi acquisito voluisse derogare.

PROPOSITIO VII.

Episcopi, alijque Ordinarij, non possunt Regulari præcipere, vt censuras, & interdicta ab Apostolica Sede, vel sua propria auctoritate latas, Populo, aut Principibus denunciet.

Hæc veritas ex eisdem concessionibus, & principijs sequitur: nam si ab illorum iurisdictione, legibus, & præceptis exemptus est, vtique & ab hoc præcepto liber erit; qua libertate expressè donatus est à Sede Apostolica, cùm ab obligatione recipiendi commissiones, etiam à Sede Apostolica antedicta emanatas, liberetur, ex concessione Honorij III. facta Dominicanis verbis sequentibus, *Quieti vestræ providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt commissiones à Sede Apostolica, vel Legatis eius, seu quibuslibet alijs, vobis factas, nõ teneamini contra vestram recipere voluntatem.* Deinde nostræ propositionis veritas constat ex Mari magno singulorum Ordinum, & maximè ex illo Minorum, & Prædicatorum post Tridentinum confirmatorum. Accipe verba in illo Prædicatorum inserta, *Quod per Literas Apostolicæ sedis, aut Legatorum, seu Delegatorum ipsius, ad denunciationes Sententiarum interdicti, & Excommunicationem procedere, compelli aliquatenus non possitis, &c. Per Literas præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de huiusmodi Indulgentia mentio specialis*: & post aliqua verba sic prosequitur, *Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus, vel eorum Vicarij, vel Officiales ad portandum, seu deferendum Literas: vel exequendum, vel denunciandum Sententias contra Principes seculares, communitates, populos, seu quoscumque benefactores vestros, quemquam vestrum compellere valeant, sine prædictæ Sedis mandato, vel licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionem.* Atque modo eodem concessit Paulus III. Societati IESV, vt refertur in Compend. priuileg. eiusdem Societatis, verb. *Exemptio.*

Nec obijcias Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 12. decernere, quòd Regulares prædictas denunciationes præstare debeant, dum sic pronunciat, *Censuræ, & Interdicta, nedum à sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur.* Nam respondetur, illud decretum non habere clausulam derogatoriam priuilegiorum: ac propterea non ligare Regularem, vt potè priuilegio huic decreto contrario, gaudentem. Accedit quòd hoc priuilegium post Tridentinum à pluribus Pontificibus, qui confirmarunt motu proprio, & ex certa scientia priuilegia regularium, confirmatum est, vt alibi diximus. Et quamuis Pius V. in B. *Etsi Mendicantium* inchoata videatur supponere quòd regulares debeant illa publicare & seruare: attamen circa hæc nihil declarat: sed tantum suspendit illa in regularium fauorem in certis casibus: sicut ergo illi Pontifices & Doctores in vi suorum priuilegiorum eos excusant ab obseruatione censurarum & interdictorum, ita similiter ab eorumdem publicatione in vi dictorum priuilegiorum etiam excusare tenentur. Vbi autem Tridentinum non est receptum, nullam prorsus vim habet obiectio aduersus dictum priuilegium. Quod autem conclusum est de censurarum & interdictorum denunciatione, id etiam similiter intelligendum de ieiuniorum, & Festorum publicatione, ad quam faciendam Regularis nullatenus obligatur, nec obligari potest ab Ordinarijs.

PROPOSITIO VIII.

Regularis, Ordinis cuiuslibet Mendicantium, vbique sine licentia Episcopi, aut alterius Ordinarij mendicare potest: nec ab Episcopo, aut alio Ordinario vllatenus prohiberi potest: & si prohibeat, aut impediat, graues censuras, & pœnas incurrit.

Antiquum esse Quæstorum eleesymonarum vsum fidem faciunt cap. *Tuarum*, de Priuileg. & cap. *Cum ex eo*, de Pœnit. & Remiss. in quo vltimo describuntur qualita-

tes, quibus quæstores pollere debent, his verbis: *Modesti sint, & discreti: nec in tabernis, aut alijs locis incongruis hospitentur: nec inutiles faciant, aut sumptuosas expensas.* Quia verò facultate sibi concessa abutebantur, ideò ab Innocentio III. in Concil. generali Lugdunensi Decretum emanauit, vetans, ne fierent quæstus huiusmodi, nec quæstores ad illos faciendos sine Episcopi, vel Apostolicis Literis, quibus de eorum moribus, deque petitorij causa constaret, admitterentur: vt habetur proximè citato cap. *Cùm ex eo.*

Cùm autem abusus dictorum Quæstorum excresceret, in maximum Christiani Orbis scandalum; dum in prædicationibus multa de reliquijs & indulgentijs mendacia confingebant: Ideò in Concil. Viennensi, vt habetur Clementina 2. de Pœnit. Clemens V. præfato Innocentij Decreto inhærendo, adiunxit; quòd Literæ Apostolicæ ad eleemosynarum quæstus faciendos, Ordinariorum examini subderentur: Quæstoribus huiusmodi prædicationis officio penitùs interdicto, cum sola facultate simpliciter exprimendi illud, quod in Literis Apostolicis, aut Episcopi contineretur. Posteà tamen Tridentinum in principio sui cap. 2. sess. 5. de Reformat. contentum in Literis, prædicare, aut exprimere quæstoribus vetuit.

Quia verò huiusmodi remedia minimè profuerant: imò quæstorum huiusmodi malitia excrescente, ac per hoc data ansa hæreticis in Catholicam Ecclesiam debaccandi, idem Trident. in progressu cap 9. sess. 21. de Reformat. statuit, vt illorum quæstorum nomen, atque vsus penitùs aboleretur: neque ad huiusmodi officium exercendum vllatenùs admitterentur: nonobstantibus priuilegijs, &c. Verùm non solùm Ecclesia in illos animaduertit, sed etiam potestas sæcularis Regia: nam apud Lusitanos lib. 5. Ordinat. tit. 103. constitutum est, ne quæstores alicuius Sancti nomine petitoria facientes, permittantur, nisi Regiæ Literæ ostendantur: quòd si aliter factum sit, omnes pecunias ab illis quæsitas, quæstori Redemptionis Captiuorum tradendas præcipit. Simile apud Hispanos extat. l. 1. & 2. tit. 8. lib. 1. Ordinat. & apud Gallos idem Regij Senatus Decretis dispositum asserit Chopin. de Sacra Politia lib. 3. tit. 5. à nu. 23. Ex quibus colligere est, quàm odiosum sit Ecclesiæ, & potestati sæculari illud quæstorũ huiusmodi nomen, cùm sæpiùs in illud animaduertere coactæ fuerint. Illis autem quæstoribus omissis, de alijs quæstoribus ab eadem Ecclesia laudatis, & approbatis, videlicet Regularibus Mendicantibus, & aliis non Mendicantibus, qui egestate premuntur, nostra propositio enunciatur. Et probatur primo, ex lege naturali, quæ est prima morum & actionum humanorum magistra: ipsa enim concedit pauperi, vt per se, aut per alios ad sui sustentationẽ, & alias huiusmodi necessitates, eleemosynas procuret. Quis autem nesciat, Regularem verè esse pauperem per votum paupertatis quod emisit? Potest igitur, cùm eget, per se, aut per alios eleemosynas sibi comparare: ob id maximè, quòd illius nomen (Mendicantis scilicet) & institutum, mendicitatem illi indicit: nec in hoc opere vir Regularis verecundatur; cùm Christum, & Apostolos habeat in exemplum.

2. Probatur ex Pontificum concessionibus, quæ ferè innumeræ sunt; nam reperio in compendiis Priuileg. verb. *Eleemosyna*: Alexandrum, Vrbanum, Clementem, Eugenium & Sixtum nomine quartos: necnon Callistum III. Alexandrum VI. Bonifacium IX. Leonem X. & Pium V. & alios, hanc facultatem Regularibus, aut factam supposuisse aut fecisse, quarum omnium duas obiter, etsi non omnia illarum verba, refero: Primam Alexandri IV. quę refertur in Compend. Priuileg. Mendic. verb. *Eleemosyna*, §. 1. quâ ille Pontifex declarat, Fratres Prædicatores & Minores tam ab illis quibus prædicant; quàm ab alijs posse eleemosynas petere, & accipere: fideles que posse nonobstante quacumque contradictione eis eleemosynas salubriter elargiri; prædictamque mendicitatem esse meritoriam.

Secunda concessio quam refero, est Pij V. desumpta ex Bulla sæpiùs citata, *Etsi Mendicantium*, Accipe expressa verba, *Quòd verò de vsu quæstorum auferendo loquitur Trident. sess. 21. cap. 9 id ad Mendicantes Ordines nullo modo referri posse, vel debere, etiam decernimus: Quin potius cùm ex eleemosynis huiusmodi viuere cogantur, eis id facere licitum omnino esse declaramus.*

Ex quibus huius Pontificis verbis cernere est, 1. Regularem Ordinum Mendicantium non comprehendi vt diximus, sub prohibitione quæstorum facta Tridentino:

quod etiam existimant Nauarrus Consil. 33. de Pœnit. Volinus de Potestate Episcopi cap. 8. §. 4. nu. 6. Rodericus qq reg. tom. 2. q 57. art. 7. & Barbosa de Offic. & Potest. Episcop part. 3. allegat 109.

2. Regularem Ordinum Mendicantium cogi petere eleemosynas, videlicet ex voto paupertatis, quam profiterur: ex nomine Mendicantis, quo decoratur: ex instituto sui Ordinis: ac etiam deficientibus redditibus, aut oblatis eleemosynis.

3. Ex consequenti licitam esse huiusmodi mendicationem, ac etiã meritoriam, vt declarant prædicti Pius & Alexander: quam postea Nicolaus III. cap. *Exijt qui seminat*. & Clemens V. in generali Concil. Viennensi, Clement. *Exiui de Paradiso* de Verb. signif. meritoriam & sanctam declararunt post Honorium III. dum Regulam Minorum, & in ea contenta approbat, & declarat: in qua cap 6. habetur. *Fratres nihil sibi approprient: nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tanquam peregrini & aduenæ in hoc seculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos Fratres hæredes, & Reges Regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimauit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium, cui dilectissimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi, in perpetuum sub cælo habere velitis.* Hæc Franciscus: hæc Pontifices approbantes, & confirmantes: hæc Concilium generale Viennense declarant. Nec dicas, hanc mendicitatem laudatam & approbatam pro solo Ordine Sancti Francisci: nam approbata est in vniuersa Ecclesia pro iis, qui eam profitentur: vnde vt talis in Iure Canonico inserta reperitur, tanquam Regula & Canon ab illis omnibus habendus. Quocirca libellus aduersus hanc mendicitatem à Guillelmo de Sancto Amore editus, ab Alexandro IV. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ fuit prohibitus, Bulla quæ incipit, *Romanus Pontifex*, & illius auctor è Gallia proscriptus, Bulla inchoata, *Cum propter*. Hæc ergo mendicitas dissimilis omninò est ab illa Quæstorum, quæ per Tridentinum ab Ecclesia Dei rigorosè arcetur. Quibus sic existentibus concluditur, vbique Regularem posse mendicare sine Episcopi licentia: nam sine dubio nulla facultas Episcopi requiritur ad petendas eleemosynas illi, qui pauper ex voto est, cuique ex nuncupatione, & instituto à Sede Apostolica approbato, mendicitas præscribitur; quique ad hoc à dicta Sede facultatem habet, quæ gratiam independenter ab Episcopi licentia concedit, vt alibi diximus, & adhuc dicemus: alioquin priuilegium Pontificis nihil operaretur, cùm solius Episcopi licentiâ absque sedis Apostolicæ facultate, Regularis eleemosynas quærere possit.

Ex huius partis nostræ propositionis probatione cõcluditur secũda pars: quî enim fieri potest, vt Episcopus habeat facultatẽ prohibendi illud, quod Põtificis potestas declarat licitũ, meritoriũ, & ad quod faciendum facultatem concedit qualibet cõtradictione postposita? Qua ratione, à sacra Cõgregatione Cardinaliũ perpensa decretum infra scriptum præsidente Cardinali Vbaldino emanauit an. 1621. cuius authenticũ est in Conuentu Recollectorũ Burdigalæ: *Sacra Congregationis Cardinaliũ Concilij Tridentini interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per seipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus eleemosynas quærant: sed tantùm si extra loca vbi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere.* In quo tamen Decreto vides aliquã restrictionem huius facultatis (videlicet) quòd Regularis extra locum mendicãdo vbi habet Conuentum, licentiam suorum Superiorũ ostendere tenetur Ordinario (scilicet Episcopo aut Parocho) ne existimetur Apostata aut Vagabundus: non verò licentiã ab eodem, aut ab Episcopo postulare, vt expresè declaratũ fuit à Sacra Cõgregatione Cardinalium negotiis Episcoporũ & Regularium præpositorũ, in causa Venetiarum die 6. Octob. 1597. cuius Decretum refert Aldan. in compend. Canon. resol. l. 1. tit. 22. Imò extat Sacræ Congr. Cardinalium Decretum, quod in domibus Regularibus Dominicanorum, & Augustiniensiũ Burdigalæ annis proximè elapsis authenticum extabat, quo Regulari huiusmodi licentiam ab Episcopo, vel à Curato, postulare prohibetur. Et hoc ius ita Senatui Burdigalensi cognitũ fuit, vt anno 1644. Archiepiscopo Burdigalensi recusante mãdato solito ad dictas eleemo-

synas quæritandas, & impediente per Parochos, ne Regulares mendicarent, ijs ne imposterum illud tentarent sub pœnis strictè prohibuit, Quod similiter etiam fecit Anno 1651. die 20. Aprilis in causa Fratrum Minorum Recollectorum, his verbis: *Curia expressè inhibet, & prohibet Parocho Iuliaco, & omnibus alijs cuiuscumque conditionis, & qualitatis sint, sub quolibet prætextu turbare fratres Minores Recollectos in quæstu eleemosinarum faciendo, modo consueto in locis, in quibus hactenus de licentia suorum superiorum illum fecerunt sub pœnis expensorum, damnorum & interesse, & altera maiori pœna si opus sit, cum facultate faciendi informationes ad actus contrauenientes &c.*

Nec obstat placitum Secretioris Regis Consilij quo anno 1644. partibus auditis decisum fuit; *vt Regulares eiusdem Ciuitatis Burdigalensis extra vrbem quæritare volentes, tenerentur licentiam ab Archiepiscopo postulare; qua intra quindecim dies minimè concessa, possent liberè quæritare*: non obstat, inquam, quoniam dictum Consilium (lite Romam euocata, & remissa ibi iudicanda & terminanda) hoc interim medium ad concordiam inter dictos, Archiepiscopum & Regulares procurandam adinuenerit: non quòd per illud priuilegio quæritandi absque illius licentia derogare intenderit; Alioquin fecisset contra aliud placitum ab eodem tribunali emanatum de anno 1644. 17. Octobris in causa Episcopi Claramontani, quo determinatum fuit Fratres Minores posse quæritare Eleemosinas absque Episcopi licentia cum prohibitione sub pœnis eidem Episcopo, ne illos impediret.

Quibus omnibus vt suprà decisis, vltima nostræ propositionis pars probatur ex Pontificum Decretis: cùm enim Sixtus V. vt in præfato compend. priuileg. Mendic. § 7. refertur intellexisset quòd locorum Ordinarij, eorumque Officiales, seu Vicarij, & Curati, suaderent fidelibus, ne Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus eleemosynas erogare præsumerent: idque etiam sub censuris inhiberent: & erogantes excommunicatos esse prædicarent, seu prædicari facerent, aut pronunciare præsumerent: mandauit Ordinarijs, ac alijs præmemoratis personis, & cæteris quibuscumque vt ab huiusmodi persuasionibus, inhibitionibus, & mandatis de cætero prorsus abstinerent: ac inhibitiones ipsas, & mandata nullius existere firmitatis: & illis contrauenientes censuris huiusmodi minimè ligari declarauit: ac etiam voluit, quòd si persuadentes & inhibentes præfati, mandato huiusmodi obtemperare non curarent, nisi eos pœniteret, & persuasiones & inhibitiones reuocarent infra triduum, postquam desuper requisiti essent, eò ipso Ordinarij interdictum ingressus Ecclesię, ac suspensionem à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum; alij verò inferiores sententiam excommunicationis incurrerent. Idemmet Sixtus addidit in Mari magno Augustinensium, Inquisitores hæreticæ prauitatis aduersus tales posse procedere. Qui etiam in quadam concessione facta Carmelitis superaddidit: quòd contra Ordinarios, aut alios quoscumque prohibentes, ne Carmelitis eleemosynæ fierent, possent procedere præter Inquisitores, Rectores Ordinum Mendicantium, & Auditor Cameræ Apostolicę, vt dicto Compendio §. 8. habetur. Ex quibus sequitur, quòd si tot graues censurę, & pœnę ijs qui sæcularibus prohibent largitionē eleemosynarum viro Regulari faciendum imponātur; sine dubio etiā imponi impedientibus ne idē Regularis eleemosynas petat, & accipiat cùm hæc duo sint relatiua.

Verùm ne quid deficeret: impedientibus virum Regularem à quęstu eleemosynarum, nisi licentiam Episcopi, aut eius Vicarij generalis in scriptis haberet, graues censuras expressè imposuit Leo X. Bulla quæ incipit, *Exponi nobis*, cuius authenticum extat in Conuentu Recollectorum Burdegalæ. Cùm enim ipse accepisset, Regulares de Ordine Minorum in multis priuilegijs sibi à Sede Apostolica, & generalibus Concilijs concessis, grauari; & specialiter in mendicitate, vt verba sequentia in narratiua ipsius antedictæ bullæ inserta demonstrant, *Fratres verò quorum vitæ subsidio fidelium eleemosynis magna ex parte consulitur, eleemosynas huiusmodi petere non permittunt sine eorum licentia, & Diœcesanorum, & eorum Vicariorum literis.* Facta prius mentione constitutionum quorumdam Summorum Pontificum, & præcipuè prædictarum Sixti IV. censurarum, vniuersis Prælatis Ecclesiæ sic loquitur, *Quamobrem Nos vobis, & cuilibet vestrum, per præsentes districtè præcipiendo mandamus sub dictis censuris, vt vos ab eorum molestia, & omni inquietudine penitùs abstineatis.* Hæc Pontifex. Qui vlteriùs prosequendo, eisdem Prælatis præcipit, vt à simili molestia

cessare faciant Curatos, eorumque Vicarios: & inobedientes pœnas, & censuras in dicti Sixti inhibitione contentas incurrisse denuncient, adhibito etiam, ad id (si necesse foret) brachij Sæcularis auxilio. Et ne quid ad efficacem Apostolicæ potestatis dispositionem omitteret: eisdem Prælatis iniungit, vt reliquas personas tam Ecclesiasticas, quàm Seculares, cuiuscumque status, aut conditionis existerent, qui Rectoribus Ecclesiarum Parochialium in præmissis contra Fratres prædictos fauorem, auxilium, vel consilium præbere præsumerent, per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia monitione præmissa, districtiùs coercerent, de quibus multa Mare Mag. Carm.

Aduerte tamen, quoad Fratres Minores Gregorium IX. vt in Compendio priuileg. Mendic. verb. *Quæstuare*, refertur, præcepisse vniuersis Ecclesiarum Prælatis, quatenus, si quos quæstum pecuniarum facientes, de Ordine Minorum se esse dicentes, reperirent, illos caperent, & eosdem tanquam falsarios condemnarent; ne Religio prædictorum Fratrum per hoc infamari contingeret.

PROPOSITIO IX.

Regularis non tenetur præsentare Episcopo indulgentias antiquas, sed illas potest sine eius licentia publicare: nec ius, aut ratio apparet; cur illi nouæ huiusmodi Indulgentiæ vniuersaliter ad publicationem sint præsentandæ, si vsum hoc faciendi excludas.


Hæc propositio quoad primam partem probatur, nullum enim extat ius quo Regularis teneatur, indulgentias semel Episcopo præsentatas, iterum præsentare; imò contrarium ius manifestum existit ex decreto Cardinalium in cap. 9. sess. 21. Trident. cap. 9. ex relatione Barbosæ in versic. illius cap. *Indulgentias verò*, his præcisè terminis, *Per huius decreti posteriorem partem non possunt Ordinarij prohibere, quominùs Religiosi Indulgentias sibi olim à summo Pontifice concessas publicent, nullo etiam verbo tum eis facto.* Ac sic tenet Bonacina Iurium Episcopalium propugnator acerrimus, de Censuris extra Bullam Cœnæ disp. 2. q. 3. punct. 30. n. 9.

Quoad verò secundam partem, videlicet, quòd nouæ indulgentiæ Episcopo ad publicandum præsentari debeant, probat altera pars decreti præfatæ Congregationis, quæ explicando caput 9. præfatæ sessionis sic pronunciat, *Indulgentias sibi ipsi denuò concessas absque licentia Ordinarij publicare non possunt.* Verùm hoc decretum Tridentini sic interpretatum, nec aliud decretum cap. 5. sess. 22. quod in probationem affertur, de indulgentiis Regularibus concessis verbum habent: imò ex his duobus decretis, colligeres est à contrario: videlicet, licere Regulari indulgentias nouas absque tali licentia Ordinarii publicare; quod Rodericus præcisè asserit tom. 2. q. 98. art. 1. de Indulgentiis ad solos Regulares pertinentibus, & declarauit Leo X. B. *Solet sedes Apostolica*, in fauorem Minimorum edita. Accedit, quòd si illius cap. 9. Trident. prima pars quæ tangit quæstores ex declaratione Pij V, Mendicantes non comprehendit, vt in proximè præcedenti quæstione probatum est; nec secunda quæ est de indulgentiis non publicandis sine Ordinarii licentia, sed illa obligatio referenda est ad indulgentias illorum quæstorum à Tridentino prohibitorum, vt illud caput legenti fiet manifestum.

Fateor tamen, me alicubi legisse quod quidam Pontifex in aliquibus partibus Hispaniæ præsentandas Ordinario præceperit: fateor etiam vsum esse in Gallia receptum, quod nouæ indulgentiæ à summo Pontifice per Regulares impetratæ, Episcopo præsentantur ante publicationem, & quòd idem Pontifex in suis Literis indulgentias concedentibus, vt plurimùm solet apponere, quòd *De licentia Ordinarij publicentur*: qui vsus, & forma obseruanda est. Si tamen Pontifex hanc clausulam non apponeret, crediderim Regularem huiusmodi indulgentias absque ipsius licentia promulgare posse, nam gratia Pontificis absolutè concessa, non alligatur Ordinarii licentiæ vt supra in alia materia diximus.

Petes, num valeat indulgentia habens prædictam clausulam, *De licentia Ordinarij*, si non petatur licentia, vel illa petita, ab Episcopo denegetur. Respondetur, quòd vtroque modo valebit: primo modo, quia illa clausula pro obtinenda licentia non ita adhibetur, vt defectu ipsius non valeat indulgentia, si non exprimatur: sed adhibetur, vt publicetur licitè, aut saltem decenter. Secundo modo à fortiori valebit, quia vltra quòd eadem est ratio pro vtraque: licentia à iure petenda, si non conceedatur, censetur pro concessa: Atque vniuersa hæc doctrina confirmatur ex sententia, quæ habet, vt indulgentia valeat à die concessionis eiusdem à Pontifice, ac proinde ante publicationem, & quoad hoc sortitur naturam priuilegij: quod publicationem ad sui valorem non requirit: & confirmatur ex doctrina Chopini de sacra Politia tit. 6. asserentis ex sententia Senatus Parisiensis Episcopum à Papa factum, nondum tamen possessionem ingressum, posse vicarium constituere; sicque constitutum conferentem Beneficium valere collationem; ratio eius est, quia huiusmodi collatio est gratia, quam conferre potest, sicut & voluntariam iurisdictionem exercere, sine ingressu in possessionem, quæ possessio est veluti acceptatio à Diœcesi, cui Episcopus præficitur; Ergo similiter valebit hæc gratia à Pontifice concessa, nondum habito Episcopi consensu, & nondum facta, de illius consensu, publicatione.

Ex omnibus propositionibus in hoc capite examinatis, & probatis, manifestum existit, Episcopos, aliosque Ordinarios non posse visitare Regulares, & Moniales, illorumque Monasteria, domos & Ecclesias: nec etiam suis legibus, præceptis, & prohibitionibus illos sibi subiicere; suasque leges & præcepta nullius roboris aduersus illos existere; necnon ipsos Ordinarios leges, aut præcepta in dictos Regulares, & Moniales ferentes, graues censuras & pœnas incurrere. Quibus ita se habentibus, non mediocriter mirandum est, quòd plures Ordinarij (qui alioquin Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum ad processiones, & alia huiusmodi comitia, verbis hortatoriis, & deprecatoriis conuocant) nihilominus Regulares ad eadem mandatis compellunt: cùm hi præter quòd ab illis sunt exempti, adhuc tales sunt primariò, & principaliter, ac ab initio; illi autem velut ad instar eorumdem: vt verba exemptionis dictorum Canonicorum, posterioris exemptione Regularium, quæ eadem omnino sunt, euidenter demonstrant.



Digitized by Google



CAPVT IV.

DE EXEMPTIONIBVS REGVLARIVM A COACTIVA POTESTATE ORDINARII.



Vemadmodum multis modis potest subditus delinquere, sic potest Ordinarius illum diuersis modis potestate coactiua castigare: vel enim delinquit, aliquod crimen perpetrando, vel in ciuilibus. Si primo modo, potest illum coërcere Censuris, & pœnis spiritualibus, & illum eas incurrisse (si opus sit) denunciare; & aliquando pœnâ carceris, & similibus mulctare. Si secundo modo delinquat, potest etiam illum eisdem censuris, & pœnis, ad satisfaciendum cogere, & ex consequenti in his duabus causis processum formare: & ad coram se comparendum citare. Nunc examinandum est, si vir Regularis exemptus sit à dicta potestate, & ab eius prædictis, & alijs huiusmodi actibus.

PROPOSITIO I.

REgularis sic exemptus est ab Episcopi iurisdictione, vt si delinquat, tùm in suo Monasterio, tùm extra illud, coram Episcopo conueniri non possit.

Supponendum est primò, Innocentium IV. in Concil. Lugdunensi, vt habetur cap. *Volentes*, de Priuileg. in 6. statuisse, quòd Regularis ratione delicti, siue contractus, aut rei de qua contra ipsum agitur, posset coram Ordinarijs locorum conueniri: accipe verba, *Volentes libertatem quam nonnullis Apostolica Sedes priuilegio exemptionis indulsit, sic integram obseruare, vt & alij illam non infringant, & ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quòd quacumque sic exempti gaudeant libertate, nilominus tamen ratione delicti, siue contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, licitè possunt coram locorum Ordinarijs conueniri, & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere.* Sic Pontifex.

Supponendum 2. in dicto capite tria contineri, videlicet delictum, contractum, & rem ipsam litigiosam, de qua agitur: pro quibus in vi illius capitis Regularis coram Episcopo conueniri potest. His positis probatur propositio, primò, ex eodem Innocentio, Bulla quæ incipit, *Cùm olim duxerimus*, in qua dubitationi Fratrum Minorum, si prædicto decreto à se facto comprehenderentur, respondendo, sic fatur. *Vos dubitantes, vtrum per constitutionem huiusmodi, libertatibus, ac immunitatibus, vobis, & Ordini vestro per priuilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede concessas, præiudicari valeat, nobis humiliter supplicastis, vt prouidere super hoc indemnitati vestræ paternæ solli-*

sollicitudine curaremus. Quia verò eius[d]em Ordinis sacra Religio, sic nos ab omnibus, per quæ vobis possent prouenire dispendia, immunes libenti animo præseruare hortatur; authoritate vobis præsentium indulgemus, vt occasione constitutionis huiusmodi nullum eisdem libertatibus immunitatis imposterum præiudicium generetur. Nulli ergo, &c. Dat. Perusii 15. Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno decimo. Hæc Pontifex.

Ex quibus duo concludere est, 1. Per priuilegia fuisse antea exemptos ab illo onere compatendi coram Episcopo in prædictis casibus. 2. Præfatum cap. *Volentes*, nullum præiudicium afferre dictis priuilegijs. Eandem libertatem idem Pontifex fecit Ordini Cisterciensi bulla quæ incipit, *Cùm nuper*, pluresque alij Pontifex aliis Ordinibus illam fecerunt, vt ostendit tenor priuilegiorum eorumdem in Mari Magno cuiusque Ordinis contentus. Accipe impræsentiarum quod habetur in Mari Magno Fratrum Prædicatorum à Pio V. bulla sæpiùs repetita, *Etsi Mendicant.um*, cum cæteris aliorum Regularium priuilegijs generaliter, & postea ab Vrbano VIII. in specie bulla quæ incipit, *In plenitud.* confirmato. *Cæterum quia felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti gaudeant libertate, nilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua agitur contra ipsos ritè possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in illis iurisdictionem, prout ius exigit exercere. Nos vobis vt occasione constitutionis huiusmodi nulla libertatis & immunitatibus vobis & Ordini vestro, priuilegiis & Indulgentiis à Sede Apostolica concessis, vel imposterum concedendis, præiudicium generetur, auctoritate præsentium indulgemus: decernentes vos seu personas vestri Ordinis, in prædictis casibus Ordinariis ipsis minimè subiacere.* Hæc Pontifex.

Quibus omnibus Pontificum concessionibus apertè constat, præfatum Innocentij Decretum nulla vi pollere in Regulares: verùm quia absque solido fundamento obijci posset, quòd illæ concessiones sine vlla protsus restrictione Regularibus factæ, de exemptione ab Episcopi iurisdictione in delictis intra Claustra patratis, de rebus in Claustro existentibus, & contractibus in eisdem initis; non autem de eisdem extra Claustra patratis, existentibus, & initis intelligendę essent: ideò vt omnis cauillandi occasio protsus tollatur, duas alias concessiones impręsentiarum affero, id omnino continentes, primam in fauorem Minoritarum à Benedicto XI. emanatum in bulla quę incipit, *Inter cæteros*, verbis sequentibus, *Ita quòd, nec etiam ratione delicti commissi, vel initi contractus, aut rei sitæ, positæ, vel existentis extra loca vestra exempta positis coram eis (non obstante constitutione fel. rec. Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri edita in contrarium) impeti, molestari, seu quomodolibet conueniri. Decernentes vos, & Ordinem ipsum immediate eidem Sedi, ac soli tantummodò Romano Pontifici subiacere. Ecclesias insuper, oratoria, domos, ac loca quæ tenetis, & inhabitatis ad præsens, ac tenebitis, & habitabitis in futurum, dùm & quoties illa tenere, & inhabitare contigerit, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi subesse decernimus prælibatæ. Nulli ergo omninò hominum, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 4. Nonas Aprilis, Pontific. nostri anno primo.* Sic Pontifex. Qui ex certa scientia ac de plenitudine Apostolicæ potestatis concedit, & declarat exemptionem illam se extendere quoad rem, non solùm intra, sed etiam extra Claustra, & in loco exempto & non exempto existentem.

Secunda concessio est Martini V. per Bullam emanata in fauorem Dominicanorum, quæ habetur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Exemptio*, §. 15. verbis sequentibus, *Ita quòd Ordinarij & Prælatis huiusmodi, sine quæuis alia persona, generaliter, vel specialiter, aut communiter, vel diuisim, non possunt quauis authoritate, &c. Aut aliàs ratione delicti, seu contractus, vel rei, de qua agitur: vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem, seu iurisdictionem aliquam exercere.* His duabus concessionibus conforme est mare magnum Minimorum, vbi habetur, *Decernentes vos, seu personas vestri Ordinis, in prædictis casibus Ordinariis ipsis minimè subiacere.* Hæc Pontifex; qui exemptionem illam ab Episcopi iurisdictione expressè extendit in prædictis rebus extra claustra existentibus, contractibus extra illa initis, & delictis etiam extra claustra perpetratis.

Obijcies 1. Tridentinum contrarium decernere sess. 7. cap. 14. vbi habetur, *In exemptorum causis constitutio Innocentij IV. quæ incipit* Volentes, *in generali*

Concilio Lugdunensi edita seruetur: quam eadem Sacrosancta Synodus innouandam censuit, & innouat. Addendo insuper, quòd *in ciuilibus causis mercedum & miserabilium personarum, Clerici sæculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiam si certum Iudicem à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis verò si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam ab ipsa Sede delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum cogi, & compelli possint, Priuilegijs, exemptionibus, conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus, aduersus præmissa nequaquam valituris.*

Respondetur, in locis in quibus Trident. non est receptum, obiectionem minimè procedere; vbi autem receptum est, non afficere Regularem gaudentem præfatis concessionibus, & intra claustra degentem, vt sæpiùs sacra Congregatio Cardinalium declarauit; nec etiam illum qui extra claustra degit, teste Marcellino à S. Benedicto in Comp. priuil. Fuliensium, verbo *Conueniri*, cuius Congregationis declarationes inferiùs afferemus. Ratio est, quia illud decretum non habet clausulam reuocatoriam necessariam ad reuocationem priuilegiorum, vt diximus in Tractatu de Priuil. in communi. Quod autem hæc responsio sit pertinens, probatur quoad præcipuam partem, videlicet quod Regularis exemptus sit ratione delicti ab Episcopi iurisdictione: quoniam non est vllatenus credibile, decretum Tridentini posterius abrogare prius, decretum: hoc autem faceret, si supra positum decretum afficeret huiusmodi Regularem. Minor probatur ex Trident. sess. 25. de Regular. cap. 14. vbi sic loquitur, *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit: Episcopo instante à suo Superiore, officio priuetur.*

Quibus verbis videre est, Regularem, intra & extra claustra delinquentem, non esse quoad cognitionem delicti iurisdictioni Episcopi subditum: cùm Tridentini verba illum ad suum superiorem remittant, ac ex consequenti decretum præcitatum sess. 7. cap. 14. Tridentini non afficere Regularem, vt suprà exemptum, alioquin hoc posterius, prius decretum destrueret.

Non tamen per hæc dicta intendimus probare, quòd hoc posterius afficiat Regularem, vt suprà exemptum, cùm clausulâ derogatoriâ requisitâ careat: nam manifestè constat, illum non afficere ex declaratione illius dereti facta per Pium V. bulla sæpius citata, quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, §. 26. vbi habentur hæc verba quæ vtrumque probant, videlicet prius & posterius decretũ Tridentini præmemoratum Regularem non afficere, *Quoniam verò ex nimia Episcoporum sibi irrogata auctoritate ipsi personas Regulares suæ iurisdictioni subijcere omnino student; ac decreto Concilij præfati sess. 25. cap. 14. edito, quo cauetur, quòd si Regularis intra claustra existens, & extra ea ita notoriè deliquerit t populo scandalosus sit, termino ab Episcopo præfigendo à suo Superiore omnino puniatur: sin minùs ab Ordinario delinquens puniri possit, confisi, varijs, indebitisque grauaminibus Regulares afficiunt, Ordinarios præfatos aliquid contra Regulares in claustris degentes huiusmodi, quouis prætextu, occasione, vel causa innouare non posse, vel debere: nec aliquos processus contra ipsas personas Regulares formare, aut facere posse volumus: nisi propter manifestum scandalum, & suorum Ordinum superioribus priùs consultis, & negligentibus: alioquin omnia, & singula contra præmissa facta, & gesta, ac facienda in futurum, pro nullis, & infectis habeantur.*

Quid clarius hac declaratione, quę manifestè ostendit, Regularem vt supra exemptum, non affici præfato decreto: quod antea etiam vniuersaliter §. 8. eiusdem bullæ, idemmet Pontifex pronunciauerat, & §. 10. 11. & 12. ostenderat, ad quem spectet huiusmodi iudicia facere, his verbis, *Nec etiam se intromittant* (videlicet Ordinarij) *vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum, tam Fratrum, quàm Monialium huiusmodi, & eorum Generalibus, ac Ministris, seu Prouincialibus, vel aliis eorum, aut earum respectiuè Superioribus, etiã ratione cõputa faciendi, cũ Syndicis Conuentuũ huiusmodi omnino relinquantur; nec vllomodo in præmissis, & alijs, Fratres & Moniales huiusmodi tangentibus Ordinarii, prædicti per se, vel alios se intromittant. Fratres quoque, si contigerit eos ad huiusmodi Ordinarios recursũ habere; à præfatis Generalibus, Ministris, seu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & alijs suis Superioribus castigari, & puniri posse, & debere,*

neque ipsos Ordinarios præfatos Superioribus Ordinum huiusmodi vllatenus inhibere; qui imò præfatos superiores processus contra Fratres suos, & Moniales huiusmodi, quando opus fuerit, et ea delictorum inquisitionem, aut castigationem, facere posse decernimus: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Hæc Pontifex;

Quibus luce clarius constat, huiusmodi correctiones, & delictorum cognitionem, non spectare ad Episcopum, sed ad præfatum Regularem; & hoc conformiter ad ius commune cap. *Graue gerimus* de Offic. Ordinarij in quo Pontifex Episcopum corrigit, eo quod quasdam sententias etiam in vi suarum literarum aduersus quosdam regulares tulerat, etiamsi eorumdem Abbas paratus esset illos corrigere. Quanta autem obseruantia, Pius præfatus Pontifex, has suas declarationes & constitutiones, in Ecclesia Dei haberi voluerit, demonstrant clausulæ nonobstantiæ illius bullæ, tenoris sequentis. *Ac insuper, vt faciliùs præmissa omnia illibata persistant, omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores, & gratias quæ decretis Concilij Tridentini, aliàs, quàm vt superiùs est dictum, concessum, & declaratum, non contrariantur, expressè eisdem Fratribus, necnon Monialibus quibuscumque, & Sororibus Tertij Ordinis prædictorum ordinum respectiue Ordinibus, ac illorum Ecclesijs, domibus & personis: etiam viuæ vocis oraculo in genere vel in specie, tam per recor. mem. Eugenium IV. Sixtum IV. Leonem X. Paulum III. ac, dictum Paulum IV. & Pium etiam IV. quàm alios quoscumque Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, ac nos, & sedem eamdem quomodolibet concessa, confirmata, & innouata: necnon nostras, & prædecessorum, ac alias quascumque desuper confectas literas, quarum omnium tenorum, ac eorumdem prædecessorum nostrorum nomina, & alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus; illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus; eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere: ac Fratribus Superioribus, & personis Ordinum huiusmodi, nec non alijs quibuscumque quos illa concernunt, suffragari debere seu posse volumus.*

Ex quibus videre est, quod Pontifex volens, vt omnia quæ in dicta Bulla continentur, illibata persistant; ex consequenti omnia priuilegia, & cætera eorumdem Regularium confirmat, dummodò non contrarientur Decretis Tridentini, quæ vult vt obseruentur, eo modo quo in dicta bulla *dictum, concessum, & declaratum est:* quæ tria verba apponuntur, vt ostendatur differentia inter ea, quæ in eadem exprimuntur; quædam enim sunt constitutiones, seu concessiones; alia sunt declarationes, alia denique Priuilegiorum confirmationes, quæ omnia vult illibata & firma existere, & in reliquis Trid. decreta seruari.

Obiicies secundo, Clement VIII. Bulla quæ incipit, *Suscepti muneris*, decernere sub grauissimis pœnis, vt à Superioribus Regularibus dictum Decretum Trident. cap. 15. sess. 25. obseruetur. Nam respondetur, hunc Pontificem non aliter declarare illud Decretum, quàm Pius V. declarauerit, vt tenet Flauius Cherubinus in dictam Bullam; sed illud supposuisse, prout est in dicto Tridentino, illudque præcepisse obseruandum. Quod autem illud præceptum non obstet præmissis, constat ex eo quòd declaratio illius capitis, à Decreto declarato non differt: ac propterea stante illo Decreto, stare ipsius declarationem. Cúmque illud præceptum Clementis non abroget decretum, nec declarationem illius abrogat; ergo ex præcedentibus constat, delinquentem Regularem vt suprà exemptum, siue intra claustra, siue extra deliquerit, non posse coram Episcopo conueniri; & ita tenent Sorbus. verb. *Inquisitores*, Villalobos in Summa to. 2. tract. 35. diffic. 5. nu. 5. & Diana tract. 2. de Dub. Regul. resolut. 132. ac sic etiam declarauit Congregatio Cardinalium Trident. interpretum, ex relatione Bellarmini. qui post Clementem VIII. scripsit in suis obseruationibus in illud caput, qui eiusdem est sententiæ: ac alij, præcipuè Marcellinus à Sancto Benedicto in Compend. Priuileg. Fuliensium verb. *Correctio*, §. 8. in Scholio, vbi vniuersaliter asserit, quòd Regularis ex priuilegijs conueniri debet castigandus coram suo superiore in omnibus criminibus ab ipso patratis [solo hæresis crimine excepto, de quo infra.] Cui sententiæ subscribunt Secretioris Consilij, & supremorum Senatuum decreta.

Ex quibus omnibus ſequitur Regularem inſeruientem Parochiis, ſeu Prioratibus Epiſcopo ſubiectis, qui per caput *Volentes*, Epiſcopi correctioni ſubiecti ſunt, non ſubeſſe Epiſcopi iuriſdictioni, nec poſſe coram illo conueniri, ſi delinquat, quoniam priuilegia generalia ſunt: videlicet in quocumque loco committatur delictum, quæ omnem locum comprehendunt: ac ex conſequenti exemptum, & non exemptum. Item prohibetur in præfatis priuilegiis, ne Epiſcopus in gubernatione, & correctionibus Regularium vllo pacto, occaſione, vel cauſa ſe intromittat; ſed illos remittat ad ſuos ſuperiores Regulares: quæ verba generalia ſunt, omneſque correctiones comprehendunt, & ius illa faciendi ab Epiſcopo excludunt. Accedit, quòd Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum id etiam declarauit expreſsè, vt refert Farinacius deciſione 276. Inſuper hæc propoſitio intelligenda eſt, etiamſi Regularis delinquens abutatur priuilegio exemptionis, vt in Tractatu 1. probauimus, & conſtat ex cap. *Frater noſter*, 16. q. 1. ac ex cap. *Sicut vobis*, de Supplen. neglig. & ex Ioanne Lomede de Exempt. cap. 8. qui arbitratur, exemptionem ſemper comitari perſonam, quam propterea ambulatoriam appellare poſſimus.

Hic autem notabis, amice Lector, ita eſſe exemptum Regularem ab Ordinarij iuriſdictione, ratione delicti, &c. vt ſi ab illo huiuſmodi exemptione moleſtetur, ipſe Ordinarius incurrat excommunicationem, & factum ab ipſo eſt irritum ex conceſſionibus plurimorum Pontificum, & præcipuè Pauli V. in fauorem Congregationis Fulienſium, vt habetur in Compend. priuileg. eiuſdem Congreg. verb. *Exemptio* §. 3. his terminis, *Quòd ſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, Vicarij, Iudices, Officiales &c. etiam ratione delicti, vel contractus, aut de re qua ageretur, prædictas perſonas exemptas, videlicet perſonas vtriuſque ſexus illius Congregationis: necnon eorum vaſſallos, & ſeruitores ſaculares in Monaſteriis ſeruientes moleſtare, vel in aliquo perturbare præſumpſerint, ipſo facto excommunicantur, nec poſſunt abſolui, niſi à Romano Pontifice, & in articulo mortis; & quidquid attentatum fuerit, irritum, & inane declaratur.* Sic Pontifex.

PROPOSITIO IX.

Regularis hæreticus non poteſt conueniri coram Epiſcopo.

Hæc propoſitio ſequitur ex præcedentibus: nam ſi vniuerſaliter Regularis ab Epiſcopi iuriſdictione exemptus eſt, & quòd coram ipſo in quocumque delicto conueniri non poſſit, & quòd Superiores regulares in omnibus correctionibus & delictis ſubditorum ſint veri Iudices, & quòd ſubditus Regularis non poſſit prouocare pro quocumque delicto coram Epiſcopo, ſub pœnis incurrendis, & ſub nullitate actorum, ſi Epiſcopus procedat; ſine dubio pro crimine hæreſeos, cùm ſit delictum, coram illo conueniri non poteſt.

Accedit, quòd conueniri non poteſt de hoc crimine coram Inquiſitoribus, qui maiori ſuper hoc crimine pollent auctoritate, imò ad eos omnis illa delata eſt; ergo nec coram Epiſcopo: quòd autem coram illis conueniri non poſſit, probatur ex conceſſionibus factis Carmelitanis per Sixtum IV. & Minoritis per Innocentium VIII. confirmatis à Leone X. Bulla quæ incipit, *Exponi nobis nuper fecerunt*, quæque authentica in Conuentu Salmanticenſi ſeruatur, verbis ſequentibus; *Inquiſitoribus præfatis Apoſtolica, vel quauis alia auctoritate, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis, etiam conſiſtorialiter, in quibuſuis partibus Mundi, ſub Sententia excommunicationis, priuatione omnium, & ſingulorum Beneficiorum, & Officiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent: ac inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, & aliis pœnis in Literis Clementis, Sixti, & Innocentij prædictorum contentis, quas pro expreſsis haberi; & contra facientes eo ipſo incurrere, volumus, præcipimus, & mandamus, ne de cætero contra dictos, & quoſcumque prædicti Ordinis Fratres ſuper cauſis prædictis, nec ſuper quibuſuis aliis ad Inquiſitorum officium pertinentibus, ſe intromittere, teſtes examinare, & alios proceſſus agitare impoſterum præſumant: ſed ſi forte ad aliqua de prædictis ſe intromiſerunt, aliquos Fratres capiendo, teſtes examinando, aut ſcripturas recipiendo, Fratres ipſos perſonaliter ad dicta teſtium ſiue principaliter, ſiue acceſſorie, vel indeſinenter examinatorum, ac quoſcum-*

Digitized by Google

que processus habitos, & scripturas prædictas super causis huiusmodi quomodolibet concernentibus Ministris, & Vicariis Prouincialibus, alijsque prædictorum Fratrum Minorum Prælatis, seu Superioribus, in locis in quibus præfatos Inquisitores residere contigerit, nullis apud se retentis copijs, aut transumptis, vel notis, intra sex dierum spatium, postquam præsentium notitiam quomodolibet habuerint, realiter & cum effectu restituant: vt Fratres delinquentes, si qui forte fuerint, iuxta excessum, & delictorum exigentiam, per Prælatos, & alios Superiores dicti Ordinis, secundum formam Literarum prædictorum prædecessorum castigari debeant. Hæc Pontifex.

Quibus verbis apertè constat, Pontificem eximere Regularem à iurisdictione coactiua Inquisitorum, nollcque in crimine hæreseos, & similibus, Regularem coram illis in iudicio comparare, sed coram suis Superioribus: & excommunicationis latæ sententiæ pœna, alijsque pœnis dictos Inquisitores, si de illo crimine cognouerint, ferire; ac eisdem Inquisitoribus præcipere, vt Prælato Regularis hæretici originales processus, si desuper confecti fuerint, nulla prorsus retenta copia, infra sex dierum spatium consignent. Nec mirum est præfatos Pontifices quoad punitionem huius criminis exemisse Minoritas à iurisdictione Inquisitorum; cum ipsi probe scirent caput, *ad abolendam*, de hæreticis illos non comprehendere: quod optime norat D. Franciscus 1. cum nonobstante constitutione illius capitis edita à Lucio III. voluit in suo testamento, vt fratres sui Ordinis labe hæresis infecti ducerentur puniendi ad Ordinis illius Cardinalem protectorem, quod stante dicta constitutione facere minimè poterat; cum ea Episcopum ad punitionem illius criminis committat. 2. cum in Regula fratrum tertij Ordinis inter sæcularium præcipiat hæreticos fratres eiusdem ordinis, ad inquisitores, non verò ad Episcopos mitti. 3. cum in Regula Minorum decernat in omnibus criminibus commissis à suis prælatis constari debere, sicut & ab eisdem absolui.

Nec obstat 1. quòd plures Pontifices omnes Regulares Inquisitoribus supposuerunt, vt Alexander IV. rescripto quodam incipiente, *Ne commissa nobis*, Clemens VII. bulla quæ incipit, *Cùm sicut*, & Pius IV. bulla inchoante, *Pastoris æterni*. Et Paulus V. B. *Romanus Pontifex*. Respondetur 1. huiusmodi constitutiones, excepta illa Pauli V. hanc clausulam continere, videlicet, *Dummodo à suis Superioribus non fuerint præuenti*, in quo casu Inquisitores nihil possunt in Regularem. Respondetur 2. has vltimas Pontificum, etiam Pauli V. constitutiones reuocatas esse per confirmationem priuilegiorum Regularium ex certa scientia, tam per bullam *Etsi Mendicantium*, quæ priuilegia à Sixto IV. & Leone X. concessa expresse confirmat, vt ex verbis ipsis superius positis videre est; quàm per alias bullas particulares, præcipuè Gregorij XIII. Clementis VIII. & Pauli IV. & per Paulum V. B. *iniuncti nobis* de anno 1609. vt in Tractatu de Priuileg. in comm. dictum est, & alibi dicetur. Atque hæc sententia de exemptione in crimine hæresis confirmatur, 1. ex cap. *Cùm Matheus*, extra quo constat, Papam monitum, quòd Inquisitor contra Capellanum suum exemptum processum formauerat, illudque indignè ferentem Inquisitoribus, Episcopis de hoc crimine contra Apostolicæ sedis Officiales, & Nuncios, cognitionem in posterum prohibere. Causa autem illius prohibitionis esse colligitur, Sedi Apostolicæ subiectio, & exemptio, vt patet ex his verbis in dicto capite insertis, *Nostra, & Apostolicæ sedis reuerentia, & honore postpositis:* Ergo cùm Regularis sit immediatè subiectus Papæ, ac ab Episcopi, & Inquisitorum iurisdictione exemptus, erit vtique etiam in hoc casu exemptus: & propter reuerentiam, & honorem debitum Papæ, cuius omninò est Regularis, non possunt contra illum procedere.

Confirmatur 2. ex sententia Cardinalis Bellarmini super cap. 14. sess. 25. in declarationibus à se compilatis existimantis exemptum esse Regularem hæreticum ab Inquisitoribus; vbi etiam ponit, *quòd posito, quòd Regularis posset conueniri coram illis, attamen Inquisitores contra illum procedere absque licentia Superiorum eiusdem nullatenus deberent.* Ergo cùm Regularis sit ab Inquisitorum iurisdictione exemptus, à fortiori exemptus est à iurisdictione Episcopi, cùm tota facultas cognoscendi de crimine hæresis, & alijs similibus sit iam concessa Inquisitoribus in locis in quibus viget Inquisitio. Non obstat 2. decretum quod ab Vrban. VIII. die 17. Nouemb. 1628. emanatum asseritur; nam hoc decretum est Congregationis Regularium, ad quod aptè respondetur in tract. de confessar. cap. 3. prop. 2.

Non obstat 3. ex eo concludi, quòd Regularis prædicans errores, aut disseminans scandala, non possit, coram Episcopo conueniri, quod est contra Tridentini decretum sess. 5. cap. 2. Nam quidquid sit de obligatione illius decreti, de qua alibi agemus, Pius V. bulla præfata, *Etsi Mendicantium*, non vult Tridentini decreta obligare Regularem, nisi iuxta illa, quæ in præfata bulla, *dicta, concessa, & declarata sunt*; constat autem ex superioribus illius bullę verbis Regularem declaratum esse plenè exemptum ab Episcopi iurisdictione, & prædictam bullam Leonis X. quæ Regularem ab Inquisitoribus eximit, eadem bulla confirmatam existere.

Ex dictis in hac propositione, & in alijs præcedentibus concluditur, Regularem extra Monasterium sine licentia, aut cum licentia superioris degentem, non posse coram Episcopo conueniri, si delinquat, licet Tridentinum aliud videatur decernere, quoad illum, qui sine licentia superioris sic degit, sess. 6, cap. 3. his verbis. *Nemo Secularis Clericus cuiusuis personalis vel Regularis extra Monasterium degens, etiamsi ui Ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato secundum Canonicas Sanctiones visitari, corrigi, & puniri valeat*, quoniam, vt notat Nauarrus, est valdè obscurum, nec facile intellectu, ac proinde clarum & manifestum Priuilegium abrogare minimè potest, cùm ex obscuris ius certum non tollatur; & licet non esset obscurum, attamen nihil facit contra Regularem. Quia nihil operatur contra Regularem Ordinis Militaris, cum quo Regularis, præcipue Ordinis Mendicantium in priuilegijs participat, vt tenet Barbosa cum alijs Doctoribus in illud caput. 2. Hoc decretum cap. citatum *Cùm Mathæus* non abrogat, ac propterea Capellani, & alij Papæ Officiales delinquentes, illo nonobstante conueniri non possunt coram Ordinarijs: vt tenet idem citatus Barbosa, & Cenedus in Clement. & Extrauagant. collect. 14. nu. 3. cum sequent. Ergo nec Regularis: cùm eiusdem exemptionis beneficio potiatur. 3. Quia cùm in hoc decreto tribuitur Ordinarijs Prælatis Iurisdictio corrigendi excessus subditorum concessa est etiam Prælatis Regularium, qui etiam sunt Ordinarij, priuatiuè ad Ordinarium Diœcesis, eademmet facultas, vt tenent citatus Barbosa, Menochius de Præsumptione lib. 2. quæst. 18 num. 22. & Cenedus ad Decretal, Collect. 87 num. 4, vers. 2. Quartò, quoniam hoc decretum non reuocat Regularium priuilegia, sed prætextum priuilegiorum: prętextus autem priuilegij, vt in tract. 1. ostendimus, non est priuilegium, & licet reuocaret priuilegia, forma reuocandi non est sufficiens ad priuilegium, & licet reuocaret priuilegia, forma reuocandi non est sufficiens ad priuilegiorum Regularium reuocationem, vt cernere est.

Colligitur 2. nec Regularem Parochum, aut Vicarium in Ecclesia exempta, aut non exempta delinquentem, esse sub coactiua aut correctiua potestate Episcopi: (nisi sit à Papa de consensu Prælati sui in perpetuum dispensatus ad illud munus, quia tunc amisit exemptionis priuilegium, & transiit in ius Episcopi) ratio est quoniam illius persona absolutè exempta est, vbicumque existat, aliter illius priuilegium esset inutile, quod esse non debet, vt habetur in cap. *Si Papa*, de Priuileg. in 6. & ita tenet Ioannes Lomede de Exempt. cap. 6. qui in confirmationem huius veritatis refert duo Placita, vnum de anno 1586. die verò 19. Decembris in curia Iuuaminum, & alterum de anno 1583. die autem Augusti 11. supremo Senatu Parisiensi emanatum: & tertium nouissimè, vt certò asseritur, in causa Ecclesiæ Nouionensis exemptæ. Hanc tamen sequelam intelligo modo eodem, quo supra & in propos. 3. cap. 3. huius tractat. intelleximus: si enim regularis sit dispensatus à Papa de consensu sui Prælati ad possidendum beneficium curatum, poterit tunc ab Episcopo castigari; Quia sic non est ampliùs exemptus.

Quod verò de illo Regulari est dictum, similiter asserendum est, iuxta priuilegia in superioribus propositionibus expressa, de Presbytero sæculari Parochum, aut Vicarium in Ecclesia Regulari exempta agente. Verùm aliter in ordinationibus Regijs regni Galliæ habetur; nam talis presbyter Parochus, aut Vicarius, quoad administrationem Sacramentorum ab Episcopi iurisdictione non eximitur in reliquis exemptione confirmata: quæ ordinatio, vt opinor, fundatur in cap. *Per exemptionem*, de Priuileg. in 6. vt tenet Ioannes Lomede de Exemptt. cap. 6. Siautem hæc ordinatio regia sit in viridi obseruantia, nescio; vnum tamen de pietate & probitate Regum Galliæ mihi persuadeo, quòd priuilegium huic ordinationi

Digitized by Google

contrarium in Mari magno Dominicanorum, & Augustiniensium expressè concessum ad illorum notitiam non peruenerat, eo tempore quo ordinatio emanauit, alioquin si cognitum habuissent, huiusmodi ordinationi non subscripsissent.

Sequitur 3. quòd si Regularis prædicet sine licentia Episcopi, aut ipso contradicente, quam licentiam vult Tridentinum sess. 25. cap. 2. de Reformat. non possit conueniri coram Episcopo, vt fusiùs ostendetur in tractatu de prædicat. sed coram suo superiore: quod etiam in specie declarauit sacra Congregatio, testibus Barbosa allegat. 76 num. 24. Quaranta verb. *Priuileg. Regul.* Campan. decis. 13. num. 10. Praxis Episcop. Piasec. in Praxi part. 2. cap. 3. num. 41. Tambur. de Iure Abbat. tom. 2. dup. 11. q. 4. num. 3. Zerola verb. *Excommunic. causa. Matth.* §. 3. Hieron. Roder. in Compend. Regul. verb. *Prædicatores.* num. 31. Flauius Cherub. in Compend. Bull. tomo 2. super Bullam 41. quorum aliqui illam declarationem afferunt. Idem iudicium de cæteris delictis ex præcedentibus ferre liceat.

Petes, quid fiet si alicuius Ordinis Generalis de hæresi suspectus sit? Respondetur, ex Pegna in director. Inquisit. part, 3. comment. 77. in fine, & ex Laert. Cherubino tom. 3. constit. 26. Pauli V. quòd vbi viget Inquisitores non debent de facili procedere, sed rem Generalibus Inquisitoribus renunciare, qui causâ cognitâ optimè decernent, quid facto opus sit. Vbi autem non viget Inquisitio, crediderim potestatem Episcopi redintegrari, ac proinde posse contra illum, cùm Superiorem non habeat, procedere; ratio est quia exemptio non est concessa in præiudicium fidei & Ecclesiæ; esset autem talis, si hæreticus huiusmodi incastigatus maneret, quod tantum existimo verum in illis Ordinibus, in quibus non est statutum, quod constituat iudices ad castigandum Prælatum Generalem hæreticum; secùs in aliis, in quibus illud non reperitur factum.

Fateor attamen hanc doctrinam quoad absolutionem ab hæresi, & quoad castigationem Regularium hæreticorum esse praxi Italiæ & Hispaniæ contrariam, in quibus locis soli Inquisitores de hoc crimine absoluunt, & iudicant; quocirca in illis partibus standum est praxi, quam in iure nondum mihi noto fundatam existimo.

PROPOSITIO III.

Regularis in causis ciuilibus non potest coram Episcopo conueniri.

Causæ ciuiles in duobus præcipuè consistunt, videlicet in rebus, & contractibus: superiùs autem cùm de exemptione ab Episcopi Iurisdictione ageretur, ostensum est, ex priuilegiis Regularem simul etiam esse exemptum in dictis rebus & contractibus ad effectum, vt coram illo conueniri possit. Ac 1. hoc manifestum est, si Regularis intra claustra degat, quod specialiter probatur, tum ex Decreto Card. relato à Laurentio de Peyrinis de Priuileg. Regul. ad Constit. Sixti IV. § 11. nu. 30. tum ex decretis eiusdem Congregationis insertis in priuilegijs impressis Congregationis Fuliensium pag. 205. ac sequentibus, quę etiam reperiuntur in Compend. Priuileg. eiusdem Congregat. verb. *Conueniri in iudicio*, his terminis, *Sacra Congregatio censuit, Regulares intra Claustra degentes coram Ordinariis locorum conueniri non posse in causis ciuilibus cap. Volentes, de Priuilegiis in 6. comprehensis; licet illa constitutio fuerit innouata à Concil. Trident. sess. 7. cap. 14. quia non comprehendit Regulares intra Claustra commorantes. Pariter censuit eadem Congregatio, Regulares intra Claustra degentes non posse in prima instantia coram ijsdem locorum Ordinarijs conueniri, ex Decreto eiusdem Concil. Trident. sess. 24. cap. 20. de Reformat. quia illud Decretum non comprehendit Regulares intra Claustra viuentes; ideoque iuxtà priuilegia sua conueniendos esse coram locorum Ordinariis, quicumque illi sint, aut alibi:* Quæ omnia fuerunt à Paulo V. declarata, & confirmata per Breue sub datum Romæ apud Sanctam Mariam, die 24. Augusti 1607. Pont. sui ann. 3. constit. quę incipit *Regularium*, in qua *præcipitur Ordinariis in virtute Obedientiæ, ne Regulares contra prædictas declarationes perturbare, vel inquietare audeant, vel præsumant,*

irritumque & inane decernitur, quidquid secus contra prædicta à quoquam quauis auctoritatem contigerit attentari. Atque hæc Bulla reperitur in citatis Priuileg. Fulienfium: ac sic refert Laertius Cherub. in Bullar. tom. 2. & Flauius ipsius filius ad bullas Pauli, & Barbosa in Collect. verb. *Regularis*, collect. 633. qui omnes eius sunt sententiæ.

2. Si Regularis extra claustra degat, etiam vera est propositio: nam præmemorata priuilegia, vt potè absoluta, extenduntur etiam extra claustra, vt superiùs ostensum est: atque hæc veritas absque fundamento non affirmatur: nam Regularis quasi seruus, aut filius familias, sub potestate sui superioris subest, tum etiam quia proprium nihil habet, & quasi mortuus sæculo reputatur, cap. *Nullam*, & cap. *Non dicatis*, 11. q. 1. ac sic tenent Petrus de Valdis, Couarruuias, & Menchauca, à Roderico tom. 2. q. 1. art. 5. allegati: & ita Regularem nec ciuiliter agere: nec conueniri posse resoluit quædam Glossa à citato Roderico allata.

Superest tamen difficultas non parua, videlicet quid fiet de Regulari longe à suo Monasterio, & superiore distante, coram quo nisi difficillimè, & cum creditorum maximo incommodo conueniri non potest: Respondetur, quòd in tali casa, & in huiusmodi causis Ciuilibus, fortè coram Episcopo conueniri potest, sicut etiam Abbas & Monasterium, si longe distet illorum superior, iuxta ius commune cap. *Ad Monasteria*, & cap. *Abbates*, 18. q. 2 potest coram eodem conueniri: ratio illius responsionis est, quia priuilegia non censentur concedi cum tanto sæcularium & aliorum nocumento. Hodie tamen in Gallia consuetudo, & vsus non est, vt pro ciuilibus conueniatur Regularis, vel Abbas, vel Monasterium coram Episcopo, sed coram sæculari Iudice: vide citatum Rodericum.

PROPOSITIO IV.

REgularis sic exemptus est à coactiua potestate Episcopi, alteriusue Ordinarij, in casibus in quibus non est eidem subiectus, vt in illis Regularem excommunicare, aut suspendere, aut interdicere nullatenus possit: alioquin censuræ sic latæ nullæ sunt.

Hæc veritas quoad primam partem probatur primò ex Mari magno Minorum quod incipit *Regimini*, cuius authenticum extat in conuentu Recollectorum Burdigalæ, in quo hæc verba habentur §. 44 *Districtius inhibemus, ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione, aut auctoritate in personas prædicti Ordinis Fratrum Minorum, vt potè prorsus exemptas, aliquas excommunicationis, & interdicti Sententias generaliter, & specialiter quomodolibet audeat promulgare.* Eadem concessione potiuntur alij Regulares, vt videre est in eorumdem Mari magno, præcipuè Fratrum Ordini, Prædicatorum.

Probatur secundò ex cap. *Volentes*, de Priuileg. in 6. in quo hæc Sententia fertur, *In eos autem quibus nec interdici, nec suspendi, nec excommunicari à quoquam valeant à sede Apostolica est indultum, sicut sunt Religiosi quamplures, in quorum priuilegiis continetur, ne quisquam Episcopus aut Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos pro vlla causa, vllone loco, interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat: iidem Ordinarij iurisdictionem suam quantum ad ista, vbicumque fuerint, penitus exercere non possint.*

Probatur tertio, ex Decretis Cardinalium Sacræ Congregationis illud expressè determinatum in materia expositionis Sacramenti Eucharistiæ per Regulares. Accipe primum Archiepiscopo Taurino directum, *Sacra Congregatio minimè approbauit pœnam suspensionis quam vestra dominatio imposuit Patri Sacristæ S. Dominici, eo quòd non paruerat decretis de non exponendo sanctissimum Sacramentum absque licentia vestræ dominationis, & sine velamine, cùm illa non habeat auctoritatem procedendi contra Regulares: vnde isti illustrissimi Domini mei voluerint, vt vestræ dominationi scriberem, quatenus dictam suspensionem omninò amoueat. Quòd si Regularis, qualiscumque Ordinis existat, ausus fuerit contrariũ facere,*

Digitized by Google

facere, aut non obedire istimsmet sacræ Congregat. decretis, Illustrissimum Nuncium monere poterit, qui habet ordinem illos castigandi, & Dominus noster illam præseruet. Romæ 20. Maij 1624. A Satratus Episcopus. Comad. Secretarius. Secundum Archiepiscopo Burdigalensi directum, anno 1644. in causa Prioris Connentus Fratrum Prædicatorum illius Ciuitatis qui sine licentia dicti Archiepiscopi sacrum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia sui Conuentus in die Sancti Dominici publice à populo adorandum exposuerat, ac propterea ab eodem Archiepiscopo interdicto percussus fuerat, in quo eodem modo, quo in proximo decreto pronunciatum est.

4. Quoniam sicut Episcopus non potest ferre censuras aduersus sæculares in casibus in quibus ab illius iurisdictione sunt exempti, vt verbi gratia, in materia iustitiæ administrandæ ex parte Regis, & in executione Placitorum Senatuum, & cæteris huiusmodi; sic nec aduersus Regulares in casibus, in quibus ab eorumdem iurisdictione sunt exempti.

5. Probatur auctoritate Doctorum qui ita sentiunt, ex quibus sunt Glossa in caput prædictum *volentes*. Hostiensis in idem caput, colum. 5. Ioannes Andræas ibidem nu. 7. vers. in Glossa. Archidiac. num. 2. vers. *Ista*. Anchar. nu. 4. not. 7. & Dominic. § vltimo num. 7. Plancius §. vltimo num. 2. Gambar. de Offic. Legat. lib. 8 cap. vltim. num. 77. Henriques lib. 2. de Indulg. cap. 5. num. 7. Couuaruuias cap. *Alma* 1. p. § num. 5. lib. 2. de Libert. Christiana, cap. 8. Cordub. lib. 3. cap. 43 colum. 3. Rom. Constit. 369. num. 20. Roder. tom. 2. quæst. 58. art. 6. & in Summa in additione tom. 3. cap. 103. num. 1. Ricard. in 4. D. 28. Piazec. in Praxi Episcoporum p. 2. c. 3. num. 54. Nauarr. Consil 2. vers. 2. de Sent. excommnnic. Peirinus tom. 1. Constitnt. 2. Sixti IV. §. 10. num 13. Cenedus quæstione 26. num. 30. Sanches de Matrim. lib. 7. cap. 33. num. 22. Hieronym Roderic. resolut 62. num. 7. Villalobos 2. parte addit. verb. *Episcopus* num. 2. Cochier. tom. 1. §. 5. quæst. 44. Ac sic iudicant tum Priuatum Regis Christianissimi Consilium: tum Supremi Senatus Regni, vt proximè videbitur.

Nunc veniendum est ad probationem secundæ partis propositionis, videlicet quòd Sententiæ excommunicationis, &c. sint nullæ probatur autem ex Mari magno eorumdem Regularem Ordinum, ac 1. ex Mari magno Fratrum Ordinis Prædicatorum in quo §. 36. sic habetur, *Decernimus ergo irritum & inane quidquid contra tenorem, & inhibitionem huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & Interdicti, suspensionis, & Excommunicationis sententias, si quas contra Concessiones, Constitutiones, & Inhibitiones easdem, in vos, vel vestrum aliquos, vel loca vestra, seu benefactores, vel executores, aut hæredes prædictos in posterum promulgari contigerit penitùs non tenere.*

2. Ex Mari magno Fratrum Minorum in quo sic habetur, *Decernimus ergo irritum & inane quidquid contra tenorem, concessionem, & inhibitionem huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quis contra Concessiones, Constitutiones, & Inhibitiones easdem, in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra seu benefactores vestros, vel executores, aut hæredes prædictos in posterum promulgari contigerit, penitùs non tenere.* Et paulò post sub finem illius Bullæ, *Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis pœnas sententias continentes: quas & quos contra Generalem, Fratres & Sorores, Domos, Monasteria, Personas & alia supra dicta, contra tenorem, & formam præsentium, & exemptionis huiusmod promulgari, & haberi contigerit, irritas decernimus penitùs & inanes.* Quid clarius?

3. Vtrique constat ex Bulla Pij V. in fauorem omnium Mendicantium sæpius citata, in qua hæc verba habentur, *Alioquin omnia & singula contra præmissa facta, & gesta* (de hac enim exemptione locutus fuerat Pontifex) *ac facienda in futurum pro infectis habeantur*: Ex quibus manifestè patet, non solùm nullitas Censurarum ab Episcopo, seu Ordinario in Regularem promulgatarum; sed etiam pœnarum quas, eisdem iuribus & concessionibus contra Regularem ferre prohibetur; cui determinationi conformia sunt supremi Consilij Regis & Senatuum Supremorum placita in litibus ad ipsos delatis, quod quibusdam placitis illius Consilij, hic proximè ponendis, manifestum fiet. Primùm locum tenebit illud, quod emanauit, in causa cuiusdam Canonici Ecclesiæ Cathedralis Burdigalensis de

Digitized by Google

anno 1610. ab Archiepiſcopo Burdigalenſi carcerati: quo à dicto Concilio Regis partibus contradictoriè auditis pronunciatum fuit, Archiepiſcopum non potuiſſe caſtigare exemptum delinquentem, ſed hoc ſeruatum eſſe eiuſdem Superiori, & ipſo renuente Archiepiſcopo. Secundum de anno 1644. die vero 14. Octobris, in cauſa plurium Regularium aduerſus eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopum. Et Tertium in cauſa Religioſorum Societatis IESV domus Sancti Macarij, de anno etiam 1645. die vero 1. Februarij aduersùs eumdem Archiepiſcopum, occaſione quarumdam cenſurarum ab ipſo latarum: quibus à dicto Conſilio ſimiliter in fauorem dictæ exemptionis Regularium eſt pronunciatum contra præſumptam Epiſcopalis dignitatis auctoritatem.

Dices, numquid poterit Epiſcopus excommunicare Regularem Parochum delinquentem, non ſolùm in loco non exempto, ſed etiam in exempto? Reſpondetur, quoad locum exemptum, id non poſſe: eſtque ſententia communis ex cap. *Vltimarum*, de Conſtit. in 6. & ex cap. *Luminoſo*, 18. quæſt. 2. & ex Gloſſa ibidem, & ex Innocent. in cap fin. de Foro compet. & ita abſolutè ſine reſtrictione tenent Hoſtienſis, & Paulus de Alcala apud Antonin. tit. 24. cap. 75. Ioann. de Lign. in cap. *Epiſcopos*, num. 43. & Antonin. citatus. Siluester verb. *Excommunic.* 2. nu. 12. Henriques lib. 13. de Excomm. cap. 26. §. 1. Sayrus lib. 1. cap. 6. nu. 39. Fagundes lib. 1. cap. 7. num. 8. & 19. Armilla verb. *Excommunic.* num. 30. Nauar Conſil. 5. de Regular. Tabienna verb. *Excommunic.* 4. num. 4. Auila de Cenſur part. 2. cap. 3. diſput. 2. dub. 5. Rota deciſ. 145. in nouiſſ. anno 1581. & pro hac parte habetur declaratio Cardinalium relata à Farinacio ad ſeſſ. 25. cap. 3. de Reformat. verbis ſequentibus, *Ex Sententia S. D. M. Pij V. Congregatio cenſuit in locis exemptis qui ſubſunt immediatè Sedi Apoſtolicæ, nullus Epiſcopus poſſit facere excommunicationem; quia non habet in eis iuriſdictionem; ac ſic recurrendum ad Sedem Apoſtolicam pro tali excommunicatione facienda.*

Quoad verò locum non exemptum eadem prorſus eſt ratio, quia Regularis eſt perſona in quam *Pro nulla cauſa, nullove loco, & vbicumque illa ſit*, cenſura ferri ab Ordinatio minimè poteſt: quæ verba vniuerſalia ſunt, ſicut alia exemptionis verba, & per nullum locum, per nullamve cauſam, aut muneris functionem reſtricta; ac propterea de Regulari exiſtente in loco exempto, & non exempto intelligi debent: ac etiam ſi ſit Parochus aut non, quia illa conditio Parochi non eximit Regularem à ſui Superioris iuriſdictione, nec illum non exemptum facit. Affertque Ioannes Lomede in fauorem illius ſententiæ placitum Senatus Supremi Pariſienſis de anno 1583. die vero 11. Auguſti. de quo ſuprà, quo ſuſpenſio pronunciata in exemptum Parochum agentem, abuſiua fuit declarata. Quod autem aſſertum eſt de exempto, hoc etiam ſimiliter in Gallia de Sacerdote ſæculari in Eccleſiis Regularium Vicarium agente ſentiendum eſſet, vt etiam dictum eſt in cap de Exemptione à poteſtate directiua Ordinarij: niſi obſtaret ordinatio Regis Chriſtianiſſimi in Gallia, de qua ſuperiùs loquuti ſumus,

Excipe tamen Parochum Regularem in perpetuum diſpenſatum à Papa cum conſenſu ſui Prælati, quem Epiſcopus poteſt caſtigare, quia non eſt ampliùs exemptus, cum in ius Epiſcopi tranſierit, vt alibi diximus.

PROPOSITIO V.

Epiſcopus, aliuſue Ordinarius, non poteſt ſuſpendere, interdicere, & excommunicare Regularem in caſibus, in quibus dicitur illi ſubiectus, aut illi per ſpecialem commiſſionem Apoſtolicam ſubiicitur: niſi ab eadem Sede ſit illi facultas expreſsè conceſſa, alioquin cenſuræ prędictæ aliter latæ ſunt nullæ, & inualidæ.

Veritas hæc ex præcedentibus ſatis conſtare videtur: habetur enim in præmiſſis ceſſionibus, *Quòd ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ commiſſione Epiſcopus non poteſt Regularem cenſuris plectere.* Ergo ſiue procedat iure ordinario, ſiue ex delegatione, id non pote-

rit sine speciali, vel expressa Sedis Apostolicæ facultate.

Probatur in specie primò, ex concessione Clement. IV. cuius originale seruatur in Conuentu Minorum Recollectorum Burdigalæ, in quo hæc verba habentur, *Ne ab aliquo Legato, nisi de latere, Apostolicæ Sedis misso, vel Delegato aut Subdelegato, auctoritate Literarum Sedis prædictæ, excommunicari, suspendi, & interdici possitis: nisi Literæ ipsæ plenam & expressam de Ordine vestro & indulto huiusmodi fecerint mentionem, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ac decernimus: nihilominus omnes sententias irritas ac inanes, ac nullius existere firmitatis, quas contra tenorem præsentis Indulti, per quemcumque de cætero contigerit promulgari*: Hæc Pontifex. Quibus clarissimè patet, Regularem neque à delegatis Sedis Apostolicæ, vt sunt Episcopi, neque à Legato Sedis Apostolicæ posse censuris plecti; & censuras contra hanc formam latas, nullas existere; nisi sit facultas illas ferendi expresse concessa. Et ita patet, aliter latas pro nullis habendas esse.

Prædictam concessionem cum quibusdam aliis confirmat Sixtus IV. B. *Exigentibus*, vt refertur in Compend. Priuileg. Mendic. verb. *Exemptio*, §. 23. verbis sequentibus, quæ etiam à Roderico tom. 2. quæst. 60. artic. 5. referuntur, desumptis ex Mar. Magno Minorum, *Sixtus IV. statuit, ne locorum Diœcesani, aut alij quicumque in personas, aut loca Fratrum Minorum contra prohibitionem suprà positam Clementis IV, sibi quamcumque iurisdictionem, aut superioritatem vendicare præsumant; ac districtè inhibuit, ne quisquam absque Sedis Apostolicæ speciali commissione, aut auctoritate in Personas, Domos, & loca Ordinis, vtpotè prorsus exempta, aliquas censuras, vel sententias specialiter, vel generaliter promulgare audeat.* Eamdem prorsus exemptionem idem Sixtus fecit Carmelitanis cum hoc addito, *etiam si eorum exemptio non sit allegata vtpotè notoria*. Eamdem quoque habent exemptionem in suo Mari magno Fratres Prædicatores, de qua Antoninus tom. 3. tit. 24. cap. 25. Armilla verb. *Exemptio*, qui hanc sententiam tenent, cum Doctoribus in proximè præcedenti propositione allegatis.

Probatur secundò hæc veritas ex eo quòd Regularis sic exemptus est à censuris ferendis, aut latis, vt etiam illis non ligetur, etiam à Papa pronunciatis, nisi nominatim fiat mentio de Regulari: nec sufficeret, si Papa generaliter pronunciaret, *vt perindè valeant, ac si essent exprese nominati*, vt habetur in Ceremoniali, seu Pontificali, in Bibliotheca Vaticana ex concessione Nicolai IV. quæ conformis est cap. *Graue gerimus*, de Offic. Ordinar. de quo in præcedenti proposit. ac si tenet Compilator Priuileg. Societatis IESV, verb. *Excomm.* §. 3. & Compilator Priuileg. Fuliensium eodem verbo, & § Ergo à fortiori, nec censuræ latæ ab huiusmodi Legatis, Delegatis, & Subdelegatis ligabunt Regularem: nisi expressa facultas illis concedatur, fiatque mentio Regularis in concessione huiusmodi.

Probatur 3 ex Declaratione Cardinalium sub data 9. die Aprilis 1587. relata à Farinacio ad cap. 5. sess. 25. ex volum. Decis. Rotæ. & à Suario de Relig. tom. 4. tract. 1. lib. 1. cap 10 num. 27. his verbis, *Regulares adeuntes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, non possunt ab eo excommunicari, si habeant ex priuilegio quòd non possint excommunicari: sed debent puniri à suis Superioribus aliâ pœnâ.* Ergo censet Congregatio (supponendo Regulares esse subiectos Episcopis in prohibitione accessus ad Monialium Monasteria) non posse eisdem non parentes, seu inobedientes excommunicari, si priuilegium habent, quòd non possint excommunicari; quia licet in hoc munere sint delegati, non tamen facultatem expressam habent à Papa vt possint illos excommunicare, & aliis censuris plectere.

Obiicies, Trident. sess. 25. cap. 4. dare Ordinariis iurisdictionem castigandi Regularem. Ergo possunt illum excommunicare. Respondetur, quòd posito quod in hoc casu Regulares subiiciantur Episcopis, vt supponit Congregatio, non sunt excommunicandi, sed alia pœna puniendi, vt etiam Congregatio declarauit ex relatione Farinacij in illud cap quoniam licet Episcopi sint delegati, non possunt censuris Regularem ferire, nisi sit illis expresè concessum: atque hæc sententia inferiis magis probabitur.

Obiicies 2. caput *Præterea*, & cap. *Sanè*, 2. de Offic. & potest. Iudicis deleg. & leg. 2. ff de iurisdictione omnium Iudic. & plures Doctores in illa capita, docere & decernere quod quoties datur potestas prohibendi aliquid, datur potestas (si opus

fuerit) etiam excommunicandi illos, qui faciunt contra prohibitionem: ergo quoties datur potestas delegata, datur potestas excommunicandi, licet non exprimatur. Respondetur, quod illa duo capita, & alia quæ solent afferri, non sunt ad propositum; non enim agunt de illis qui potiuntur priuilegijs exemptionis, vt sunt Regulares; illa enim capita ab Alexandro III. edita post 90. annos, ab Innocentio IV. in cap. *Licet*, de Offic. Vicarij fuerunt reuocata, vbi dicitur quod, *Quando datur iurisdictio delegata, non datur propterea facultas corrigendi, & puniendi excessus: nisi specialiter hac committantur*, posteriora autem iura prioribus derogant, l. *Pacta nouissima*. C. de Pactis.

PROPOSITIO VI.

NOn potest Episcopus Regularem à iure excommunicatum nominatim declarare, vel denunciare talem.

Hæc propositio probatur 1. Quoniam declarare, seu denunciare Regularem nominatim excommunicatum, est illum excommunicare, cùm huiusmodi denunciatio, aut declaratio vltimatos effectus excommunicationis erga declaratum, vel denunciatum in vtroque foro producat; & excommunicatio præcisa à declaratione seu denunciatione imperfecta, & quasi inchoata existat: sed Episcopus non potest excommunicare Regularem, vt supra probatum est: ergo nec illum declarare, seu denunciare excommunicatum.

2. Quia ad eum spectat declarare excommunicatum qui Ordinarius est excommunicati, vt tenent Decius in cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, in fine de Appell. columna 4. vers. extra. Abbas post Innocent. in idem caput arg. cap. iure 11. quæst. 3. & cap. 1. de Treuga & pace, & Toletus in Summa lib. 1. cap. 12. nisi sit excommunicatus ab homine, vt limitat Decius proximè citatus; quia tunc causa cœpta per vnum non potest ab alio perfici; at Episcopus non est Ordinarius Regularis excommunicati; sed eius Prælatus, iuxta Doctores in cap. *Decernimus*, de Iudic. verb. *Ecclesiarum Prælati*: inter quos Prælatos numerantur Abbas, & alij Ecclesiarum Prælati, tamquam veri Ordinarij, & iuxta cap. 1. de Censib. in 6. § *Hanc autem*, in quo manifestum est, alios Prælatos ab Episcopo, ordinario iure pollere, atque hæc veritas in Concil. Trid. cap. 5. sess. 14. de Reformat. in propriis terminis est expressa, in quo Episcopus distinguitur à Superiore Regulari Ordinario. Cuius etiam sententiæ sunt Roderic. to. 1. quæst. 36. arr. 3. Ioannes Lomede de Exempt. cap. 7. vt alibi diximus: ergo non Episcopus, sed regularis Prælatus poterit dictum Regularem excommunicatum declarare, cùm duos simul Ordinarios immediatos circa idem crimen non patiatur subiectio, vt aliàs probatum est ex Iure.

3. Probatur ex concessionibus Pontificum, præcipue Martini V. Benedicti V. & Clementis IV. aliàs relatis, quibus prohibetur Episcopo, seu Ordinario; *Ne generaliter, aut specialiter quauis auctoritate sententias excomm. suspens. & interdict. & iurisdictionem in Regularem exerceat: coram quo conueniri nullatenus posint*; Ergo non potest Episcopus Regularem nominatim excommunicatum declarare: alioquin iurisdictionem, aliqua auctoritate, & aliquo modo exerceret, & coram illo Regularis conueniretur, quod prohibitum est.

Probatur 4. Quia quotiescumque media necessaria ad declarationem huiusmodi alicui prohibentur, illi etiam ex consequenti prohibetur potestas declarandi: sed Episcopo prohibetur processus contra Regularem confectio, & citatio, vt inferiùs in propriis terminis probabitur; ergo Episcopo interdicta est potestas declarandi Regularem nominatim excommunicatum. Sicque iudicauit Supremus Senatus Burdigalensis die xj. Iulij 1645. in causa ad illum delata à quibusdam Regularibus quos Vicarij Generales Archiepiscopi Burdigalensis excommunicatos denunciauerant verbis sequentibus, *Curia faciendo ius super appellationibus tamquam de abusu interpositis, declarat Vicarios Generales abusiuè, & attentoriè se gessisse in excom-*

Digitized by Google

municationis sententiis aduersus dictos Regulares prounnciatis, decernit insuper quòd processus aduersus eosdem Regulares confecti è Registro Secretariæ Archiepiscopatus extrahautur appellantibus consignandi: & nihilominus certis de causis & rationibus mota, Vicarios Generales ab emenda præstauda exonerat.

Ex quibus manifestè concluditur primò, Episcopum non posse declarare Regularem nominatim excommunicatum, licet Clericum notoriè percusserit: & ita tenent etiam Iacobus de Graffiis in Summa lib. 2. cap. 49. num. 70. Nauarrus de Sentent. excomm. Consil. 2. vers. 2. Zerola in Praxi Episcop. part. 1. verb. *Excomm.* Rodericus tom. 2. q. 63. art. 7. Sorbus in Annotat. ad compend. verb. *Exempt.* §. 14. & 15. Peirinus super priuileg. Minimorum tom. 1. constit. 2. Xisti IV. part. 10. Portel verb. *Episcopus*, & colligitur ex Clement. 2. §. fin. de Pœnit.

Atque hîc aduertendum est 1. quòd Episcopus, aut aliàs legitimus Superior qui ad declarationem & denunciationem Regularis aut Sæcularis excommunicati à iure, etiam notoriè, Clerici percussoris, procedere intendit, debet illum priùs citare, & eius defensiones audire, vt dignoscatur, si inculpabiliter percusserit, causa videlicet defensionis naturalis, indeliberationis, & cæterorum huiusmodi; alioquin si absque huiusmodi citatione declaratur per sententiam excommunicatus, præter quòd de ea posset dici illud, quod Pontifex Clemen. quæ incipit *Pastoralis* de Re iudicat. pronunciat, his verbis, *Dicine ergo sententia meruit, quæ promulgata fuit contra inauditum, ac per consequens indefensum?* Iure merito iniqua, iniusta, & nulla penitus existeret. Ac sic tenent Couarru. in cap. *Alma Mater*, §. 2. parte 1. num. 7. Sayrus de Cens. lib. 2. cap. 12. num. 18. Fagundes lib. 2. cap. 5. num. 12. Diana 3. part. tract. 5. resol. 14. Secundo quod quandiu manet percussio notoria & percussor notorius, ita tamen vt non constet illum carere aliqua excusatione in huiusmodi percussione; non est vitandus, nisi accedat legitima sententia: sine qua rarissimè erit notorius percussor, nec sine excusatione: ac propterea vitandus. Sic citati Sayrus, Facundes & Diana, quibus accedit sententia Bauny in Summa cap. 27. quâ asserit talem nullatenus esse vitandum in Gallia, nisi post declaratiuam sententiam: ex Concordato tit. *de Excommunicatis vitandis*, vbi hæc verba habentur, *Nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris remedio.*

Concluditur 2. quid de alijs casibus in Iure insertis, dicendum sit. Quorum duo in Clement. *Religiosi* de priuileg. expresso habentur. Primus est, si Regularis Sacramenta Eucharistiæ; & Extremæ-vnctionis infirmis ministrauerit, vel Sacramentum Matrimonij solemnisauerit. Secundus, si absolutionem à censura per canonem reseruata, sine facultate impertitus fuerit: Tertius, & 4. quibus cauetur Regularibus sub excommunicatione, ne Diuina celebrent, aut faciant celebrari in locis interdictis: nisi in casibus priuilegiatis: neue excommunicatos denunciatos recipiant ad Diuina, qui habentur cap. *Episcoporum*, de Priuileg. in 6. Sequitur, inquam, dicendum quòd in dictis casibus, Ordinarius non possit illos denunciare ob rationes positas in probatione nostræ propositionis, quæ vniuersales sunt; & ad omnes casus extenduntur, sicut propositio, ac similiter ad omnes casus, quibus de iure subiacent Episcopo, seu Ordinario propter suspensionem, & Interdictum incursum. Quæ doctrina eò potissimum vera est 1. quoad duos primos casus, quia Clementina *Religiosi* à Paulo IV. B. *Ex benigna*, & à pluribus ipsius successoribus est reuocata expressè. 2. quoad alios duos casus etiam vera est, quoniam cap. *Episcoporum*, non dat Episcopo facultatem regularem in illis delinquentem denunciandi. Verùm quia posset obiici, posse Episcopum pœnis castigare regularem, licet careat facultate ad plectendum illum censuris, ideò sequentem apponemus propositionem.

PROPOSITIO VII.

Regularis sic exemptus est à potestate coactiua Episcopi, vt ab illo non possit aliquâ pœnâ castigari, etiam in casibus, in quibus suppo-

nitur Episcopo subiectus, aut illi sit speciali rescripto talis, nisi facultas ad illam infligendam à Sede Apostolica, aut à Concilio, aut Iure expresse tidem concessa sit.

Hæc propositio probatur primò, quia castigare Regularem spectat priuatiuè ad illius Superiorem, vel ad Pontificem, vt tenet Abbas cap. fin. nu. 5. vers. *Si verò populus*, de Clericis pereg. Barth. à Diuo Dio. in pr. ff. de Re iudicata, Cochier tom. 1. part. 4. quæst. 33. num. 2. Portel. verb. *Episcop.* Sanches, Henriques, & Roder. quos citat Barbosa lib. de Potestate Episcop. part. 3. alleg. 78. num. 25. Tamburinus de Iure Abbatum tom. 1. disput. 19. quæst. 7. num. 7. Scortia in Bullis Pontific. Theoremate 393. Peirinus in Priuileg. tom. 1. constit. 11. Sixti IV. num. 60. Villalobos in Summa tom. 2. tract. 8. diff. 6. num. 17. Cardinalis Zabarella, & La pus in cap. *Archiepisc.* §. fin. num. 5. de Priuileg. dicentes, quòd Episcopus agere debet coram superiore exemptorum, vt eos cogat ad parendum, & non parentes puniat; Ergo nisi hæc facultas castigandi Episcopo, vel Ordinario expresse à Concilijs aut à Sede Apostolica, vel à Iure Episcopo concedatur, non poterit, ea Potiri, quia in Superioribus Concessionibus vidimus non solùm censuras ab eodem latas, sed etiam *quasuis pœnas, & sententias in Regularem latas absque Sedis Apostolicæ expressa concessione, esse nullas*: sed non possunt esse nullæ nisi ex defectu potestatis; ergo concludendum est, Episcopum non habere potestatem ad castigandum Regularem, nisi expresse illi à Papa, aut à Concilio concedatur.

2. Probatur ex præsumptionibus quæ in fauorem exemptorum existunt, 1. quia causa exemptionis Regularium fuit in odium Ordinariorum, nimis enim erant infesti Religiosis, & nimis eos grauabant; vt tradit Rebuffus respons. 142. Vbald, tract. de Canon. Episcop. cap. 3. quæst. 6. num. 7. Tuscus verb. *Exemptio*, Concil. 566. num. 6. Cochier tom. 1. part. 1. quæst. 1. num. 15. & hæc doctrina sumitur ex ca. *Nimis iniqua*, & cap. *Nimis praua*, de excessibus Prælat. estque, propterea hoc priuilegium exemptionis semper extendendum erga Regulares, & coarctandum erga Ordinarios, qui in hac parte castigâdi Regulares, ita semper in tanto gradu excesserunt; vt Pontifices fuerint obligati, eos ab illorum iurisdictione eximere; sic Cenedus quæst. 26. n. 3. Castr. Consil. 432. Accedit quòd ex concessione Leonis X. priuilegia exemptionis Religiosorum sunt semper interpretanda in fauorem Regularium.

Secunda præsumptio, quia causa formalis, & principalis exemptionis Regularium fuit in fauorem Sanctæ Sedis Apostolicæ, cuius interest habere multos immediatè subditos, capite *Pastoralis*, de Re Iudic. Rebuffus, & Cochier vbi suprà, & ideò ampliari debent in Sedis Apostolicæ fauorem, quæ à se non abdicat immediatam iurisdictionem quam possidet in Regulares, si clarè non exprimat in delegatione, quam concedit Ordinario.

Tertia præsumptio, quia iurisdictio delegata est odiosa, cùm sit correctiua iuris communis, ideò non extenditur ad personas non expressas, vt tenet Glossa in cap. *Edocere*, de Rescriptis, Federicus in cons. 163. & cap. *Cùm Iure peritus*, de Offic. delegati.

Quarta & vltima præsumptio, quia quod non inuenitur concessum expresse, intelligitur esse prohibitum, cap. *Illa ne Sede vacante*, Glossa ibidem lit. C, cùm ergo non sit expresse hæc facultas concessa Ordinario, censetur illi esse prohibita, cùm aliundè priuilegia Regularium expresse illam prohibeant.

3. Hæc propositio in iure communi fundatur in ca. *Licet*, de Offic. Vicarij, in quo determinatur, quòd in generali iurisdictione delegata quæ conceditur ad exequenda mandata, & ad causas ventilandas, non intelligitur concedi iurisdictio corrigendi, & puniendi excessus, nisi specialiter hæc committantur; vt videre est in cap. *Attendentes*, de Statu Monach. in quo datur Episcopo iurisdictio, vt possit visitare Monasteria Monialium exemptarum: si tamen Abbatissa ob suos defectus priuari suo officio digna foret; non propterea illam priuare posset Episcopus, quoniam in commissione, quâ illi conceditur hæc facultas, non exprimitur, vt tenet Glossa ibidem verb. *Compelli*. Cardinalis ibidem, Hostiensis cap. *Quaris*, de Ætate & qua-

Ordin. quod etiam ex cap *Dilectus*, de Rescript. constat, in quo habetur quòd ex Apostolica iurisdictione delegata Abbati Sancti Stephani ad Diœcesim Bononiensem visitandam, absque expressione quòd posset priuare, ipse Abbas ad visitationem processit, & visitauit Monasterium, & Moniales, ac delinquentes in vi illius, suis ministeriis & officiis priuauit: sed causa ad Sedem Apostolicam delata, Papa priuationes huiusmodi irritas & nullas declarauit.

Probatur vltimò propositio ex conformitate declarationum Sacræ Congregationis, cum proximè dicto Iure communi, in litibus, super hisce causis ad illam per appellationem euocatis, videlicet *si ad Ordinarium spectaret castigare Regulares, etiamsi deliquerint in casibus, in quibus illi vt suprà subijciuntur: an verò ad Superiores Regulares eorumdem, vel ad Pontificem huiusmodi castigatio pertineret:* quæ pronunciant, *castigationem illorum non spectare ad Ordinarium*, vt constat ex superius dictis. Ex quibus omnibus manifesta existit probatio propositionis, videlicet quòd dare Ordinario iurisdictionem, vt Regulari præcipiat, illumque in talibus casibus sibi subiiciat, est grauamen diuersum ab illo, per quod facultas Regularem castigandi committitur: ita ex vno grauamine, seu facultate, aliud grauamen, seu facultas non necessariò concludatur.

Obijcies, frustrà dari directiuam illam potestatem, seu superioritatem Episcopo, cùm coactiuam non possideat; respondetur, hoc axioma verum existere in superioritate ordinaria, non autè in delegata: licèt enim delegato non concedatur potestas punitiua cum directiua, non tamen est frustrà, cùm vtraque maneat in delegante, possitque cùm opus fuerit, delegati potestatem directiuam, per coactiuam iuuare.

PROPOSITIO VIII.

Ecclesia Regularis non potest interdici ab Ordinario interdicto speciali.

Supponendum est, Interdictum esse Ecclesiasticam censuram priuantem vsu quarundam diuinarum rerum, quatenus is vsus communis est: quod triplex est, videlicet personale, locale, & mixtum; de personali superiùs actum est, & agetur in secunda parte huius operis, nunc de locali est propositio.

2. Supponendum duplex esse interdictum locale, aliud est speciale, quando videlicet interdicitur aliquis locus, vel Ecclesia particularis; aliud generale quando videlicet tota Ciuitas, & Ecclesiæ, quæ in illa sunt, interdicuntur. De hoc non est iam quæstio, sed de speciali.

Probatur propositio, 1. ex præcedentibus, in quibus ostensum est ex Mari Magno, & aliis Regularium priuilegiis, Regulares, & Domos & Ecclesias, non posse generaliter & specialiter interdici. Accipe verba Maris Magni Minorum § 44. *Ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione, aut auctoritas, in personas, domos & loca prædicti Ordinis Fratrum Minorum, vtpotè prorsus exempta, aliquas Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti sententias generaliter, & specialiter quomodolibet promulgare præsumat, &c.* Quibus, illarum censurarum, si in dictas domos, & loca ferantur, nullitas adiungitur. Eisdem ferè verbis vtitur Sixtus IV. in alio cuiusque Ordinis Dominicanorum, Augustiniensium & Carmelitarum Mari Magno, ac alij Pontifices in concessionibus factis aliis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinibus: in quibus videre est, nem nem dictas Domos, & loca Regularium, quæ Ecclesia, & aliis habitaculis constant, speciali interdicto supponere posse.

Dices, sequeretur ex illis concessionis verbis, nec interdicto generali Regularem Ecclesiam posse subiicere, cùm vtatur hoc verbo *Generaliter*. Respondetur, quòd illud generaliter non intelligitur de interdicto generali, sed de interdicto speciali generaliter promulgato. Potest enim speciale interdictum duobus modis promulgari, 1. verbis specialibus determinatis ad hanc particularem Ecclesiam. 2. ver-

Digitized by Google

bis generalibus, quæ etiam hanc Ecclesiam comprehendant, & sic cessat difficultas.

Probatur 2. ex concessionibus factis Ordini Sancti Ioannis Hierosolymitani, relatis in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Interdict.* 1. ab Anastasio IV. Alex. III. & IV. Vrbano III. Clement. III. & IV. quibus sub eisdem verbis statutum est, vt *Nulli Episcopo in Ecclesiis subditis Fratribus Sancti Ioannis Hospitalis Hierosolymitani interdicti, vel excommunicationis sententiam liceat promulgare.* Quod statutum Gregorius IX. innouauit, *Ac vniuersis Ecclesiarum Prælatis præcepit, vt præfatos Fratres excommunicare, aut eorum Ecclesias interdicere nullatenus præsumant*, vt eodem titulo habetur §. 27.

Probatur 3. ex concessione Leonis X. facta Minoribus de Obseruantia ad Caroli V. Imperatoris instantiam, cuius authenticum seruatur in Conuentu Recollectorum Burdigalæ, originale verò in Conuentu Sancti Francisci Salmanticæ, Bulla, quæ incipit, *Cùm sancta regula vestra.* Cùm enim Fratres Minores huiusmodi interdictis admodum in pluribus grauarentur, prouidit Pontifex, decernendo, ne in posterum fieret. Apponam hic constitutionem illam, vt ex narratiua illius clariùs dispositiua innotescat. *Intelleximus sæpenumerò contingere, nonnullas Ecclesiasticas personas in Romana Curia, vel extra eam litigantes, ac definitiuas Sententias, & executoriales literas desuper obtinentes, aut alias gratias prosequentes, Ecclesias domorum vestri Ordinis Ecclesiastico supponi facere interdicto: etiamsi Ciuitas, seu oppidum in quo Domus ipsa consistit, minime interdicatur, ex quo vos qui solùm ex fidelium eleemosynis victum quæritis, non paruum suscipitis detrimentum, cùm fideles ipsi ad dictas Ecclesias, pro diuinis audiendis officiis accedere non valentes, ab eorum consuetis deuotionibus, & vobis solitis eleemosynis, retrahantur.* Sic narratiua: veniamus iam ad dispositiuam eiusdem constitutionis. *Nos huiusmodi honestis supplicationibus inclinati; vobis quod de cætero perpetuis futuris temporibus Ecclesiæ domorum vestri Ordinis ad cuiuscumque personæ, etiam Cardinalatus honore, vel alia fulgentis dignitate instantiam, per Auditores causarum sacri Palatij, seu eorum loca tenentes; aut quoscumque alios Iudices, seu ordinaria, ac etiam nisi tota Ciuitas, vel oppidum, vbi domus huiusmodi consistit, Apostolicis auctoritatibus, aut ex speciali commissione manu propria Pontificis signata, & in publica signatura proposita Ecclesiastico supponatur interdicto, interdici non possint; ac quòd in eis degentes Fratres, ad ipsius interdicti obseruationem minime teneantur. nec propterea irregularitatis maculam, aut aliquas Sententias, Censuras, & Pœnas incurrere debeant; quodque vobis, dummodo causam non dederitis interdicto, vt ianuis apertis, & campanis pulsatis Missas, & alia Diuina Officia valeatis celebrare, nisi persona, ad cuius instantiam interdictum fuerit appositum, in eisdem Domibus degentibus Fratribus, de alimentis, & aliis victui necessariis rebus competenter prouideri fecerit, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus: ac præsentes per quascumque alias concedendas literas Apostolicas nullatenus suspensas, reuocatas, seu alteratas censeri.*

Ex quibus tria concluduntur. Primum, quòd non potest ab Ordinarijs delegatis à Papa Ecclesia Regularis interdicto generali supponi: *nisi Oppido vel Ciuitate interdicta.* Secundum, *quòd non potest interdici ordinaria facultate, nisi auctoritatibus Apostolicis, vel ex commissione propria manu signata Pontificis, & in publica signatura proposita tota Ciuitas interdicto supponatur.* 3. Quod interdicto huiusmodi non tenentur Regulares obedire, sed possunt celebrare Diuina, *dummodò causam non dederint interdicto: ac nisi vt antea ille ad cuius instantiam huiusmodi interdictum promulgatur, & apponitur, Regularibus in conuentu illius Ecclesiæ degentibus, & de alimentis, & aliis vitæ necessariis rebus competenter prouideri faciat. Quibus quartum addere necesse est, videlicet quòd interdicti sic tota ciuitate, vel oppido, non interdicatur Ecclesia Regularis sita in suburbijs, si distet duobus aut tribus milliaribus ab illa ciuitate, vel oppido; nisi Regulares in conuentu dictæ Ecclesiæ degentes causam dederint interdicto, vel nisi specialiter, videlicet à sede Apostolica, ex causa legitima in interdicto comprehendatur: vel denique sub iure communi sub tali interdicto etiam comprehendatur.* Sic habetur in citato Compend. priuileg. verb. & §. 12.

Plura de obseruantia interdicti, & aliis in secunda parte huius operis: hæc autem impræsentiarum sufficiant, vt innotescat, Ecclesiam Regularē non posse interdicto speciali ab Ordinarijs & Delegatis supponi, nec etiam generali interdicto, nisi seruatis conditionibus præmissis, maxime de illa alimentorum ministratione, si sit Ecclesia

clesia Minorum, aut alterius Ordinis qui similem paupertatem profiteatur; sitque verè pauper in tali oppido, vel ciuitate interdicta; quæ omnia in vniuersum sunt vera. Exemptio tamen facienda est in regno Galliæ, in quo Episcopis prohibitum est, promulgare interdictum generale contra aliquam vrbem, ciuitatem vel communitatem, nisi de consensu Regis, ex priuilegijs & concessionibus Martini III. & IV. Gregorij VIII. IX. X. & XI. Alexandri IV. Clementis IV. & V. Nicolai III. Vrbani V. & cuiusdam Bonifacij etiam Pontificis à Guenosio citatorum in lib. 3. Praxis ciuilis & criminalis, & ex Imberto cap. 9. nu. 18. lib. 11. editionis de anno. 1625. qui asserit dictas bullas in Regio thesauro asseruari.

Et quod in hac materia animaduersione dignum existit, Carolus V. rex anno 1369. Edicto prohibuit omnibus Galliæ Prælatis, ne interdictum vllum fulminarent, neque excommunicarent aliquam vrbem aut communitatem eiusdem regni. Quod etiam fuit Literis parentibus Caroli VII. sub. 5. Septembris 1440. emanatis vetitum: quocirca Francisco I. regnante, Archiepiscopi Burdigalensis & Tolosanus citati fuerunt, ad personaliter in Magno Consilio comparendum, ex eo quòd quamdam Ecclesiam Ordinis Minorum Sancti Francisci interdixerant: vt constat ex Patentibus Literis, & Arresto eiusdem Consilij; sub datis die 20. Maij & 7. Iulij 1523. vnde consequenter ad prædicta Abbas Gallici à Sede Apostolica delegatus præmemoratum interdictum per Sententiam sub datis die 13. Octobris eiusdem anni cassauit, & annullauit; quorum authentica in Conuentu Fratrum Minorum Recollectorum Burdigalæ seruantur: sicut etiam in Archiuijs eiusdem Ciuitatis seruatur priuilegium authenticum Alexandri IV. quo Archiepiscopo Burdigalensi prohibetur, ne Ecclesias Regularium illius Ciuitatis interdicto supponat.

Dices 1. Si Episcopus non habet coactiuam in Regularem Ecclesiam, quid fiet, si verbi gratia Regularis cum sæculari, aut Sæcularis cum Regulari in Ecclesia Regulari sese mutuo verberent, aut aliquod simile crimen committant? Respondetur, quòd vel illius Ecclesiæ Prælatus habet iurisdictionem temporalem coniunctam cum spirituali, vel solam iurisdictionem spiritualem; si vtramque habeat, poterit contra reum informare, illumque castigare: si autem sola iurisdictione spirituali potiatur; poterit quidem informare; sed nec citare sęcularem, nec illum castigare poterit: sed Episcopus contra vtrumque informare poterit, & sæcularem, si reus repertus fuerit, castigare: si autem regularis reus conuictus extiterit, illum nec citare, nec castigare; sed ad id agendum ad suum Prælatum remittere poterit. Ita tenent Causidici super hoc consulti, qui testati sunt sic rem se habere in praxi.

Dices 2. si hæ omnes exemptiones valent, in nullo casu Regularis, & illius Ecclesiæ, coactiuæ Episcopi potestati subiiciuntur. Huic obiectioni fiet satis per propositiones in cap. sequenti inserendas.

CAPVT V.

DE QVIBVSDAM CASIBVS IN QVIBVS EX IVRE COMMVNI, ET TRIDENTINI DECRETIS,

Regulares Episcopis subiiciuntur: Denique Regularis ab eisdem exemptione.

PROPOSITIO I.

MVlti sunt casus in quibus Iure antiquo, & adhuc nouo Tridentini, Regularis subiicitur Episcopo.

Petrus Ioannes Camus in suo perfecto Hierarcha part. 4. §. 58. textibus non satis fideliter citatis, Regularem in 40. casibus Episcopo subiectum esse asserit: at verò Millardus in sua Summa in 27. Episcopo subiicit; alij autem in paucioribus. Veritas autem numeri illorum casuum ex enumeratione desumpta ex proprijs Locis manifestè constabit. Septem reperio in iure antiquo, & 17. expresse apponuntur in nouo, videlicet Tridentino, quorum multi ad aliquem illius septenarij iuris antiqui numerum reducuntur: quorum etiam aliquos in superioribus discussimus, & probauimus Regularem ab illis exemptum existere.

Primus habetur cap. *Volentes*, de Priuileg. in 6. ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi, his verbis, *Volentes libertatem quam nonnullis Apostolica Sedes priuilegio exemptionis indulsit, sic integram obseruare, vt & alij illam non infringant, & ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili desiuimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, siue contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rectè possunt coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere.*

Secundus casus in eodemmet cap. reperitur, in quo, *Regulares morantes in Prioratibus subditis locorum Ordinariis, eorumdem Ordinariorum iurisdictioni, toto tempore moræ in ijsdem Prioratibus subiiciuntur.*

Tertius habetur cap. *Ad abolendam*, de Hæret. his verbis. *Si qui verò fuerint, qui à lege Diœcesana iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & eis in hac parte, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, non obstantibus libertatis suæ priuilegiis, obsequantur.* Quibus cònstat, Regulares quoad crimen hæreseos, Ordinariis esse subiectos.

Quartus casus habetur Clement. cap. *Religiosi*, de Priuilegiis in his verbis, *Quos etiam locorum Ordinarii, postquam de hoc eis constiterit excommunicatos faciant publicè nunciare, donec de absolutione ipsorum eis facta fuerit fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.* Quibus patet, Regulares posse denunciari ab Ordinarijs, si in excommunicationem Papalem in hoc capite expressam inciderint.

Quintus & sextus casus reperitur cap. *Episcoporum*, de Priuilegiis in 6. in quo datur facultas castigandi Regulares, *qui scienter celebrant, vel faciunt celebrare diuina in Ciuitatibus, castris, & villis: nisi quatenus eis à iure conceditur, seu locis alijs interdictis ab Ordinarijs, siue delegatis iudicibus, vel à iure: aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt. Qui verò contra præsumpserint, præter alias pœnas à iure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium, cuius sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.* Sic Bonifacius VIII.

Septimus denique habetur cap. *Degradatio*, de Pœnis in 6 cum Regularis aliquod crimen depositione dignum cõmisit, degradare eum nullus potest, nisi Episcopus.

Hi sunt casus qui in Iure communi continentur, in quibus superius exemptum Regularem probauimus; excepto degradationis casu, de quo infrà: alij autem sunt ex Tridentino, de quibus in communi egimus, & è quibusdam exemptum probauimus Regularem: sunt autem numero 17.

Primus est, *Nouitius Regularis subiectus est Episcopo in renunciatione suorum bonorum, & Professus si nollet reddere nouitiis exeuntibus ante professionem omnia data illis à consanguineos, & curatoribus.* sess. 25. cap. 16. de Regular.

Secundus est, *Si Regularis contra voluntatem Ordinarij celebret in Oratorijs particularibus.* ex sess. 22 de Obseruandis in celebrat.

Tertius est in sess. 5. eiusdem Concilij cap. 2. de Reformat. in quo *subiicitur Regularis Episcopo, in petenda licentia prædicandi.*

Quartus in eodem cap. *Datur licentia Episcopo puniendi Prædicatorem prædicantem errores, & scandala, & hæreses.*

Quintus in sess. 6. cap. 3. de Reformat. vbi dicitur, *Regularis degens extra Monasterium, etiam prætextu priuilegij sui nonobstante, potest puniri ab Ordinario, si extra Claustrum delinquat.*

Sextus in cap. 4. sess. 25. in quo habetur, *Ne Religiosus exeat à suo Conuentu, etiam prætextu adeundi Prælatum, nisi licentia in scriptis obtenta; aliter facientes possint puniri ab Episcopis tanquam desertores sui instituti.*

Septimus in eodem cap. vbi statuitur, vt *Regularis missus ad Vniuersitates, causâ studij, habitet intra Conuentum, alioquin ab Ordinariis contra illum procedatur.*

Octauus in cap. 11. in quo decernitur, vt *Regularis qui habet in suis domibus curam personarum sæcularium sit subditus Episcopo, in visitatione, & correctione quoad curam & administrationem sacramentorum.*

Nonus in eodem cap. vt *Prælati non possint ibi assignare aliquem administrandum, nisi de consensu, & examine Episcopi.*

Decimus in cap. 13. eiusdem sess. vbi præcipit, vt *Episcopus componat controuersias ac discordias omnes inter præcedentias Regularium in processionibus publicis, & in ijs quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda vmbella, & alijs similibus.*

Vndecimus in eodem cap. 13. vbi *Præcipit Regulari, vt vocatus ad processiones accedere teneatur: ad quas secundùm antiquam locorum consuetudinem solitus est accederé, & ad illas quæ vel pro bono pacis Ecclesiæ vel pro victoria contra Infideles instituuntur*: & in Bulla Pii V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, interpretantis idem cap. 13. sess. 25.

Duodecimus in cap. 14. eiusdem sess. in quo decernitur, vt *Regularis viuens intra Claustrum, & scandalosè intra illud delinquens, à Prælato, instante Episcopo, intra tempus assignatum ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus à superiore priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Decimus tertius in sess. 23. cap. 12. iubet, *Quòd Regularis ab Episcopo examinetur ad Subdiaconatum, & cæteros Ordines sacros suscipiendos, & quòd ante ætatem ibi assignatam non illos suscipiat.*

Decimus quartus in cap. 15. in quo dicitur, *Quòd non possit Regularis audire confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, absque examine, & licentia Episcopi.*

Decimus quintus in sess. eadem cap. 3. vbi prohibet, *Ne erigantur in posterum noua Monasteria absque licentia Episcopi illius Diœcesis.*

Decimus sextus in cap. 12. quod præcipit, vt *Regularis in suis Ecclesiis publicet, & obseruet censuras positas per Sedem Apostolicam, & interdicta: & hæc etiam posita per Ordinarium publicet, & seruet.*

Decimus septimus in eodem cap. vbi præcipit, *vt obseruet etiam dies festos præceptos Ordinario.* Hi sunt omnes casus quorum quidam ad directiuam, alij verò ad coactiuam potestatem spectant.

PROPOSITIO II.

Posito quòd Regularis in vi Tridentini Episcopo subiiciatur, non tamen illi verè subijcitur, vbi receptum est: nisi ad summum in sex dictorum septemdecim casuum.

Hæc propositio ex dictis in Tractatu de Priuilegijs constat, quoniam decreta Concilij Trident. non derogant priuilegijs Regularium, nisi specialiter addant hanc clausulam, Non obstantibus, &c. aut aliquid æquiualens; sed hæc clausula non est apposita, nisi sex ex dictis casibus, videlicet in 2. 4. 5. 10. 13. & 14. Ergo Episcopo non subijcitur, nisi in illis sex.

Obijcies, in fine Decretorum sess. 25. quæ Regulares respiciunt, apposita est illa clausula generalis Nonobstantibus, &c. ergo illi subijcitur Regularis in dictis illis 17. casibus. Respondetur, illam clausulam nihil operari, nisi præcedentium specialium clausularum derogatoriarum, decretis Concilij expressè appositarum, confirmationem. Quod confirmatur ex sententia communi, & ex Canonistarum axiomate, quòd generi detrahitur per speciem, non vice versa: Dixi in propositione, Regularem in sex casibus ad summum subiici Episcopo: nam admodum probabile est, imò & certum existimo, non subjci Regularem Ordinario in 4. 5. & 10. casibus; cùm in 4. & 5. clausula nonobstantiæ excludat tantùm prætextum priuilegiorum, non autem vera priuilegia: & superiùs ostendimus Episcopum nihil posse aduersùs Regularem in illis 4. & 5. casibus, nec etiam 10. cùm clausula excludat tantum quæcumque priuilegia, sine specificatione priuilegiorum Regularium, qui terminus nimis generalis est, vt excludat priuilegia Regularium, sicut probatum est in Tractatu de Priuilegijs; ac iuxta eam sententiam Regularis subijcitur Ordinario in tribus proximè ponendis ex 17. illis casibus. Primus, si contra eius voluntatem, in Oratorijs particularibus celebret; secundus, in examine ad Subdiaconatum, & cœteros Ordines Sacros suscipiendos, & in susceptione illorum quoad ætatem à Concilio assignatam. Tertius in licentia audiendi confessiones. Quid autem in illis tribus casibus sentiendum sit, ostendam alibi. Monendo impræsentiarum Lectorem, quòd Tridentinum caret in dictis tribus casibus, clausula specifica, & nominatim priuilegiorum, illis casibus contrariorum; quam tamen in tractatu de Priuilegiis in communi diximus ad reuocationem necessariam.

PROPOSITIO III.

Posito quòd Regularis in illis 17. casibus Episcopo subijceretur, non posset tamen censuris cogi, aut alijs pœnis castigari.

Hæc propositio constat 1. ex illa propositione qua probatum est, Regularem esse exemptum ab omni prorsus iurisdictione Ordinarij, seu Episcopi; ergo maximè à coactiua, cum magis sit odiosa, quàm directiua, quæque ab illa separari potest, vt superius probatum est. Constat 2. ex propositione in qua probatum est absolutè, non posse ab Ordinario Regularem castigari.

Dices verum esse, Regularem liberum existere ab ordinaria Iurisdictione coacti-

ua Ordinarij in his casibus, sed non à delegata: Respondetur, propositiones præmemoratas vtrumque probare, vt ex illis cernere est. Quod etiam confirmat Pius V. in sæpiùs citata Bulla, *Et si Mendicantium*, vbi post factas declarationes quorumdam capitum Concilij Tridentini; & post priuilegia concessa, sic pronunciat, vt supra etiam dictum est, his verbis: *Ac insuper vt facultas præmissa omnia illibata persistant, omnia & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores & gratias quæ Decretis Concilij Trident. aliàs quàm vt superiùs est dictum, concessum, & declaratum, non contrariantur, & quomodolibet concessa, confirmata, & innouata, &c. perpetuò approbamus & confirmamus.* Sic Pontifex. Quibus videre est, illum confirmare priuilegia Mendicantium non aduersa Decretis Concilij, nisi prout anteà in eadem Bulla dictum, concessum, & declaratum existebat: sed ex dictis anteà in eadem Bulla, & ex concessis, & declaratis constat, Regularem esse exemptum à coactiua, & correctiua iurisdictione Ordinarij: ergo etiam à coactiua in dictis casibus 17. Quod confirmatur: nam si Ordinarius posset censuris, & pœnis in illis casibus cogere, aut castigare Regularem, posset etiam de vita illius in illis casibus inquirere, processus facere, illum citare, cæteraque huiusmodi exercere: sed iuxta contenta in proximè dicta Bulla non potest omnia prædicta, nec aliqua illorum operari: ergo nec censuris plectere, aut cogere Regularem, cum ad id agendum necessaria sit inquisitio, informatio, processus confectio, citatio & cætera huiusmodi.

Accedit, quòd etsi concederetur, posse Ordinarium censuris & pœnis cogere, & castigare Regularem; non propterea id posset censuris & pœnis in omnibus illis casibus, sed dumtaxat in duobus primis; in quinque verò proximè sequentibus, pœnis dumtaxat, non autem censuris; in alijs verò sequentibus 10. casibus, nec censuris, nec pœnis. Ratio illius dicti est, quoniam in istis non exprimitur facultas concessa Ordinario cogendi Regulares censuris & pœnis, ac propterea iuxta dicta in superioribus non poterit pœnis aut censuris illos cogere,

Obiicies, omnem delegatione Apostolica delegatum pollere facultate ad plectendum censuris illum, in quem delegatus est: Respondetur illud idem quod superius, videlicet quòd illi Canones qui dant facultatem Delegato ad censuras ferendas, intelliguntur per respectum ad personas non exemptas.

Obiicies iterum quid faciet ergo Ordinarius, si in illis casibus Regulares delinquant? Respondetur, prouisum esse per Ius commune antiquum, in Concilio quidem sess. 25. cap. 14. quo instantia Ordinarij requiritur ergà Prælatum regularem pro castigando Regulari notoriè extra claustra delinquenti, ita vt populo scandalo sit: At verò in prædicta bulla verbis sequentibus etiam suprà insertis, *Nec etiam se intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum tam Fratrum, quàm Monialium huiusmodi, & illorum correctionibus; sed omnia ista, & alia necessaria ad correctionem, & gubernationem Fratrum & Monialium huiusmodi, & eorum Generalibus, ac Ministris, seu Prouincialibus, vel aliis eorum, vel earum respectiuè superioribus &c. omnino relinquatur, nec vllo modo in præmissis, & aliis, Fratres & Moniales huiusmodi tangentibus Ordinarij prædicti per se, vel per alios se intromittant.* Hæc Pontifex. Quibus omnibus cernere est, Ordinarium esse absolutè exclusum à correctione Regularis, & totum hoc ius Prælatis Regularibus esse seruatum: hac tamen conditione, vt si superior delinquentem non cagistauerit, à suo maiori superiore officio priuari valeat, & delinquens ab Episcopo castigari possit.

Petes vltimò quid faciet Episcopus, cum imminet scandalum in processione iam inchoata, & non vult acquiescere Prælatus Regularis sententię Episcopi, quoad præcedentiam: poteritne tunc superiorem illum Regularem excommunicare? Respondetur, quòd huic difficultati fiet satis, cùm de Processionibus, & præcedentia agetur.

PROPOSITIO IV.

REgularis vbi Tridentinum non viget, in nullo ex illis 24. casibus Episcopo subjicitur, ita vt ab eo Regularis castigari possit.

Hæc propositio quæ satis probata fuit suprà, constat, quoad sex priores in Iure communi insertos ex Tridentino confirmante omnia priuilegia Regularium, iis exceptis quæ eidem Tridentino erant contraria. Quoad verò vltimum, videlicet degradationem, non est propriè subiectio, sed Sententiæ Iudicis sæcularis, vel altetius qui iurisdictionem coactiuam in Regularem habet, executio ab Ordinario facienda. Quoad verò alios casus Tridentini, probatur, quoniam cùm ostensum fuerit, Tridentinum non esse receptum in Gallia, nec quoad illos 17. casus receptũ est, ac ex consequenti nõ subijcitur Regularis Episcopo in illis 17. casibus. Et cõfirmatur ex propositione facta per Episcopos, & reliquos Cleri Proceres, in generalibus regni comitijs anno 1614. quæ his verbis habetur in Mercurio Gallico tom. 3. videlicet vt Concilium Tridentinum promulgaretur, & reciperetur, *Saluis Regis ipsius iure, Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus, priuilegiis, & exemptionibus Capitulorum, Monasteriorum, & Sodalitatum, pro quibus priuilegiis, immunitatibus, & exemptionibus supplicaretur, vt reseruari possent, & in integro permanere, vtque illis ea publicatio nullo modo præiudicaret.* Sic Clerus. Ex qua propositione manifestè habetur 1. Episcopos priuilegia Regularium, maximè circa exemptionem, censuisse recepta, eaque approbasse, ac proposuisse interponendam Papæ supplicationem ad ea, non obstante receptione Trident. in suo robore conseruanda. 2. Concilium Tridentinum non esse receptum quoad illos casus 17. subiectionis ad Episcopos, cùm illa propositio Episcoporum pro receptione Concilij possessionem priuilegiorum Regularium in Gallia, maximè circa exemptionem, firmam, validam & immobilem deliberato consilio reseruet.

Objicies, si Concilium Trident. non est in Gallia receptum, non possunt Episcopi à casibus, & censuris, & irregularitatibus occultis absoluere, & dispensare; quoniam qui onera non sentit, non debet sentire leuamen. Respondetur, hanc regulam debere intelligi de leuamine quod est directè & principaliter concessum ob bonum proprium personæ, quæ non sentit onus impositum seu adiunctum; secùs autem si leuamen principaliter datum fit ob bonum aliorum, seu communitatis, quorum non est suscipere onera, nisi illis ab alijs imponantur, vt est populus respectu Episcoporum.

Accedit, quòd scribentes maximè in Gallia supponunt hanc facultatem inesse Episcopis, licet in ea Concilium minimè receptum supponant: adiunge quòd neque Patres Concilij, neque Pontifices declararunt, Episcopos non posse vti hac facultate, nisi reliqua Tridentini obseruent; neque sub illa conditione priuilegium hoc illis concesserunt, quod etiam vsus Episcoporum in Gallia, ac Regularium qui prædicta facultate absoluendi, & dispensandi pollent, confirmat. Adiectum est in propositione, ita vt Episcopus Regularem castigare possit; nam aliqua directiua quoad executionem iuris communis ab eo totaliter non aufertur, de qua, cùm de Processionibus & præcedentia in eisdem occurret sermo.



CAPVT VI.

DE EXEMPTIONE MIXTA, AB ECCLESIASTICA, ET SECVLARI POTESTATE.



AVCA de hoc materia, quæ controuersa non est, nec nisi rarò accidit, dicturus sum: quocirca quasdam propositiones citando priuilegia, illa tamen nisi admodum parcè non referendo, in hoc capite apponere contentus ero.

PROPOSITIO I.

REgularis in pluribus alijs casibus tum à potestate Ecclesiastica, cum à sæculari eximitur. Hæc veritas probabitur in quibusdam casibus particularibus; ac primò non tenetur iure de calumnia, nec inuitus cogi ad testimonium perhibendum, nec ad hunc effectum extra Ciuitates Diæcesis in qua moratur, trahi potest.

Probatur propositio quoad primam partem, ex priuilegio Honorij III. facto Carthusiensibus, relato in Compend. priuileg. Societatis IESV verbo *Exemptio* §. 11. & ex concess. Eugenij IV. facta Celestinis Bulla inchoata *ad decorem*, & ex alia facta Benedictinis Bulla quæ incipit etsi ex debito, & ex 3. facta eisdem, cuius initium est *Regularem vitam*: illudque priuilegium iuxta Ioannem de la Cruz lib 1. de Statu Relig. cap. 6. dub. 2. concl. 3. excludit, non solùm tribunalia Ecclesiastica, sed etiam secularia, ad quæ pro actibus huiusmodi trahi non potest Regularis. Quoad verò secundam partem probatur ex Iulij II. concessione, eodem citati Compendij Societatis loco inserta.

Secundò cogi non potest, vt in sua Ecclesia Missæ, aut alia Diuina officia celebrentur, Ordines conferantur, vel agitentur causæ ciuiles, seu criminales, processiones conuocentur, aut Synodus, Conuentus, seu quæuis Congregationes; tam Ecclesiasticarum, quàm Laicarum personarum: & præsumens attentare contra omnia, aut aliquod prædictorum, cuiuscumque conditionis aut status sit, nisi facta ei de huiusmodi Indulto notitia desistat, ipso facto Sententiam excõmunicationis incurret.

Hæc exemptio constat 1. ex concessione Eugenij IV. facta Monachis Cœlestinis Ordinis Sancti Benedicti B antedicta: *Ad decorem* & ex concessione facta congregationi S. Iustinæ B. *Etsi ex debito* præcitata; constat 2. ex Compend priuileg. mendicant. verb. *Exemptio*, post §. 26. & ex Compend. Societat. IESV eod. verb. § 12. ex quibus etiam sequitur, nec Episcopum posse prædicare in Ecclesia Regulari,

Digitized by Google

innitis regularibus eiusdem; quoniam iuxta Cardinalem, in Clement. *Archiepiscopo*, §. *Si tamen*, num. 2. & 3. exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur: sed Ecclesia Regularis declaratur exempta ab Episcopi iurisdictione, vt supra ostensum est: ergo ab illo actu etiam exempta est. Ac sic tenent Peyrinus in Priuileg. Minimorum, tom. 10. constit. 26. Leonis X. §. 24. nu. 47. & Diana tract. 2. de Dub. Regul. resol. 109. & inferiùs in secunda huius operis parte pleniùs ostendetur.

Tertiò omnis Regularis ex Iure Humano, Canonico, & Ciuili exemptus est à potestate, & Iurisdictione Sæculari, tam in causis Ciuilibus, quàm in causis Criminalibus.

Hæc exemptio constat ex Authent. *Statuimus*, de Episcopis, & Clericis; & ex Concil. Trident. in sess. 25. cap. 20. ac ex Bulla Cœnæ, in qua excommunicantur Iudices sæculares se intromittentes ad causas Ecclesiasticorum cognoscendas, vel vocantes ad sua tribunalia Ecclesiasticos. Et ita tenent omnes vbi Concil. Trident. & Bulla Cœnæ recepta sunt; at vbi hæc duo non sunt recepta, aliter indicandum est; nam illud cap. *Statuimus*, citatum non est vniuersaliter receptum; in Hispania quidem receptum esse constat ex Iure Hispano lib. 5. titul. 6. part. 1. & tom. 1. Ordinat. Reg. tit. 3. lib. 6. At verò in Gallia multi referuntur casus priuilegiati, in quibus Iudices Sæculares cognoscunt de Clericis, & Regularibus, de quibus consulantur Iurisconsulti illius regni. Et Stephanus Bauny in Theolog. Moral. tract. de Clericis: ac similiter etiam dicendum est, in alijs Regnis in quibus non viget Concilium, & Bulla præmemorata.

Quartò Prælati Regulares, & alij Religiosi ex indulto Eugenij IV. facto Monachis Sancti Benedicti Congregationis Italiæ ad Concilia Generalia, Prouincia, seu Synodalia, etiam Apostolicâ, aut quauis auctoritate firmata; seu ad quasuis Congregationes, quouis nomine censeantur Ecclesiasticarum vel Laïcarum personarum, cuiuscumque dignitatis, aut status existant, ire aut mittere nullatenus compelli possunt: etiam per litteras Apostolicas non facientes specialem mentionem de huiusmodi indulto.

Habent hoc priuilegium in præcitata B. *Etsi ex debito* & in B. Alex. IV. in fauorem Augustiniensium emanata inchoata *Religiosam vitam*: reperitur etiam in Compend. Minorum verb. *Exemptio*, post §. 26. necnon in Mari Magno Minorum. Plura de exemptionis Regularium ab Ecclesiastica & Sæculari iurisdictione possemus dicere; sed hæc generaliter ac obiter asserta pro casibus specialibus facilè applicari poterunt. De bonorum autem temporalium exemptione, non est nobis sermo instituendus; cùm hæc omnibus Mendicantibus non sit communis; quælibet ergo Religio quæ bona temporalia possidet, ex priuilegiis sibi à Papa & Supremis Principibus concessis, & ex vsu vel consuetudine firmatis, videat in quibus dicta bona eximantur.

PROPOSITIO II.

EPiscopus non potest contra Regularem informationes & processus facere, nec in vi illorum processuum, & informationum, aut alio quouis iure coram se comparendum citare, capere, aut carceri mancipare.

Hæc propositio (quæ sæpiùs in præcedentibus capitibus supponebatur vt vera, quæque de industria ad finem huius capitis reseruata fuit) ex præcedentibus probatur. Nam si Episcopus iurisdictione in Regularem omnino careat, ita vt illum visitare, corrigere, castigare, censuris plectere, illas incurrisse declarare, ad Synodũ aut Concilium Prouinciale, aut alias congregationes & comitia conuocare, & ad iurãdum de calũnia cogere nullatenùs valeat: certè minùs potest posita in nostra propositione facere, cùm sint tantũ media ad prædictos actus, ad quos exercendos cùm iurisdictione

risdictione careat Episcopus, necesse est, vt etiã illis mediis destitutus sit, & spoliatus.

Accedit, quòd Bulla Pij V. sæpiùs repetita, *Etsi Mendicantium*, omnia illa Episcopo expresse prohibet: cui etiam conforme est decretum Congregationis Cardinalium, quod habetur in Declarationibus eorumdem collectis à Bellarmino in cap. 14. sess. 25. Concil. Trident. sequentibus verbis, *Episcopus non potest delinquentem Regularem incarcerare, vel processare, sed solùm instare ad superiorem pro pœna.* Ex quo videre est ex sententia Bellarmini, quòd Episcopus non possit contra Regularem processum facere, aut informationes capere, aut illum carceri mancipare. Ac etiam sic tenent Henriquez de Indulg. cap. 24. & Consectius cap. 2. de Exempt. qui addunt, quòd Episcopus qui Regularem sic delinquentem incarcerat, in excommunicationem labitur ob priuilegij violationem.

Imò Paulus Fuscus Episcopus Sarnensis lib. 2. de Visitat. cap. 2. num. 2. hanc veritatem sic certam existimat, vt arbitretur Episcopum carcerantem & capientem incidere in excommunicationem Canonis, *Si quis suadente*: cuius etiam sententiæ est Paulus de Leas in cap. *Si clerici*, de Sententia excommunicationis, lib. 6. & Doctores in Clem. *Frequens*, de Excessibus Prælatorum: & Abbas in eandem Clement. in verbo *Capiūt*, ait hoc voluisse Glossam in dictâ Clement. Sic etiam Sorbus in Comp. priuileg. verb. *Conueniri*: Villalobos in Summa tom. 2. tract. 35. diffic. 5. num. 5. Diana tract. 2. Dub. Regul. resolut. 132. Hieronymus Rodericus Quæst. Regul. resolut. 62. num. 8. qui respondet quibusdam Cardinalium declarationibus, & multi alij Doctores quos longum esset hìc congerere. Et ratio euidentissima est: nam sicut alij qui Clericum aut Regularem iniuriosè caperent, aut carceri manciparent (etiamsi essent illius Prælati & superiores, in dictam Sententiam excommunicationis inciderent sic etiam Ordinarij locorum, cùm non maiori in Regularem polleant potestate: nec aliquo iure ab illa incurrenda eximantur. Quocirca aduertant Ordinarij qui leui de causa, & absque vlla iudicij forma, Regulares non delinquentes, sed etiam innocuos capiunt, & carcerant, quo vinculo se constringant.

Quoad tertiam partem propositionis, scilicet citationem, certum est ex dictis non posse vllatenus ab Episcopo, alioque Ordinario Regularem delinquentem citari, nec illum sic citatum coram Ordinatio citante teneri comparere, si sit Ordinum Mendicantiũ, quorum priuilegia notoria sunt, aut alterius Ordinis qui habeat priuilegia notoria, prout tradunt communiter Doctores in cap. *Cùm ordinem*, de Regul. Iuris, & ibi Abbas n. 8. Battol. in Repetit. L. 2. v. 9. cum sequentibus, ff. *Si quis in ius vocatus*, & Summistæ verb. *Priuilegium*.

Nec propter defectum compartionis condemnabitur vt contumax; ac si propter illum excommunicetur, excommunicatio erit nulla, tanquam lata à non suo iudice: vt constat ex cap. *Cùm olim*, de Priuileg. & ex Panormit. in proximè positum caput: & ita tenent Rodericus cum aliis quos citat q. 36. art. 4. tom. 1. & Ioannes Lomede de Exempt. cap. 8. qui Canones, Leges & Auctores ad hoc probandum allegat, vt aliàs etiam diximus, & ratio euidentissima est; quia Sententia à non suo iudice subsistere nequit, cùm iurisdictionis potestate careat: non est autem maior defectus in sententia, quàm potestatis.

Diximus, quando priuilegia exemptionis sunt notoria, quia si non sint notoria, debet citatus comparere iuxta aliàs dicta, & citatos Doctores, vt insetiùs docebimus.

Nec obstat præmissis, quòd contra quasdam expositis propositionibus circa priuilegium exemptionis Secretioris Regis Cõsilij, ac supremorum Senatuum Sententiæ emanauerunt, quoniam etiam ab eisdemmet Tribunalibus in earumdemmet fauorẽ aliæ Sententiæ contrariæ pronunciatæ fuerunt: quæ licet non emanassent, non proptereà sententiæ illæ veritati dictarum propositionum præiudicare valent, vt ex sequenti propositione manifestum fiet.

Ex dictis in hoc tract. sequitur, quòd cùm domus, Ecclesiæ, & personæ regulares ab vtraque iurisdictione Episcopi exemptæ sint, procul dubio nullam iurisdictionem contentiosam in eosdem exercere possunt, nec tribunal ad hunc effectum erigere. Quod confirmatur ex eo quod Episcopus non est sicut Pontifex, dictus vetus Episcopus, siue Diœcesanus totius Orbis cap. *Cuncta per mundum*, 9. qu. 3. cum tantum in assignato sibi Episcopatu, dicatur Episcopus, qui ideò territotium Episcopi nun-

V

cupatur; & ex consequenti omnes Ecclesiæ, & loca illius iurisdictioni, curæ & spirituali eius potestati subiiciantur c. *Basilica* 16. q. Ac propterea sicut suum tribunal ad ius reddendum extrà diœcesim non potest collocare, cùm dicatur priuatus, vt tenent omnes: sic nec in loco exempto potest illud constituere, cùm locus exemptus se habeat, vt locus extrà suam diœcesim; vt tradunt Doctores relati à Barbosa de Offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 80. si excipias casum expulsionis à sua diœcesi: nam tunc potest in aliena diœcesi, petita licentia, licèt non obtenta, tribunal erigere, & iura subditis reddere, iuxta Clementinam vnicam de Foro competenti: & Sayrum de Censuris, lib. 2. cap. 21. num. 28. Dixi in diœcesi aliena, non autem in Monasteriis, vt legenti dictam Clementinam manifestum fiet.

PROPOSITIO III.

Sententia à Supremo Senatu, vel etiam à Secretiori Regis Consilio aduersus exemptionem lata, priuilegio exemptionis minimè derogat, etiam si Regularis in illos Iudices consenserit, & obediuerit.

Primæ partis propositionis prima ratio est, quia Supremus Senatus, & secretius Regis Concilium non sunt nisi tutores Canonum & Priuilegiorum, non verò Iudices, sed solus Papa, vt aliàs probatum est; ergo Sententia non valet, cùm sit à Iudice non competente.

2. Quoniam hæc tribunalia non possunt tollere ius, quod habet Regularis in quacumque lite per Episcopum mota, maximè si sit ius quæsitum, l. vlt. C. *Si contra ius, vel vtilit. publ.* quam regulam latè prosequitur Tiraquellus de Retra. con. §. 1. Gloss. 7. n. 20. vbi eam ampliat, dicendo, etiamsi spe tantùm sit ius quæsitum; estque communis hæc regula de iure quæsito in spe secundum Antonium Gomes, qui eam multis iuribus comprobat, & Aufrerium in Decis. Capel. Tolos. decis. 34. Glossa magna, versic. *Sed fortius*, quos sequitur Decius consil. 56. nu. 15. amplians etiam, quòd ius in spe consistens per Principem auferri non potest ab agnatis ad successionem feudi.

Quoad verò secundam propositionis partem probatur primò, quia nullus Ecclesiasticus potest consentire in Iudicem non suum, absque expressa sui proprij Iudicis licentia, prout in iure probatur cap. *Si quis Clericus*, & cap. *Si diligenti*, & cap. *Si quis contra Clericum*, de Foro competenti: & tenet Abbas in dictum cap. *Si quis Clericus*, nu. 1. & 21. & consi. 25. quæst. 1. & Glossa in cap. *Significasti*, in verb. *Clericus*, de Foro competenti, & alij cōmuniter scribentes. Quod procedit, & habet locum à fortiori in Regulari, quia Clerici habent liberam voluntatem: Regularis verò non habet velle, nec nolle: quocirca per suum consensum non potest præiudicare priuilegio exēptionis: & confirmatur, quia Papa est Diœcesanus exemptorum, vt cū Panormitano dictum cap. *Significasti*, docet Glossa in cap. *Auctoritate*, verb. *Sedis Apostolicæ*, de Priu. in 6. Sed sine licentia Diœcesani non potest quis in alium iudicem Ecclesiasticum consentire, neque in eius sententiam: ergo nec etiam exemptus qualiscumque sit, siue sæcularis, siue regularis. Ergo per suum consensum non potest priuilegio præiudicare, cùm non sit tantùm suum, sed etiam magis sui Ordinis, & maximè Papæ.

Quocirca tu dictus Regularis, tum Superior illius, ac Procurator Ordinis, aut Monasterij potest agere contra Sententiam, vtpote nullam, tanquam à non suo iudice latam, ad illam rescindendam: & quando eo modo procedere non posset, id posset tamen adiutus priuilegio quodam Ioannis XXIII. facto Congregationi Montis Oliueti, relato in tom. 1. QQ. Reg. Roderici q. 36. art. 5. his verbis, *Si qua læsio in bonis, & vsibus Monasteriorum, per quamuis cuiuscumque status, gradus, habitus, seu conditionis Ecclesiasticæ, seu sæcularis, mundanæ, vel regularis personam; etiam culpa Prælatorum, facta fuerit, ipso iure rescindatur, nec opus est aliquam in integrum restitutionem à quoquam superea quomodolibet impetrare, & hoc ius, sine priuilegium trahitur ad præterita nondum decisa, præsentia, & futura.*

Obijcies, quod in primo tractatu resolutum extitit, posse Regularem ad dicta Tri-

Digitized by Google

bunalia recurrere in litibus ab Episcopo de super priuilegiis motis: & Sententia desuper latis aduersus Episcopum, stare posse Regularem; ergo & è cótrario si aduersus Regularem ferantur sententiæ, poterit illis stare Episcopus. Respondetur, dissimilem reperiri rationem in Regulari: nam hic recurrit ad tribunalia tamquam ad azilum tuitionis suæ exemptionis, aliorumque priuilegiorum, non verò tamquam ad Iudices habentes ius priuandi Regularem suis priuilegiis, quæ si non extant, possunt declarare Regularem non possidere; si extant, Regularem in possessorio conseruare, & arcere molestantem; si dubia sunt, remittere ad Pontificem, ad quem, vt aliàs diximus, iudicium circa illa spectat. Et interim Regularem in possessorio pendente lite conseruare, etiamsi possessio sit contra ius, vt tenet Panormitanus in cap. *Vt lite pendente*, & in cap. *Cùm persona*, de Priuileg. in 6. §. *Quòd si talis*, cum §. sequenti. Et hoc idem tenent ibi Doctores: nam ex possessione præsumitur ius, quod nisi vnicuique Ecclesiæ seruetur, ordo Ecclesiasticus confunditur, vt habetur cap. *Peruenit*, 11. q. 1. & cap. *Quis scit*, 2. q. 6. nam antiqua iura tenentur superiores seruare Ecclesiis, cap. *Prohibemus*, de Cens. ac sic existimat Ioannes Lomede de Exempr. cap. 9. cum prænominatis Doctoribus, & Diana in cap. *Nullus*, de Reg. Iuris in 6. qui dicit sufficere allegare titulum, & probare possessionem.



CAPVT VII.

DE EXEMPTIONE SECVLARIVM AB ORDINARIIS PER RESPECTVM AD REGVLARES.

Plurima priuilegia exemptionis, & aliorum huiusmodi, ita Regularibus sunt propria, vt tamen ipsis sæcularibus etiam propria existant; sicut autem illorum priuilegiorum vsus Regularibus ab Episcopis prohiberi non potest, ita nec etiam sæcularibus, quoniam illa priuilegia data sunt à supremo Prælato, partim in fauorem Regularium, partim & maximè sæcularium, ac ex eo consequenti sunt ad illos spectantia, atque inter iura, & bona illorum computanda. Et quemadmodum Episcopi non possunt prohibere sæcularibus vsum suorum bonorum temporalium, minimè etiam possunt illis prohibere vsum bonorum spiritualium, sibi à supremo Superiore Episcoporum, & suo, concessorum, vt inferiùs sequentibus propositionibus specialiter probabitur.

PROPOSITIO I.

Seculares exempti sunt ab obligatione audiendi Missas diebus Dominicis, & Festis in Ecclesiis Parochialibus, nec possunt cogi ab Ordinariis ad illas in eisdem Ecclesiis audiendas.

Probatur primò hæc propositio quoad primam partem ex declaratione Leonis X. inserta in Constitutione quæ incipit *Intelleximus*, his verbis, *Intelleximus quosdam in dubium reuocare, & proinde timoratis conscientiis scrupulum inijcere: si Christi Fideles*

qui Dominicis, & Festis diebus extra suas Ecclesias Parochiales Missas audiunt, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesia pracepto de missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem huiusmodi tollere volentes, vt cum sinceriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo seruiant, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christifideles vtriusque sexus; qui non contemptu proprio Parochiali Sacerdote, in Ecclesiis Fratrum Mendicantium Dominicis, & Festis diebus, Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesia de Missa audienda: nec in aliquam labem peccati mortalis pœnam vt propterea incurrere. Sic dictam Bullam refert Confectius Protonotarius Apostolicus, de Priuileg. tit. 19. cap. 4. & Nauarr. cap. 21. num. 5. quam ipsemet Leo refert, & confirmat sub censuris contrauenientibus in constitutione sub datis. 3. Decembris 1518. Quod etiam Pius V. in Bulla, *Etsi Mendic.* declarando decretum de auditione Missarum, sess. 22. determinauit verbis sequentibus, *Sed præfati Christi Fideles audiendo Missas, & alia diuina officia in Ecclesiis Fratrum huiusmodi diebus Dominicis aut Festiuis, præcepto Ecclesia de illis audiendis satisfecisse censeantur.* Probatur etiam propositio ex decisione Clement. VIII. sub datis Romæ 22. Decembris 1592. in Breui directo Episcopo Tricariensi in inferiore Germania Nuncio Apostolico super lite exorta inter Archiepiscopum Cameracensem, & Episcopum Atrebatensem ex vna, & quosdam Regulares, ex altera partibus, emanato, inchoato *Significatum* his verbis explicato. *Præsenti nostro Decreto sancimus, licere sæcularibus Christi fidelibus vniuersis liberè Missas diebus Dominicis, & aliis maioribus Festis audire in Ecclesiis tàm Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon Collegij Societatis IESV, iuxta illorum priuilegia, & antiquas consuetudines, dummodò id in contemptum Parochialium Ecclesiarum non faciant.* Deindè addit Pontifex loquendo dicto Episcopo Tricariensi, *Proindè tibi per præsentes committimus, & mandamus, vt præsens nostrum decretum prædictis Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Atrebatensi notum facias. His denique auctoritate nostra Apostolica mandes, vt illud in prædicto oppido Duacensi, & vbicumque opus fuerit, publicare, & obseruare faciant.* Hæc Pontifex. Obiicies 1. de iure antiquissimo præceptum fuisse de audienda Missa in propria Parochia; Respondetur 1. Canones qui ab Antiregularibus, ad illud præceptum probandum adducuntur pro Maiori parte non loquuntur nisi in genere de Missa audienda iuxta Ecclesiæ præceptum, absque obligatione aliquem locum determinatum; quod si quandoque de illo, aut de Ecclesiis mentionem faciunt, id faciunt vt hæc loca distinguant ab oratoriis priuatis sine exclusione Ecclesiarum regularium, quæ tunc temporis non extabant? Respondetur 2. hoc ius antiquum nouo, priuilegiis, & consuetudine antiquatum esse, vt optimè scribit Portel. in additio. ad verb. Missa. n. 2. & in part. 3. cap. 26. necnon Nauarr. loco citato, cui Azor. astipulatur tom. 1. lib. 7. q. 4. & alij.

Obiicies 2. iure nouo Extrau. *vices illius* de Treuga & Pace Sixtus IV. prohibet regularibus, *Ne populos à suarum Ecclesiarum Parochialium frequentia & accessu abstrahant siue retrahant quoquo modo:* ergo de iure est, populum obligari ad Missam Parochialem audiendam. Respondetur negando consequentiam; sicut enim Honor. I. prohibendo Catholicis, ne prædicarent aduersus Monotelitas, posteà in VI. Synodo de hæresi damnatos: & Pius II. in facto cuiusdam quæstionis circa effusionem sanguinis Christi inter duos ordines pertinaciter agitatæ: & multi alij Pontifices circa quæstionem conceptionis B. Virginis prædicationes fieri similiter prohibendo, non propterea huiusmodi opiniones approbarunt, & determinarunt, vt manifestum est; sed eas prohibitiones fecerunt, altercationum vitandarum, & conciliandæ pacis gratiâ: sic quoque præfatus Sixtus prohibendo regularibus id quòd supra, nihil penitus determinauit, quoad ius, sicut nec etiam cum prohibuit Parochis, ne in quibusdam aduersùs regulares agerent, nec illis molestiam inferrent; sed huiusmodi prohibitiones fecit zelo sedādarum discordiarum inter Curatos & regulares, & gratiâ ponendæ pacis inter eos; cessauit autem hæc prohibitio regularibus facta post determinationem à Pontificibus, in fauorem regularium factam de qua superiùs. Imo Nauarr. cap. 21. in Enchir. tenet quod si dicta extrauagans intelligeretur, vt volunt aduersarij, in præsenti non obligaret, propter contrariam consuetudinem ab Ecclesia scitam ac toleratam. Sed omissa hac extrauaganti cui satis responsum est, nostram sententiam, quod sæculares non obligentur ad audiendam missam Parochialem pro-

bat Tridentinum sess. 22. de celebrat. Missar. in qua verbum, *moneant* ad Episcopos directum habetur, quod signum manifestum est, auditionem Missarum in Parochia diebus Dominicis & festis esse tantum consilium & non præceptum: nec vt tale ab Episcopis posse imponi. Quod sanè apertè ostendit decretum Sacræ Congreg. Concil. Trident. ad Archiepiscopum Calanensem directum, à Zerola relatum, huius tenoris: *Sanctissimus Dominus noster Papa audiuit, quod V. R. Dominatio populum sibi subditum sub excommunicationis pœna Dominicis & solemnioribus festis ad Parochiam accedere cogit, quod nimis durum existimat, & vltra id, quod Tridentinum decernit, qui nihil aliud præcipit; nisi populus ad id moneatur*: & huic sententiæ astipulantur grauissimi doctores, inter quos sunt Cenedus ad decretal. collect. 104. Guttier. Canonic. cap. 30. nu. 7. lib. 1. Roder. in summa tom. 1. cap. 249. nu. 25. & QQ. RR. tom. 1. quæst. 43. art. 7. Suares tom. 3. disp. 87. sect. 2. in dubio, *circa secundam Missæ diuisionem*, Ferdinandes Paez in repetit. cap. Missas de consecrata distinct. 1. nu. 133. Homo bonus de Exam. Ecclesiast. tract. 8. cap. 5. quæst. 14. vers. *secundo*. Azor. institut. moral. part. 1. lib. 7. cap. 6. quæst. 4. Henric. lib. 9. de Missa cap. 25. §. 9. Matth. Suares in pract. & in ordine visitandi cap. 3. nu. 4. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 18. q. 3. nu. 22. Coninc. de sacram. tom. 1. q. 85. nu. 312. Aloysius Riccius in decis. Cur. Neapol. part. 2. decis. 152. & Zerola in praxi Episcop. part. 2. verbo Parochia, Nauarr. in Manuali cap. 21. n. 5. Facundes in Ecclesiæ præcepta, præcepto 1. lib. 2. cap. 3. nu. 8. Taceo breuitatis gratiâ Barbosam & aliôs, inter quos sunt Antonin. Turrecremata, Toletus, Lugo, Genebrard. Bonacc. Piasecius, Portel, Siluester, Nugnus, Rosella, Armilla, Tabienna & Calderin. Ex quibus omnibus plusquam probata manet 1. nostræ propositionis pars.

Nunc progrediendum est ad 2. propositionis partem probandam, videlicet quod non possint sæculares cogi ad audiendam Missam in Ecclesiis Parochialibus, quæ licet ex probatione primæ partis manifestè sequatur, aliundè tamen probanda est: ac 1. Quia iura Pontificia, quorum partem priuilegia constituunt, abrogare non possunt Episcopi, aut tollere, aut restringere, alioquin inferior Prælatus in superiorem exerceret potestatem. 2. quia Episcopi non possunt tollere consuetudinem generalem toto orbe receptam, quæ propterea ad ius commune pertinet: quod autem sit illa consuetudo non audiendi missam in Parochia diebus festis probat testimonium doctorum præcitatorum asserentium vbique terrarum vigere: probat etiam Bulla præfata Clem. VIII. illam antiquissimam esse affirmantis: probant denique tot querelæ in libellis supplicibus parochorum illam affirmantium; quocirca Genebrardus in Liturgia cap. 26. Parochis Parochianos ab audiendis missis iuxta illam consuetudinem impedientibus de tyrannide reprehensis sic concludit: omninò faciunt contra ius & libertatem Ecclesiasticam; Quocirca Zerola Episcopus in Praxi Episcoporum part. 1. verb. Missa, arbitratur ex sententia Cōgregationis Cardinalium seculares ad id cogi non posse: nisi auctoritate Concilij generalis: redditque suæ sententię hanc rationem, eò quòd hæc sit vna ex causis maioribus Ecclesiæ vniuersalis; circa quam proindè solus Papa, vel ex eius commissione Concilium generale potest disponere, cap. *Maiores*, de Baptismo: ideò non est mirandum, si Clemens V. in Concilio generali Viennensi cap. *Frequens* de excessibus Præl. acriter reprehendat quosdam Prælatos, Qui vt ipse ait *per grauium intermissionem pœnarum impediant, ne aliqui Missas audiant Religiosorum*, quibus id prohibet his verbis: *Vniuersis itaque Prælatis Ecclesiarum præsentis Sanctionis edicto districtè præcipiendo mandamus, quatenùs ipsi à prædictis grauaminibus cessantes, & cessare suos subditos facientes viros Religiosos exemptos, & non exemptos, Mendicantes, & non Mendicantes, charitatiuè tractent, & foueant: & sua iura, & priuilegia inuiolabiliter seruent.* Sic Clemens V. quibus subscribit Paulus III. Bulla *licet debitum* in fauorem societatis IESV emanata à Greg. XIII. confirmata B. *Etsi per priuilegia*, dum ferè eisdem verbis nostram propositionem confirmat. Illis omnibus etiam suffragatur præfatus Pius proximè citata Bulla, verbis sequentibus, *Ac etiam quicumque vtriusque sexus Christi fideles totius anni tempore illas, & illa, id est, Missas, & Diuina officia in Ecclesiis Fratrum huiusmodi audire possint: ipsique Christi fideles vllatenus desuper molestare, aut impedire per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, seu alios quoscumque vllo pacto, causa, vel occasione non valeant, seu debeant.* Sic

Digitized by Google

Pontifex. Successiuè id etiam disponit Clemens VIII. in proximè citato Breui; in quo mandat Archiepiscopo Tricariensi, vt faciat per Archiepiscopum Cameracensem, & Episcopum Attrebatensem, vt Parochos contineant: illosque ab euocatione populi; ac à propositionibus quidem tollitur libertas populo audiendi Missas in Ecclesiis Priuilegiatorum supradictis diebus (videlicet Dominis, & Festis aliis maioribus) abstinere faciant. Ac propterea prædictis decisionibus inhærendo sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum sub data 22. Nouembris 1591. in cap. 4. sess. 24. eiusdem Concilij declarauit, *Episcopum non posse cogere Parochianos, vel pæna spirituali, vt sub peccato mortali, aut sub pæna excommunicationis, aut pæna temporali; vt multa pecuniaria, ad audiendam Missam, vel Concionem in propria Parochia, etiam in casu negligentia, aut contumacia.* Dices tenentur Christiani doctrinam fidei & morum addiscere: festa & ieiunia obseruanda, sub mortali obligantia scire: impedimēta matrimonij, si quæ sint, dum in prono denunciationes à Parocho fiunt: necnon etiam reos, cum monitoriæ literæ ab eodē leguntur & pronunciantur, reuelare: at his omnibus satisfacere nullatenus queunt, nisi missæ Parochiali; in qua hæc omnia Parochi peragunt, personaliter intersint; ergo obligantur eidem interesse. Respondetur 1. hoc argumentum si valeret, concludere quod omnes seculares non solum tertia quaque Dominica die, sed etiam singulis Dominicis diebus personaliter interesse obligarentur, quod nemo sanæ mentis dixerit. Respōdetur 2. quod alia existunt media, quibus hæc Christianis innotescere possunt, quibus Ecclesia hucusque vsa est. 3. quod à multis sæculis Parochi apud sedem Apostolicam de hoc prætenso abusu sæpe conquesti sunt, vt etiam ex iure patet; qui tamen licèt auditi nusquam fuerunt exauditi, quod manifestum est signum, Papam maximis rationibus retrahi, ne fidelibus huiusmodi onus imponat, quarum aliquæ, sunt forsan sequentes, videlicet, quod illo tempore, quo Parochialis celebratur, negotia quamplurima gerenda, necessitas domus, & personarum occurrant, distetque Ecclesia Parochialis, Missaque huiusmodi statis horis, nec breuis, sed multo tempore protrahatur & denique magna difficultas, vel potiùs impossibilitas illud onus portandi, quarum singulæ occasionem frequentis trangressionis illius præcepti proculdubio ministrarent.

Ex quibus concludere est, quàm perperàm agant Parochi, dum quibusdam constitutionibus Synodalibus freti, prumulgant, prædicant, & intimant latæ Sententiæ excommunicationem in parochianos, si saltem intra tres hebdomadas Missæ Parochiali in diebus Dominicis non intersint: cùm primò faciant contra priuilegia Regularium: & sic incidant in latæ sententiæ excommunicationem, vt diximus in vlt. cap. Tractat. de Priuilegiis. 2. Agant contra præceptum Pontificis in Concilio generali emanatum. Et 3. iurisdictione spirituali abutantur, promulgantes sententiam ipso iure nullam ex defectu potestatis in illam ferente. Quoad verò illam clausulam, quæ habetur in præmissis Bullis Leonis X. & Clem. VIII. videlicet, *Non contempto proprio Sacerdote Parochiali*, Peirinus de Priuileg. Regular. constitut. 21. eiusdem Leonis, ait tunc solùm censeri contemptum proprium Sacerdotem quando expresè & formaliter contemnitur; & planè deseritur Parochia: scilicet quando quis non vult audire Missam in sua Parochia, quia sua Parochia est, nec vult eam audire à proprio Parocho; quia præcisè proprius Parochus est: alioquin auditurus, vt tenet Barbosa post Laërtium Cherubinum collecta 474. Imò citati supra Azor in fine. Guttier. nu. 17. & Fagundez nu. 9. nomine contemptus intelligunt expressum contemptum cum indignatione & conuitiis in proprium Parochum iactatis.

PROPOSITIO II.

SEculares sunt exempti ab obligatione confitendi peccata Parocho Parochiæ in qua morantur, nec possunt ad hoc ab Ordinariis cogi; si peccata sua Regularibus confiteantur.

Hæc propositio probatur primò quoad primam partem Extrauag. Ioannis XXII. in corpore Iuris inserta, de Hæretic. quæ incipit *Vas electionis*, in qua, priuilegiis Re-

gularium quoad ministrationem quorumdam Sacramentorum confirmatis, errorem Ioannis à Poliaco Doctoris Parochi prædicantis multos errores, & inter alios, quòd confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenerentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti, quem dicebat esse Curatum ipsum auditum, seque reprehendentem, ac palinodiam canentem, condemnauit, ac prohibuit huiusmodi errorem in posterum sustinere his verbis: *Falsum, erroneum, & à sacra doctrina deuium reprobamus de consilio Fratrum nostrorum. Vniuersis etiam & singulis districtiùs inhibentes, ne quisquam præmissos articulos damnatos, & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipsorum (vt potè à Catholicis mentibus respuenda) tenere audeat, asserere, vel docere.* 2. Ex Concilio Lateran. sub Leone X. quod caput *Omnis vtriusque sexus*, interpretando sic ait, *Talibus* (videlicet Regularibus Mendicantium) *præsentatis, & admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, constitutioni qua incipit,* Omnis vtriusque, *quoad confessionem, satisfecisse censeantur, sacro approbante Concilio statuimus.*

Quia verò quis potuisset arbitrari, peccata sic confessa iterum Parocho esse confitenda, declarat Bonifacius VIII. Extrauag. quæ incipit, *Super cathedram*, de Sepulturis, quòd peccata sic confessi non teneantur ampliùs confiteri his verbis, *Ne confessi ipsis Fratribus peccata illa, de quibus confessi sunt eis, & absoluti pœnitentes, de istis Sacerdotibus proprijs teneantur, sicut etiam non tenentur, iterum confiteri.* Nec dicendum, ad id opus esse consensu Parochorum; quoniam Clemens IV. vt habetur in Compend. priuil. Minorum, verb. *Absolutio quoad sæculares*, §. 2. sic decernit, *Vt Fratres de licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum, & multò ampliùs summi Pontificis possint audire confessiones, & absoluere, aliorum Prælatorum & Rectorum Ecclesiarum assensu nullatenus requisito.*

Quæ sententia ita vera existit, vt contrarium sentientes à Bonifacio sint excommunicari, atque absolui non possint, nisi Sedi Apostolicæ personaliter se præsentent, vt annotat Corduba in annotat. in dictam concessionem: quocircà Sixtus IV. bulla 33. illos puniendos ab Inquisitoribus generalibus hæreticæ prauitatis decernit, vt de hæresi suspectos, qui confessos Regularibus, iterum Parochis peccata eadem cõfiteri, quasi nulliter confessos, obligatos esse affirmant. Quibus astipulatur Clemens VIII. in præmemorato Breui Episcopo Tricariensi directo, verbis sequentibus, *Præsenti nostro Decreto sancimus, tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis Priuilegiatis prædictis quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam Quadragesimali & Paschali, & quouis alio tempore, confiteri licitè posse.* Et postea sermonem ad Episcopum Tricariensem dirigendo sic pronunciat, *Vtque Parochos in eorum officio contineat, illosque ab auocatione populi ab Ecclesiis Priuilegiatorum, atque etiam à propositionibus quibus tollitur libertas populo confitendi peccata, etiam in Paschate ipsis Priuilegiatis, abstinere faciant.* Hæc Pontifex. De quibus sermo prolixior, cum eorumdem repetitione, habebitur inferiùs in Tractatu de Confessariis.

Iam ad probationem partis secundæ veniendum est, videlicet quòd Ordinarij non possint secularibus prohibere, emittere confessionem coram Sacerdote regulari. Ratio est, quoniam Ordinarij non habent potestatem supra ius commune, nec supra concessiones Pontificum, vt manifestum est: nam inferior in superiorem potẽstate minimè gaudet. Cùm ergo probatum sit, hanc exemptionem secularium esse de iure communi, vel saltem de iure Pontificio, in hac exemptione nihil possunt; idque fusiùs probabitur in Tractat. proximè dicto de Confessariis.

PROPOSITIO III.

SÆculares sunt exempti & liberi à censuris, & correctione Episcoporum, si contra eos latæ sint, cùm audiunt in Ecclesiis Regularium conciones, Diuina officia, & in eisdem orant.

Probatur propositio ex dicto Breui Clementis VIII. his verbis, *Vtque Parochos in*

eorum officio contineant, illosque ab auocatione populi ab Ecclesijs Priuilegiatorum abstinere faciant. Quod etiam Clemens IV. in fauorem Eremitarum Diui Augustini similiter per Bullam statuerat, coercendo Prelatos Ecclesiarum, ac Rectores, & Clericos qui subditos suos sub excommunicationis, & Interdicti pœnis pro libito, & sine causa rationabili, & per substractionem sacramentorum Ecclesiasticorum, ne ad eorumdem Ecclesias pro officiis accederent, prohibebant: vt habetur in Compendio priuilegiorum Mendicantium verb. *Ecclesia Fratrum*, §. 4. hia verbis, *Inhibuit districtè ne talia, aut similia in ipsorum Fratrum praiudicium de catero facere attentarent: pracepitque quatenùs huiusmodi inhibitionem obseruarent, à pradictorum Fratrum indebitis grauaminibus, ac iniuriis in posterum desistentes.* Sed Pius V. explicando Decret. sess. 22. quo mandatur hortari populum, vt ad Ecclesias Parochiales conueniat, expressè hoc determinat, loquendo de auditione Missarum, Diuinorum Officiorum, & Prædicationum his verbis, ex Bulla sæpiùs citata, *Etsi Mendicantium*, decerptis. *Ac etiam quicumque vtriusque sexus Christi fideles totius anni tempore illas, & illa in Ecclesiis Fratrum huiusmodi audire possint: ipsique Christi fideles vllatenùs desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque vllo pacto, causa, vel occasione non valeant, seu debeant.*

PROPOSITIO IV.

SEculares sunt exempti ab obligatione eligendi sepulturam in Ecclesiis Parochialibus, & à sepultura in eisdem: possuntque eligere sepulturam in Ecclesiis quibuscumque etiam Regularium, nec possunt ab Ordinariis prohiberi.

Antiquissimis temporibus varius erat de sepeliendis hominibus in sepulchris mos; quidam enim in sepulchris patrum suorum sepeliebantur: alij verò minimè: de Adamo enim scriptum est, quòd in Ciuitate Aabeæ sepultus est, Gen. 25. sed non omnes filij eius ibi sepulti sunt. Abraham etiam ibi sepultus est: sed filij quos de Cetura genuit, non fuerunt ibi sepulti: ibi etiam Isaac est sepultus; sed Esaü cum eo non est tumulatus. Iacob denique ibi tumulatus est, sed nullus ex filiis, præter Ioseph, ibi sepultus est. Ex quo sequitur, quòd exemplo istorum antiquorum liberum est in sepulcris Patrum sepeliri, aut non sepeliri, nec vlla lege contra hanc libertatem quidquam præscriptum reperitur.

Solum reperio Hieronymum relatum 13. q. 2. cap. *Ebron*, qui ex exemplo quarumdam antiquarum mulierum, Euæ scilicet, & Saræ, & aliarum quæ in sepulchris virorum suorum sepultæ fuerunt, sic concludit, *Quos coniunxit vnum coniugium, coniungat sepulcrum, quia vna caro sunt: & quos Deus coniunxit, homo non separet.* Et Augustinus eodem citato loco cap. 3. conformiter ad Hieronymum sic pronunciat, *Vnaquaque mulier sequatur virum suum siue in vita, siue in morte.* Et Gregorius eodem cap. de fratre & sorore idem sentire videtur, his verbis, *Soror Beati Benedicti sepulta in sepulcro quod ipse sibi praeparauerat, vt quorum mens vna fuit semper in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separet.*

Verùm hæc omnia de decentia, non de obligatione intelligi debent: nam Augustinus libertatem eligendi sepulturam tanquam defuncto vtilem valde commendat verbis sequentibus, quæ habentur in lib. de Cura pro mortuis, *Cùm recolit animus vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus: cùm ergo fidelis mater filij defuncti corpus desiderauit in Basilicam Martyris poni: siquidem credidit eius animam meritis Martyris adiuuari. Hoc quod ità credit, supplicatio quadam fuit: & hac profuit, si quid profuit.* Additque post aliqua verba, *quòd verò quisquam ad memoriam Martyrum sepelitur, hoc mihi videtur prodesse defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus supplicationis pro illo augeatur.*

Ex

Ex quibus & libertatem eligendi sepulturam colligo, & vt vnum ex motiuis illius electionis existere auxilium & preces Martyris, & Sancti illius Ecclesiæ, in qua eligitur sepultura. Augustini sententiæ subscribit idem Gregorius citatis anteà causa & qu. cap. 4. his verbis generalibus, *Vltima voluntas defuncti modis omnibus conseruari debet*, quasi dicat, voluntas defuncti quoad dispositionem bonorum, & quoad electionem tumuli, modis omnibus conseruari debet.

Quibus inhærens Gregorius IX. cap. *Tua*, de Testamentis, Episcopis præcipit, vt sedulò super hoc inuigilent, innixus Authenticæ de Ecclesia. §. *Si quis autem pro redemptione*, collat. 9. in qua Imperator sic fatur, *In omnibus autem piis voluntatibus defunctorum volumus sanctissimos Episcopos prouidere, vt secundum voluntatem defuncti omnia procedant.*

Clarius tamen antè proximè dictum Greg. Alexand. III. in Concil. Lateran. tit. de Sepult. hoc decreuerat his verbis, *Liceat vnicuique, vbi voluerit eligere sepulturā*, & successiuè Bonifacius VIII. vt habetur cap. *Licet*, de Sepult. in 6. decernit, *Filium familias quando ad annos pubertatis venerit, & habuerit bona castrensia, aut quasi castrensia, posse sibi eligere sepulturam*, quod etiam supponitur in concessione facta Minoritis à Clement. IV. E. *Virtute conspicuos*, à Sixto IV. B. *Regimini*, confirmata, & à Clement. V. in Concilio Viennensi, Decretali quæ incipit *Dudum*, his verbis, *Huiusmodi statuto adjicimus, vt Fratres dictorum Ordinum, videlicet Prædicatorum, & Minorum in Ecclesiis, vel locis suis, vbilibet constitutis, liberam habeant sepulturam: & quòd omnes iam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis.*

Confirmatur hæc veritas, ex Authenticis, Sententiis, seu Placitis Supremi Senatus Pariensis. 1. sub data die 9. Iulij 1612. in fauorem Fratrum Minorum Conuentus Andegauensis: altero sub data die vltima Maij 1631. in fauorem omnium Conuentuum, & Ecclesiarum, in quibus defuncti aut eorum consanguinei, vel heredes elegerint sepulturam: 3. sub data die 1. Septembris 1623. in fratrum Prædicatorum fauorem: 4. sub data die 5. Decembris 1631. in fauorem omnium Regularium de anno 1646. die verò 27. Martii Parochis omnibus, & Regularibus eiusdem ciuitatis Parisiensis contradictoriè auditis pronunciato, quo eodem modo quo in aliis sententiis determinatum fuit in eumdem finem in quem duo priora emanarunt. In quibus omnibus Arrestis nulla fit mentio de electione sepulturæ facienda testamento, sed tantùm quòd fiat scripto simplici, aut verbo tenùs, iuxtà beneplacitum defunctorum, aut consanguineorum, vel heredum eorumdem.

Imò possunt iidem sæculares renuentibus Parochis, corpora defunctorum huiusmodi ad Ecclesias Regularium, vbi elegerint, sepulturam, deferre, absque obligatione prius illa ad Ecclesias Parochiales, aut alia loca deferendi. Sic declarauit Sixtus IV. prædicta bulla, interpretando prædicti Clementis IV. concessionem, vt habetur, etiam in Compendio Mendicantium verb. *Sepultura*, & hæc sufficiant de libertate secularium ad sepulturam eligendam.

Nunc veniendum ad illud, si Ordinarii possint illis hanc libertatem prohibere: & manifestum est non posse. 1. Quia illis prohibitum est facere contra ius commune, & contra consuetudinem vniuersalem Ecclesiæ. 2. Quia id expressè prohibuit Innocentius IV. relatus in Compendio Mendicantium, verb. *Sepultur.* num. 1. His verbis. *Innocentius IV.* B. Cùm à nobis *concessit, vt in Ecclesiis Fratrum Minorum sit libera sepultura, ita vt nullus valeat impedimentum præstare, quominus possint omnes volentes ibidem liberè sepeliri, salua tamen iustitia Ecclesiarum Parochialium.* Quam clausulam etiam adhibuit prædictus Clemens IV. his verbis, *salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus corpora defunctorum assumuntur.* Iustitiam autem illarum Ecclesiarum Sixtus IV. Bulla citata, declarauit esse portionem canonicam. Plura de huiusmodi exemptionibus secularium hîc congerere possem, vt de exemptione recipiendi sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis à Parochis ob confessionem factam Regularibus; sed de his, & aliis in Tractatibus de Priuilegiis spectantibus ad Hierar. Ordinis fusissimè agemus. Nunc autem vniuersaliter probandum est nullos sæculares obligari præceptis Episcoporum aduersantibus regularium Priuilegiis.

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

NVlli feculares laïci vel clerici, vel etiam Parochi obligantur Epifcoporum præceptis, factis aduersùs priuilegia regularium; & fi eis obediant & faciant contra dicta priuilegia, peccant mortaliter.

Hæc propofitio duabus conftans partibus, licet fatis in genere in 1. tract. fit probata, nihilominus adhuc fpecificè probatur, & quoad primam partem. 1. Quoniam non tenentur fubditi fuis obedire Epifcopis, in iis in quibus nullam habent poteftatem; nullam autem poteftatem ad huiufmodi præcepta facienda habent Epifcopi; ergo in illis non tenentur eis obedire. Prima propofitio certa eft & euidēs apud omnes; cum poteftas fit principium, a quo folo exeunt præcepta. Secunda patet ex cap. *Quantò ampliùs*, de priuileg. in quo Honorius III. poft narratam querelam fratrum Cluniacenfis Ordinis, fuper eo, quod contra priuilegia fibi concefla, videlicet, quod feculares in fuis molendinis molere, & in fuis furnis coquere, &c. poffent, Archiepifcopi & Epifcopi non in dictos regulares; fed in feculares molentes & coquentes fententias excommunicationis, &c. pronunciabant, vt fic à molendinis, & furnis, &c. eorumdem fratrum, feculares auerterent: & poft vituperatum hunc agendi modum illorum Prælatorum, fic pronunciat aduersùs eos: *Nolentes igitur hac crebris ad nos clamoribus iam perlata vlteriùs fub diffimulatione tranfire, vobis vniuerfis & fingulis mandamus, quatenus huiufmodi fententias in fraudem priuilegiorum noftrorum de cætero non feratis: quia fi fuper hæc ad nos denuò clamor afcenderit, non poterimus conniuentibus oculis pertranfire, quin promulgatores talium fententiarum feueritate debita caftigemus.* Hæc Pontifex, quibus apertè conftat Prælatos Ecclefiafticos non habere poteftatem præcipiendi fecularibus in iis, quæ priuilegia regularium refpiciunt.

2. Quoniam priuilegia regularium iura Pontificis; non poffent autem Epifcopi agere aduerfus iura Pontificis: ficut nec Parochi contrà iura Epifcoporum; ergo non poffunt facere contra regularium priuilegia; ergo præcipientes aliquid fubditis aduersùs dicta priuilegia, ipfi non tenentur illis obedientiam præftare, præcipuè verò in quibufdam, in quibus & ipfi habent à iure priuilegium, vt habent Parochi, qui cùm à iure poffideant facultatem prædicandi, & audiendi confeffiones independenter ab Epifcoporum licentia, poffunt vtique, ipfis contradicentibus, & prohibentibus, femel approbatis vel indebitè recufatis regularibus permittere vt prædicent & audiant confeffiones in fuis Ecclefiis, & Parochiis; quod apertè de prædicatione habetur Clement. *Dudum* de fepult. his verbis: *In Ecclefiis autem parochialibus fratres illi nullatenus audeant, vel debeant prædicare, enifi, &c. de ipforum fcilicet Parochorum beneplacito & affenfu, feu petita licentia fuerit & obtenta: nifi Epifcopus vel prælatus fuperior per eofdem fratres prædicari mandaret.* Quibus vides quòd ex iure communi de folo affenfu feu licentia Parochi, poteft regularis prædicare in dictis Ecclefiis: quando autem aliquid in iure alicui abfolutè conceditur, poteft illud quolibet contradicente exercere; ergo contradicentibus Epifcopis Parochi, poffunt Regularibus permittere, vt in fuis Ecclefiis prædicent. Sic, vt Epifcopi ex eodem iure poffunt etiam illis permittere prædicationem in eifdem Ecclefiis, contradicentibus Parochis, de quo iure inferiùs in tract. de prædicatoribus.

Probatur 3. ex multis cenfuris Pontificum, de quibus in proximè, dicto tractatu diximus, & alibi dicemus aduersùs Epifcopos huiufmodi præcepta imponentes vt in peccantes, latas: & ex fententiis eorumdem huiufmodi præcepta & cenfuras pro nullis declarantibus, quæ omnia euidenter teftantur prædictos feculares huiufmodi præceptis & cenfuris Epifcoporum, non teneri obedientiam præftare.

Quod autem peccent mortaliter, fi eifdem præceptis, faciendo contra priuilegia regularium, obediant, probatur 1. quia faciunt contra tot graues prohibitiones Pontificias fub cenfuris & pœnis ipfo facto incurrendis latas, de quibus in proximè dicto tractatu egimus. 2. Quoniam fic facientes non aliter fe gerunt, ac illi

qui agrum inuito domino vsurpant: sicut ergo illi vsurpatores mortaliter contra iustitiæ virtutem peccant; sic huiusmodi seculares Episcopis in dictis præceptis parentes, mortaliter peccant, eum regulares in suis iuribus nequaquam agro minoribus lædant. Videant ergo parochi quod peccato mortali & censuris irretiuntur, si huiusmodi præceptis freti impediunt regulares ne prædicent, ne audiant confessiones, neve eleemosynas quæritent. & missas celebrent: & ab huiusmodi crimine, timore Dei, magis quam hominis, perculsi in posterum abstineant.



CAPVT VIII.

DE QVIBVSDAM AB ORDINARIIS, ET REGVLARIBVS IN MODO PROCEDENDI CIRCA PRIVILEGIVM exemptionis obseruandis.



Voniam sæpiùs tum Regulares, tum Ordinarij errant in modo procedendi iuridico circa Exemptionis priuilegium, ideò aliquas propositiones hic inserere iudicaui Circa citationem, Appellationem, potestatem ordinariam Episcopi, & delegatam, & etiam si in dicta delegata potestate succedat Vicarius generalis Sede vacante: Quando Episcopus contra exemptum procedere valeat? Quando vero non? Et quando Regularis ei exhibere priuilegia tenetur? Quando verò illa non exhibere?

PROPOSITIO I.

CItatio rei non est necessaria, quando notorium est, illum nullas habere defensiones.

Probatur cap. *Cùm sit Romana*. §. *Præterea*, de Appellat. & ex Cardinali in illud cap. accipe verba illius capitis. *Præterea si raptor sit, vel detentor alienæ rei, qui appellat, huiusmodi appellatio facta in iudicio apud Ecclesiasticas personas solet audiri, nisi fortè manifestus raptor, vel fornicator existat, sicut ille quem absentem & irrequisitum Apostolos excommunicauit.* Sic etiam tenet *Alexander* l. *Recusa*. ff. ad Trebelliam Baldus in l. *Nequidquam*. §. *vbi decretum*. ff. de Offic. proconsulis, & ibi Iason paulus de Cast. cons. 34. in fin vol. 2. & Marant. p. 6. verb. *Citatio*. num. 37.

Illud autem hoc loco notorium est, quod nulla tergiuersatione tergiuersari, & nullo Iuris remedio excusari potest, vt habetur cap. finali de Cohabitat Cleric. & mulier. Huius generis sunt iuxtà Flaminium Cart. tit. de Executione sentent. Capto, Bannito num. 429. & iuxta Castrens. cons. 354. *Bannitis*, & iuxta Muscar. conc. 860. *Latrones publici & Hæretici, vt tales declarati.* Ex quibus concluditur, quòd in aliis criminib⁹, & maximè in rebus dubiis dari debēt defensiones, cùm sint iuris natura-

lis & diuini, vt docet Bartolus cum aliis in Extrauag. *Ad reprimendum*. num 6. & infiniti ferè alij Doctores, quod ita verum est, vt iuxta Rotam decis. 354. de Dolo, & contum. in nouis. & paris. consil. 28. *Etiam Diabolus est audiendus.* dixi maximè si res est dubia: quoniam id etiam determinauit Alexand. III. scribens Archiepiscopo Toletano cap. *Consuluit*. de Appellat. His verbis, *Cum multa dicantur notoria quæ non sunt, ponderare debes, ne quod dubium est, pro notorio videaris habere.*

Quocirca citatus Castrensis cons. 412. lib. 2. col. 3. concludit, si res est dubia in notoriis defensiones & citationes dari debent. Errant ergo Iudices, Episcopi, & alij prælati, qui reos non citant, antequam castigent: errant etiam, si illos citent, & non dent illis citationis copiam, quę dari debet reis etiam intra locum iudicij; non tantùm ad effectum notitiæ, sed etiam vt instructi, & parati veniant, quia est species defensionis vt tenet Bald. in lib. 1. col. 1. versic. *Sed & hic quæritur. C. Quo & quando Iudex.* Socinas col. 2. cons. 12. Marant. p. 6. de citat. mem. num. 3. & Clement. *Pastoralis.* de Iud. §. *Cæterum.* & cap. *Quoniam.* de probat. Ac etiam eiusdem sententiæ est Riccius resolut. 174. Caputaq. p. 1. decis. 109. atque hæc veritas sic extenditur, vt si quæ citato ad vnum actum faciendum facta fuerit, non valeat pro alio diuerso, vt docent Tuscus concl. 231. Ancharan. cons. 406. quoniam condemnati ad sententiam, licèt citati ad processum; sententia est nulla, quia dicitur indefensus, vt tradit idem Tuscus verb. *Sententiæ*, concl. 152. & Socin. cons. 255.

Nec obstat, quòd sciat causam ob quam citatus, quoniam requiritur vt paratus & instructus compareat; quod meliùs fit per citationem literalem, quàm verbalem.

Objicies, iudicem in tuitione iurisdictionis propriæ posse absque citatione, & monitione reos excommunicare, vt habetur cap. *Dilecto*, de Sentent. excommunic. in 6. & ibi Francus, Ioannes, Andr. & Domin. Felinus in cap. *Cùm sit Romana*, in 16. de Appell. & in cap. *Sacro*, de Sentent. excomm. num. 6. Socinas in cap. *Perpendimus*, n. 122. eod. tit. Mileus in verb. *Citat. Partis*, Vgolinus de Cens. Tabula 1. cap. 18. num. 2. Campanil. in diuers. iuris rubric. 12. cap. 13. num. 53. & 54. Aloiſ. Riccius tom. 2. decis. 241, num. 2. Lapus alleg. 73. vbi dicit: quòd in excommunicatione pro iurium defensione non requiritur scriptura, limitando textum in cap. 1. de Senten. excommun. in 6.

Respondetur, valere obiectionem, dummodò tres conditiones reperiantur. 1. quòd Iudex possideat notoriam iurisdictionem, & quæ non sit sub lite. 2. Quòd illam notoriam iurisdictionem possideat ad excommunicandum illum reum. 3. Quòd adhuc non sit motum iudicium, & positum in forma processus, & sententiæ, quia tunc cœptum iudicium tenetur Iudex prosequi, cum omnibus solemnitatib⁹, & circumstantiis necessariis, vt tradunt Bald. in l. *Diffamari*, col. 1. vers. 2. app. C. de Inge. Mand. Glos. *Singularis*, in C. *Proinde*, Alex. in l. *Virum* col. 1. ff. *Si ea per* in addit.

Objicies iterum, in dubiis semper credendum est Iudici. Respondetur, hoc axioma non valere, quando Iudex aduersus exemptos procedit, iuxta ea, quæ docet Abbas & Felinus in cap. *Super literis*, de priuileg. vt inferiùs dicemus. His obiter notabis, quòd citatio principalis ad sententiam, quando habuit procuratorem, qui comparuit in causa, non valet, nisi etiam procurator citetur, vt tenet Tuscus concl. 238. & Bartol. l. *Furiosi*, ff. De re iudic.

PROPOSITIO II.

APpellatio legitima est deuolutiua ac etiam suspensiua.

Hæc veritas certa est sacris Canonibus, pręcipuè ex capitibus, *Ad hæc*, 3. 4. 5. de Appellat. & ex Doctoribus Alexand. consil. 89. lib. 1. Federico de Senis consil. 248. Romano consil. 41. Oldr. consil. 255. Tasco concl. 358. 371. 376. 377. & aliis absque numero, cum quibus conc... sacræ Congregationis Cardinalium decisiones in materia excommunicationis, & suspensionis, quas vide apud Hieronymum Roderic.

resolut. 112. num. 10. & Portel verb. *Prædicator.* num. 8. & Andræam in suis Remiss. ad cap. 3. 25. de Reform. vbi id etiam de delegato à Papa definitur his verbis. *Cum Ordinarius tanquam delegatus mandat aliquid sub pœna excommunicationis, potest appellari etiam quoad effectum suspensiuum, ita vt excommunicatio lata nulla sit.* Sic Congregatio, & hoc affirmant Glossa in cap. *Præsenti*, verb. *Ad Cautelam.* Lapus alleg. 48. num. 3. Federic. consil. 11. Calderin. 5. 7. Zabarella consil. 119. Tuscus concl. 451. Geminianus consil. 99. num. 3.

Hæc veritas quæ ab omnibus tuetur, quasdam pariter exceptiones ac primam quando appellatio est à futuro grauamine, non est suspensiua vt decernitur ca. *Inter cætera*, & cap. *Consuluit.* de Appellat. quoniam vaga, & proinde nulla, & nullius effectus.

Verùm hæc exceptio duas patitur restrictiones. Prima est, quando fit de futuro grauamine à certo iudice, in causa particulari, & sub est iustus timor de re præsenti, est suspensiua, vt tenet Tuscus cum Abbate & Gandulf. ab eo citatis conclus. 365. Et probatur expressè ex citato. *Consuluit.* in quo sic habetur, *Si generaliter quis petitionem interponeret ab omni grauamine, quod sibi posset contingere, huiusmodi appellatio tenere non debet. Si verò ab aliquo iudice super omni grauamine quod in vna causa sibi possit inferri, quamuis appellatio generalis sit; appellationi tamen eius est ab eodem iudice deferendum.*

2. Restrictio est, cùm quis ante motum iudicium à futuro grauamine appellationem interponit, quæ vocatur appellatio extra iudicialis, quæ suspendit iurisdictionem, vt docet Glossa in cap. *Sicut*, de Appellat. in 6. vers. *A futuro*, & hæc est secunda restrictio primæ exceptionis de appellatione à futuro grauamine, quæ, vt diximus, non suspendit iurisdictionem.

2. Exceptio est, quòd appellatio in spectantibus ad visitationem non suspendit iurisdictionem, vt communiter tenent Doctores, & inter alios Rebuff. in tract. de Sentent. prouis. in præfat. num. 37. & 38. Sigismundus Scaccia de Appellat. quæst. 17. limitat 26. & Riccius in Praxi aurea resolut. 7. num. 2. qui vltimus hanc reddit rationem, cur decreta visitationis non admittant appellationem, videlicet quia Prælatus visitans solùm procedit per modum prouisionis; Attamen appellatio cum suspensiuo effectu interponitur, quando in visitatione iudicialiter, & cum causæ cognitione procedit, vt constat ex declaratione congreg. Cardinalium super negotiis Episcoporum præpositorum quam refert Zerola in Praxi Episcop. p. 2. cap. 4. nu. 6. §. *In causis verb.* Quaranta verb. *Archiepiscopi auctoritas.* num. 20. & Genuensis in Praxi cap. 88. num. 5.

3. Exceptio est, quòd appellatio non habet effectum suspensiuum in causis quę celerem expeditionem requirunt, & esset periculum in mora (verbi gratia) sunt omnes vocales in capitulo congregati ad certum diem pro facienda electione Prouincialis vel Generalis alicuius Ordinis, tunc appellatio non suspendit, sed potest fieri electio, ea non obstante; habet tamen effectum deuolutiuum ad superiorem. Sic l. fin. de Appellat. recipiend. Iason in l. 1. ff. de feriis. Speculator in tit. de Appellation. §. *In quibus vers.* 8. nu. 1. Lancelotus de Attentar. 3. p. cap. 28. nu. 56. Robert. Marant. de Ord. iudic. p. 6. verb. *Et quando appellatur*, num. 330. & Scaccia de Appellat. qu. 17. Limit. 9. num. 1. & sequent.

4. Exceptio est, quando à sententia seu processu alicuius legitimi Prælati appellatio fit ad illius iurisdictionem auferendam, aut impediendam; tunc enim non habet effectum suspensiuum iurisdictionis illius: quæ exceptio vera est, cum limitationibus appositis in propositionibus de citatione, & de facultate Iudicis delegati; inter quas præcipua est, vt certum sit iudicem habere iurisdictionem in reum, in quem procedit. Ex quibus concludes reum non suspendere sententiam iudicis per appellationem, quando constat quod interponitur ad aufugiendam seu impediendam iurisdictionem, si crimen notorium est, vt verbi gratiâ, cum interponitur à reo, qui in auditorio iniuriis iudicem afficit, sed ea nonobstante potest illum pœnis plectere etiam interdicti personalis & suspensionis; quoniam hæc duo in hoc euentu sunt pœnæ, aliter autem iudicandum est, cum hæc duo imponuntur, vt sunt simpliciter censu-

ræ, quia tunc requiritur contumacia & reus citandus est. Sic docent Canonistæ præcipuè Auila de Censuris in 2. & 3. parte.

5. Quod exceptio quando à sententia superioris aut ab illo delegati appellatur, cuius conscientia per legem aut rescriptum onerata fuerat in procedendo; nō enim tenetur superior aut ipsius delegatus deferre appellationi; superior tamen ad quem est appellatum, tenebitur emendare sententiam, si iniusta sit Panormit. in Clement. *ut constitutio* de iure patronat. num. 4. & Peyrin. in Bull. 19. Leon. X.

PROPOSITIO III.

Vicarius Generalis Sede vacante succedit Episcopo in potestate ordinaria, at verò in delegata non succedit.

Probatur quòd succedat in ordinaria ex cap. *Cùm olim*, & cap. *Cùm his qui*, de Maioritate, & obedientia, & cap. vnico eodem tit. in 6. ac etiam Cap. *Ad abolendum*, de hæreticis, & denique ex cap. penult. & fin. de supplenda negligentia Prælatorum: ac sic etiam tenent Pauinus de Offic. & potest. cap. *Sed vocant.* p. 1. quæst. 1. & 2. Cuchus Instit. Moral. lib. 2. tit. 9. num. 50. & 39. Felinus in cap. *Cùm omnes*, de constit. n. 10. & in cap. *Eam te*, de rescriptis. Guttier Can. qq. l. 1. c. 11. n. 10. Corras. de Benef. 2. p. c. 7. n. 2. Federic. consil. 30. Purpur. consil. 7. & Nauarr. consil. 44. De tempor. ordinandorum.

Quòd autem non succedat in potestate delegata, decisit Rota decis. 6. de Offic. deleg. in antiq. & in vna Burgensi visit. 1. Iunij. 1597. & in alia Burgensi 10. Martij 1597. quas refert Riccius resolut. 28. sic etiam opinantur Abbas cap. *Cùm olim*, qu. 5. Roman. 106. num. 4. Horat. Mand. addit. vlt. lit. I. Felin. cap. *Cùm te*, num. 14. & cap. *Cùm Olim*, ad 10. quæst. Decius in C. Quin. Azeued. lib. 1. Cur. Pisan. c. 8. num. 12. Sbroz lib. 1. quæst. 56. num 1. Pauin. de Off. & potest cap. Sed. vac. quæst. 10. art. 20. Riccius Resol. 28. Tuscus verb. *Capitul. Sede vac. concl. 6.* Azor. lib. 3. cap. 39. Garsias quæst. 5. cap. 7. num. 42. Innocent. cap. *Cùm in cunctis*, num. 7. Sanches de Matrim. lib. 8. disput. 2. num. 10. Barbosa Past. Alleg. 36. num. 10. Graffiis p. 2. l. 3. c. num. 20. Butrius in cap. *Verum*, de foro Compet. Suar de cens. disput. 41. sect. 2. n. 13. Federic. de Senis consil. 130. nu. 3. & consil. 292. Nauar. lib. 1. cons. 28. Siluester verb. *Capit.* num. 3. & seq. Layman. lib. 1. tract. 4. c 7. num 14.

Vt autem cognoscatur quando in Iure, Conciliis, aut Rescriptis potestas delegata conceditur, vel non: sciendum est duobus modis concedi. Primò quando hæc clausulæ apponuntur in concessione, quæ fit Ordinario, videlicet, *Tanquam Sedis Apostolicæ delegato*, vel, *Auctoritate Apostolica.* 2. Quando commissio Ordinario conceditur absolutè, in qua iurisdictio Ordinarij alteratur, & augetur, censetur fieri delegata, vt tradunt Glossa in cap. *Ad abolendum*, de Hæret. verb. *Delegatus*, Abbas in cap. *Graue.* de Offic. Ordinarij n. 5. Cocchier tom. 1. p. 2. qu. 2. nu. 3. cum Felino quem citat. Anchar. cap. *Hi qui*, de Præbend. & Glossa, & ibi Rota de Off. vic 7. in nouiss. & Suares de Cens. disput. 44. sect. 3. nu. 13. & hæc veritas eruitur ex cap. *Cum aliquibus*, de Rescriptis in 6. in quo Bonifacius VIII. sic pronunciat. *Cum aliquibus recipiendi aliquem in Canonicum per nostras Literas concedimus facultatem, si Canonicorum receptio aliàs in Ecclesia non spectat ad eos, quibus huiusmodi Literæ diriguntur, sed ex earum viribus, ipsi recipiunt potestatem: is qui recipitur, auctoritate Apostolica dignoscitur esse receptus. Si verò Canonicorum receptio aliàs pertinet ad eosdem, non Apostolica, sed recipientium censetur auctoritate receptus.*

Ex quibus 1. colligitur, quòd delegatio Apostolica datur sine prædictorum clausularum appositione. 2. Quòd commissio quæ Ordinario eo modo conceditur, si habeat ordinariam facultatem ad faciendum id, quod illi committitur, non est delegatio, sed ordinariæ potestatis excitatio. Quod etiam verum est, etiā si apponantur dictæ clausulæ commissioni, *Auctoritate Apostolica*, &c. ac sic tenent Abbas in cap. *Licet*,

Digitized by Google

n. 3. Felin. n. 1. de Offic. Ordinatij, Anchar. cap. *Cum quid*, de Reg. iuris n. 4. Crotus in lib. §. *Si quid simpliciter*, nu. 6. de Verb. oblig. Riccius in praxi Resolut. 449. nu. 1. & 2. Roderic. tom. 1. qu. 6t. att. 9. Sanch. lib. 8. de Matr. disp. 2. nu. 10. Martiens. lib. 5. Recapitulat. tit. 4. lib. 14. Glossa 1. n. 47. Garcias de Benef. p. 5. c. 7. n. 40. & 41. & melius. 49. Et in hac facultate quæ ordinaria est, succedit Vicarius Generalis Sede vacante.

Qui etiam succedit in potestate delegata à Canone, vel à lege, quia est ordinaria, vt tenent Glossa in verb. *Super*, cap. *Irrefragabili*, §. *Cæterum*, de Offic. Ordinar. Zabarella in Clement. vnican. 4. de Supplenda neglig. & ibi Anchatan. nu. 8. Riccius in Praxi, resolut. 449. n. 1. & 2. citatis, & cap. *A Iudicibus*. 2. qu. 6. Glossa in cap. 2. *Ne Prælati vices suas*, Fulgosius, in lib. 1. ff. de Offic. eius. Speculator in tit. de Offic. Ordin. §. *Constituit*. n. 1. atque hæc commissio à Canone dicitur excitatio iurisdictionis Ordinariæ, vt tenent præcitati Abbas, Felinus, & cæteri.

Quando verò Concilia, vel Pontifices aliquam facultatem Ordinario, aut aliis in exemptos exercendam impartiuntur, si illamet facultas à iure, aut consuetudine, non est illi concessa, tunc Ordinarius, & alij iurisdictione delegata in illos pollere dicuntur. Vt tenent Glossa in cap. Antecedit. *Ad abolendam*, de Hæreticis, verb. *Delegatus*. Abbas in cap. *Graue*, citatum de Ordin. potest. Coxier & Felinus citati: ac propterea cùm illa facultas delegata quæ in ordinariam transierat, à Conciliis, & à Iure in exemptos Regulares concessa, sublata fuerit Episcopis, & aliis quibuscumque per supra posita exemptionis priuilegia, quoties postea in Conciliis, & Pontificum Rescriptis datur in illos exemptos facultas, censetur prorsus delegata; ac propterea non transite ad Vicarium Generalem, Sede vacante.

PROPOSITIO IV.

QVando dubitatur de exemptione alicuius Regularis in aliquo casu, tunc Ordinarius non potest iudicare, nec suam iurisdictionem exercere.

Ratio huius propositionis est, quia ius iudicandi est penes possessorem, ordinarius autem non possidet exemptum, sed Papa; ergo non ad illum spectat iudicare dubia circa exemptionem. Confirmatur hæc veritas ex cap. *Ex parte* de verb. signif. sic tenet Rodet. tom. 1. qq. Reg. quæst. 56. artic. 12. cum Imola, Innocent. Ioan. Andrea & aliis doctoribus, quos citat: sic quoque censet Cochier. part. 2. quæst. 12. to. 1. vbi dicit: *Vtrùm tamen exemptus sit vel non, vel vtrùm priuilegium verum sit vel falsum, de his cognoscere non debet, quia esset Iudex in propria causa, & confirmatur ex Glossa in cap. Persona de priuilegijs, vbi dicitur pendente litigio super exemptione non potest iudex suam iurisdictionem exercere.* Et quemadmodum Dominus non potest cognoscere vtrum sibi iurisdictio competat in vassallum, vt docet Curtius de feud. pag. 7. num. 27. Sic nec Episcopus, si iurisdictio sibi competat in Regularem. Nec valet obijcere quod in dubiis semper credendum est iudici, quia hoc axioma, vt aliàs dictum est, non verificatur, nisi de iudice in ordine ad suos subditos, non verò per respectum ad exemptos, quoniam vt Abbas, & Felinus docent in cap. *Super literis*, num. 10. vers. *quartus casus*. num. 24. *Cùm citatus dicit se exemptum & Iudex negat, Iudex est suspectus in hac cognitione.* Ac proindè, cùm sit talis, non debet aduersùs illum procedere. Sed remittere illud dubium ad Papam exempti iudicem, vt illud decidat.

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

PRiuilegia exemptionis Regularium Mendicantium notoria sunt, aliisque affecta conditionibus existunt, ac propterea Regulares illa exhibere Ordinariis locorum minimè obligantur.

Notorium dicitur hoc loco priuilegium quod per sententiam, vel per confessionem factam in Iure, siue audientia, ac etiam aliis modis notorium est, cap. fin. de Cohabitatione Clericorum. Hoc posito prima pars, videlicet quòd priuilegia notoria sint, probatur ex Mari magno Dominicanorum. §. 47. in quo Sixtus IV. illa vocat notoria: quod similiter facit in omni alio Minorum, Augustiniensium & Carmelitanorum Mari magno, & hanc partem probat Ioan. Lomede in tract. de Exempt. cap. 8. adducitque hanc inter alias rationem, videlicet, *Non est verisimile, priuilegia & Exemptiones Ecclesiarum, Clericorum, siue Monasteriorum & Regularium in ea Diœcesi sitorum, & degentium, Episcopis esse incognita: nam iuxtà* §. Ordinarij, *de Pacific. possessore, Ordinarij inquirere debent, quo titulo possideantur Beneficia, Officia & Dignitates: respectu verò quarumdam Ecclesiarum, tàm Secularium, quàm Regularium, Capitulorum Cathedralium, quàm Collegiatarum, & Collegiorum illorum priuilegia & exemptiones Episcopi approbant: & sacramento confirmant, sicut regulariter in aduentu suo se obseruaturos priuilegia Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum; in quibus installantur Episcopi iure iurando promittunt.* Et post aliqua verba sic loquitur: *Qui fieri potest, Episcopum ignorare ista priuilegia, & exemptiones, sunt etiam Mendicantium priuilegia notoria, quis autem meliùs scire, & cognoscere potest subditos ipsismet Ordinariis, aut eorum Magistratibus, vsumque exemptionis: habent sua monumenta, & probationes quæ illos docent.* Hæc Lomede. Et confirmatur ex dictis in Tractatu de Priuileg. in communi & ex superius probatis quibus ostensum est, exemptionem Regularium cognitam à Clero in Comitijs Generalibus Regni Galliæ congregato, dum receptionem Tridentini postulauit, seruatis exemptionibus Regularium.

Quoad verò secundam partem, licet sufficienter fuerit in genere probata Tract. de Priuil. in communi, probatur tamen specialiter ex cap. *De manifesta*, & ex cap. sequenti. 2. quæst. vbi dicitur, *De manifesta & nota pluribus causa; non sunt quærendi testes*, vt quid enim adhibendi testes, & probationes vbi res aperta est? Et sic hanc partem tenent Nauarr. lib. 1. Concil. tit. de Sentent. excommunicat. Concil. 25. nu. 26. Panormitanus in casu simili in cap. *Cùm ordinem*, de Rescriptis, Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 8. Celotius lib. 5. de Regular. in Hierarch. Iurisdict. cap. 20. & alij. Ac si, in non exhibentem titulum Exemptionis Sententia feratur, non subsistit. Quia à non suo iudice lata, cap. *Cùm olim*, de Priuileg. & Panormitan. in dictum cap. *Cùm ordinem*, neque etiam contra contumacem valet. leg. *Non videtur*, ff. de Iudic. Clement. *Pastoralis*, §. *Pisana*, & ibi Glossa de Re iudic. & Glossa in cap. *Veniens*, de Accusat. cap. *Si Episcopus*, 2. quæst. 3. Innocent. in cap. *Ex parte*, de verb. signif. & Bartol. in Repetit. lib. 2. si quis in ius voc. non ierit. Sic etiam Ioannes Lomed. citatus cap. 8. qui addit, non posse talem excommunicari cap. *Si duobus*, cum Glossa de Appellat. Et hæc est vna ex causis & conditionibus excusantibus Regularem ab exhibendis Episcopis sua priuilegia.

Alia causa quæ excusat, est possessio longa priuilegij suæ libertatis, vt docet Spec. de Priuileg. §. de Libello: nam *Vetustas pro lege habetur*, lib. 1. & 2. C. *De aqua plu. arcen.* Nemo enim titulum suæ possessionis regulariter docere tenetur, l. *Cogi.* De Petit. hæred. dummodò hæc possessio in titulo vero, aut saltem colorato fundetur, vt in principio huius tractatus diximus; licet Iurisconsulti arbitrentur, quòd in exemptione sufficiat possessio præscripta, vt existimat Ioan. Lomede de Exempt. cap. 9. ac sic iudicant Supremi Senatus Galliæ, & Secretius Consilium Regis, sicut etiam Consilium Regis Hispaniæ, vt notat Rodericus tom. 1. quæstio Reg. q. 36. art. 3.

3. Causa excusans ab exhibendis exemptionis priuilegiis constatur ex multis causis


iniu[illegible]is,

iniustis, scilicet Bellis, Incendiis, Ruinis, Naufragiis, & Sæuitiis, quæ omnia in tota Gallia, ac pluribus aliis Regnis à multis annis viguerunt; quibus Ecclesia valdè fuit oppressa, Templa diruta, & plura solo adæquata, Ecclesiastici errantes, & vagi; fame, siti, frigore, aliisque iniuriis confecti, & necati; eorumque instrumenta & monumenta igne consumpta, aut aliis modis obliterata, & deperdita. Sic citatus Ioannes Lomede, cum aliis.

Quòd si Regularis non alleget, nec exhibeat saltem tale priuilegium, quod causam præbeat præscribendi, aut non doceat de possessione, aut non sit notoria, tunc Episcopi seu Ordinarij vtuntur Iure suo cap. *Cùm persona*, de Priuileg. in 6. & cognoscunt, an sua sit iurisdictio, iuxtà cap. *Super literis*, de Rescript. Meliùs tamen facerent si Iudicium de validitate Priuilegij Exemptionis, alteri relinquerent; iuxtà cap. *Si quis*, de Foro Compet. interim Regularem in possessorio relinquentes. Sic citatus Lomede cum alijs.

Ex omnibus dictis & probatis in toto huius tractatus decursu satis apertè demonstratum manet, Quanta sit Ordinariorum in subditos suæ Diœcesis potestas: quidve in illos possint, quidvè non: quanta antiquissimis temporibus in Regulares potiti fuerint facultate, quæ paulatim succedentibus seculis diminuta, tandem ad Prælatos Regulares translata, ab illis penitus exulauit: si verò iam illius prioris facultatis & iurisdictionis penes illos aliqua imago remanear, potiùs aliena (videlicet à summo Pontifice delegatione mendicata) dicenda est, quàm vera iurisdictionis potestas. Vtinam Prelati illi Illustrissimi, qui eam sibi ereptam non satis æquè tolerant, attento & pacato animo ea quæ in hoc tractatu de Exemptione digesta sunt, meditantes, Romano Pontifici suo, & Regularium Supremo Prælato obtemperantes Regulares sua exemptione pacificè gaudere finerent, & illos à persequentibus & impugnantibus sua benignitate protegerent, ac vt filios licèt non subditos diligerent, proculdubio ea beneuolentia illorum animos ad subiectionem; si non iure debitam; saltem ex reuerentia, ad quam semper propensi existunt, eisque vt subditi in omnibus quæ iuri debito superioribus Regularibus, & Pontifici Romano non repugnarent, obedientiam perfectissimam præstarent: ad quam etiam præstandam parati sunt, si Prælati illi Illustrissimi ab illo à quo omnis exemptio spiritualis promanat, impetrare valeant; nō enim credere est, vt regulares qui frænum libertati voto obedientiæ imposuerunt, ab obedientia eisdem Prælatis Illustrissimis exhibenda (si Papa præcipiat) reluctare intendant: Illud ego ex mente profiteor, quod hęc præmissa de exemptione scripsi, non vt erga eorumdem dignitatem maleuolus, nec vt inuidus, sed vt veritatis, & supremæ in vniuersali Ecclesia potestatis mendæ Zelator. Cæterum humillimè deprecor, vt indulgeant si quid durum eisdem videarur; Zelus enim terminos nescit. Plura de hac fœcundissima materia, & à maleuolis non satis moderatè impugnatā iure merito desideraret lector Regularis; sed ea in aliis tractatibus huius operis, Deo iuuante, proponemus.





TRACTATVS III. DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

PRÆLVDIVM.



ANDEM ad tertium deuenimus Tractatum in cuius limine licet exclamare Beati Cœlites, quibus cor vnum & anima vna! Felix Cælestis Hierarchia, in qua non meum, ac tuum frigidum illud verbum auditur, in qua etiam non labor, sed perennis quies, non iurgia, & lites, sed summa & perpetua pax sedem immobilem fixerunt. Vtinam Hierarchia Ecclesiæ militantis illam imitando in terris, pacem & quietem possidendam auidiùs prosequeretur. Verùm meum & tuum omnium discordiarum & litium seminarium in illa sedet; vnde quod non suum concupiscentes quærunt, & lanam in Regularibus tanquam in ouiculis à Supremo Pastore lacte proprio pastis tondent, & vt possunt lacerant, ac deuorant Antiregulares: quos cùm nec ab Ecclesiæ militantis causa, nec à cœlitum pascuis arcere valeant (non enim, vt credere est, inuident Christiano nomini, & eorumdem Regularium æternæ fœlicitati) suis tamen viribus & neruis omnibus, conantur illos ab Hierarchia Ecclesiastica excludere; illius sedes omnes ab Episcopis, Sacerdotibus, & aliis Ministris Sæcularibus occupatas, proclamantes. Vnde non solùm in eorumdem scripris legitur, verùm etiam in concionibus, publicis & priuatis colloquiis hæc vox auditur. Ad quid Monachos Hierarchicis actionibus occupari? cùm de Hierarchia non sint: Plangant, orent, voce psallant, in cœnobiis & desertis pœnitentiam agentes morentur; hoc enim illorum munus est. Nobis de Hierarchia existentibus, Hierarchicis functionibus occupari debitum: Hic est illorum sermo, quem non ignorantia, sed vt æquiùs iudicandum est, inuidia in quorumdam mentibus parturiuit. Siccine Antiregulares, socios, Fratresque suos Regulares, Sacrorum ministeriorum satores, & Ministros, Clericos, Sacerdotes, Confessarios, & Prædicatores, ac etiam Prælatos eo-

rumdem, à cœtu Hierarchiæ arcent, & cogere conantur, vt exulent? sic est. Sed cum oppressis auxilium præstare diuinum Christianum & Religiosum sit; ideò manum ad calamum admouimus, vt Regulares ab hac iniuria vindicemus. Hunc ergo Tractatum de Hierarchia Ecclesiastica instituimus, vt breuiter quid Hierarchia & quotuplex: quid Hierarcha? quid actio Hierarchica? quique in Hierarchia esse valeant, dignoscantur: quibus & aliis tractatibus sequentibus explicatis, manifestè constabit, Regulares non mediocrem locum in Hierarchia Ecclesiastica possidere; & Antiregulares suprà modum decipi, dum illos ab hac dignitate suis cauillationibus, seu potius Calumniis deiicere conantur. Faciat Deus Optimus Maximus in cuius honorem hic tractatus in lucem editur, vt Regulares vnanimes in Ecclesiastica Hierarchia, impellente pacis & amoris spiritu, cum Hierarchis, & aliis Ecclesiasticis Secularibus congregari, simul degere & agere non impediantur.



CAPVT I.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA, DEQVE DIVISIONE ILLIVS ET EIVS ACTIBVS, ac de Hierarchiis, & iis quos Hierarchia complectitur.

PROPOSITIO I.

Hierarchia Ecclesiastica est Ordo Sacer, & Scientia, & actio in Lege noua à Christo instituta, per eius imitationem, & præceptorum obseruantiam, ad charitatem adducens, & secundum Hierarchicas actiones, sibi inditas ad Dei similitudinem pro rata, & proportionaliter ascendens: quæ in tres species diuiditur.

Hanc diffinitionem potiùs quam sequentem, quæ est Dionysij cap. 3. de Cælesti Hierarch. apposui, quoniam differentiam non sufficienter exprimit, nec illam satis distinguit à cælesti Hierarchia, vt ex ipsius consideratione satis patebit, quæ sic se habet. *Hierarchia est Ordo sacer, & scientia, & actio diuinitatis similitudinem quantum potest effingens, & ad illustrationes diuinas sibi inditas pro rata & proportionaliter in Dei similitudinem ascendens.*

Diffiniuimus in propositione Hierarchiam Ecclesiasticam, vt agnoscas triplicem esse Hierarchiam: Diuinam, quæ Deo in tribus personis constituitur, & hæc impropriè Hierarchia nuncupatur, vt inferiùs ex Sancto Thoma dicemus; Ange-

Digitized by Google

Angelicam quæ in tres diuiditur, in quarum singulis tres sunt ordines, & sic ex nouem ordinibus constatur; & denique Humanam, quæ etiam in tres diuiditur, videlicet Naturalem, Mosaïcam, & Euangelicam, seu Ecclesiasticam. Taceo Prophanam, quia non est sacra; ac proinde non est Hierarchia. De hac vltima sola scilicet Ecclesiastica nostra propositio pronuntiata est, quæ probatur explicatione terminorum, & primò dicitur ordo, qui nihil aliud est, quàm multitudo diuersarum rerum disposita secundum gradus sub vno principio: sic enim August. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 13. Ordinem describit, *Parium dispariumque rerum dispositionem.* Includit autem hic ordo in se, aliquem modum prioris, & posterioris, vnde oportet, quòd vbicumque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo, vt ait Diuus Thomas 2. 2. qu. 26. art. 1. Estque ordo genus in hac definitione Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Et sic probata manet prima pars propositionis.

Secunda verò pars, videlicet quòd Hierarchia Ecclesiastica in tres species diuidatur, explicatione terminorum, specierum diuidentium & terminorum & auctoritate Tridentini & Doctorum probabitur.

Prima species, quæ latè sumpto Hierarchiæ nomine Hierarchia Charismatum nuncupata, reperitur in illis, qui se virtutibus & propria sanctificatione perficiunt, scientia & actionibus sacris salutem animarum, & Dei Opt. Max. honorem & gloriam ardenter procurant, aut saltem procurare intendunt.

Secunda species. Hierarchiæ, hoc nomine propriè sumpto, vocatur Ordinis, quæ inuenitur inter illos, qui sacris Ordinibus sunt decorati, ascendendo per gradus diuersorum Ordinum, ab iis qui tonsura sunt insigniti, vsque ad Episcopos: dummodò etiam alios ministros, hoc vltimo Ordine non insignitos, minimè tollas, vt euidenter Tridentinum definit sess. 23. de Sacramento Ordinis can. 6. his terminis, *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, qua constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.* Et hanc Hierarchiam in parte secunda huius operis definimus.

Tertia species. Etiam nomine Hierarchiæ propriè sumpto Hierarchia iurisdictionis appellatur; & est illa quæ reperitur inter personas Ecclesiasticas habentes subditos, incipiendo à Vicariis perpetuis, Curatis, & aliis Presbyteris, & ministris Ecclesiasticis, vsque ad Papam primum hierarcham, in omnes alios Hierarchas supremam iurisdictionem possidentem; & dehac inferius. Quæ omnes Hierarchiæ ex D. Paulo, Dionysio, & Gersone facilè colliguntur.

In prima autem huiusmodi Hierarchiarum est sanctitas, in secunda consecratio, in tertia missio. Prima quæ impropriè talis est, non nominatur per respectum ad inferiora: sed ad superiora & diuina quæ patitur: respectu autem actionis in alios non exigit quidem potestatem aliquam, sed tantùm apta est & idonea ad illam potestatē accipiendam. Secunda prædita est potestate, sed tantùm in actu primo. Tertia hierarchizantes in actu secundo complectitur: quæ omnia cùm sint clara, probatione non indigent.

Nec officit huic veritati, quòd iuxtà hanc sententiam infiniti viri sæculares, ac etiam mulieres in prima hierarchia Charismatum collocarentur. 1. Quoniam hæc prioritas non est in propria ratione Hierarchiæ; sed in ratione lato modo sumpta, in qua Paulus mulieres constituit, cùm ait, *Adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio, cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis*, Philipp. 4. Secundò, quia nullus etiam qui sit hierarchiæ Ordinis, vel iurisdictionis, ab illa excluditur: Imò qui ordines sacros suscipit, in illa priùs collocari debet per aliquam sanctitatem, saltem castitatis, tamquam dispositionem ad sacros Ordines suscipiendos: & qui Iurisdictionis particeps sit, perficitur & ornatur sanctitate & Ordine, sine quibus vix Iurisdictionem ministrare potest, nisi admodum imperfectè. Quòd autem quis de plebe sit maior in illa Hierarchia Charismatum, quàm plurimi in Hierarchiis Ordinis, & Iurisdictionis sublimiores, hoc tantùm arguit efficaciam cœlestis auxilij, quo minimi inter mortales, primi in donis cœlestibus, adhuc viuentes existunt, & in cælis primas sedes ascendunt; cum à Deo gratiæ authore, non Ordo, & Iurisdictio Pontificum, & Episcoporum, sed virtus, & merita inspiciantur, & remunerentur. Hæc sufficiant de Hierarchia in communi, prout comprehendit illas tres Hierarchias, itaque omissis

Digitized by Google

Hierarchiis Charismatum & Ordinis, de Hierarchia Iurisdictionis deque spectantibus ad illam in reliquo huius operis agemus. Sit ergo

PROPOSITIO II.

Hierarchia Iurisdictionis est Ordo Sacer in Ecclesia per actionis sacræ potestatem subditos ad mandatorum obseruationem, & Dei similitudinem adducens.

Probatur nostra propositio, explicando illius terminos. Et 1. quoad genus definitionis illius Hierarchiæ euidens est, sicut & finis ex dictis in superioribus de Hierarchia in communi: quoad verò differentiam, patet consistere in actione Hierarchæ in subditum, quâ sibi voluntatem illius subiugat, suis deuincit legibus, & penè suæ mancipat seruituti: quod duobus modis operatur iuxtà duplicem iurisdictionē, quæ in eo ex Gersone lib. de potest. Ecclesiast. considerat. 4. & 5. reperitur. Alia enim est iurisdictio fori externi, alia interioris. Illa vocatur potestas coactiua alterius etiã inuiti; hæc spontanea per subiectionem subditi voluntariam, de quibus aliquid tetigimus in tractatu de Priuileg. Exempt.

Quæ sit autem prior illa potestas, seu Iurisdictio, satis explicat Gerson citatus, cùm docet eam in illo Christi præcepto Matth. 18. fundatam, *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum: quòd si te non audierit, dic Ecclesiæ: quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Audi obsecro verba illius Cancellarij, *Quo in loco fundatur iuridica potestas Excommunicandi rebelles, & inobedientes Ecclesiæ, vt & potestas diffiniendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi præcepta, leges, & canones,* qui postea extendendo illius Iurisdictionis naturam, adiungit, illam *Adeo vicinam esse iurisdictioni sæculari & politicæ, quòd laïcis, immò mulieribus, plerumque & in multis casibus communicari possit executio, vel committi.* Quod manifestè constat factum in Abbatissa Fontis Ebrardi in Gallia, quę illa iurisdictione in vtriusque sexus Regulares sibi subditos ex Sedis Apostolicæ delegationibus pollet, eaque prout expedit, vtitur.

At verò idem et Gerson Iurisdictionem fori interioris eodem citato loco consid. 6. definit. *Potestatem Ecclesiasticam super corpus Christi mysticum, illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam & sacramentorum ministrationem, & purgando per Baptismi & Pœnitentiæ sacramenta.* Licet in præcedenti tractatu eam extenderimus ad præcepta & leges condendas, vt ab arcta coactius distingueretur. Sponraneos hæc Iurisdictio, non tantùm coactos habere potest, cùm ad sacramenti necessitatem subiectio voluntaria suscipientis sufficiat, ab illo qui conferre potest: si tamen Pœnitentiæ sacramentum excipias, in quo strictio subiectio requiritur. *Sic* (vt ait) *quòd alicui non datur absolutio etiam si dari tentetur, quia materia deficit, quæ est peccator subditus.* Et hęc subiectio, & quasi coactio ex pluribus capitibus prodire potest, vt idē citatus auctor subdit. *Subditus inquam nedum voluntaria subiectione, sed aliena superioris auctoritate,* id est, peccator vltrò se & voluntariè alicui subjiciens, non dat illi in se iurisdictionē fori interioris; sed ab aliquo superiorum conferri debet, vel Pontifice, vel Episcopo, vel Parocho; qui postea concludit his verbis. *Hoc ritè statuit primus legislator Christus, hoc Ecclesia sic elucidauit, & tradidit, ne confunderetur Ecclesiasticum regimen, & ne Hierarchicus Ordo turbaretur, quem tradit Dionysius talem esse, vt infima reducantur ad suprema per media.* Quod & ratione probatur: nam iurisdictio potestatem sonat; nemo autem potestatē nisi ab alio habet, cúmque illam non habeat à subdito, aut pari, à superiore illam possidet. Ex dictis satis constat, quòd Hierarchia iurisdictionis sit Ordo Sacer, habens sub se subditos per Potestatem actionis sacræ ad mandatorum obseruationem, & Dei similitudinem adducens.

PROPOSITIO III.

Papa, & alij Episcopali dignitate fulgentes, propriè vocantur hierarchę: alij autem qui nomine hierarchæ decorantur, impropriè tales nuncupantur, sicut & actio quæ ab illis procedit, nisi auctoritate alicuius hierarchæ fiat.

Hæc veritas probatur quoad primam partem ex nominis Ethymologia: Hierarchia enim quod nomen Græcum compositum est, significat *Sacrum principium*, seu, *sacrum principatum*, vel *sacrorum principium*, aut, *principatum*, vel vt Henricus Stephanus mauult, *In rebus sacris imperium eius qui auctoritate & potestate præest*, ac ex consequenti illud nomen non alteri quàm Pontifici & Episcopo, reliquis autem qui Parochiali aut Sacerdotali, aut aliquo iure in Hierarchia potiuntur, non propriè conuenit: sed tantum, vel sacra dantes vocari possunt à sacrificando, consecrando, & sanctificando, vel sacris ministrantes. Ratio est, quia hi non sunt principes: nec cum imperio sacris præsunt & ministrant, vt Papa & Episcopus, & hæc doctrina ex Dionysio citatis locis facilè colligitur.

Quoad verò secundam partem probatur ex doctrina Bellarmini, qui Diaconos vocat hierarchas, & ex Gersone qui eam vocem parochis tribuit: propriè enim illud nomen non eis conuenit, sicut nec principis, nec patris: nullum enim Concilium, aut Canon Diaconos & Parochos eo nomine appellauit, sed tantum Episcopos; impropriè ergo illis hoc nomen concessum esse censendum est; cùm careant potestate cum Imperio quibus potius obedire, quàm præcipere; & actiones hierarchicas ex alterius imperio, quam suo exercere conuenit.

Ex quibus vltima nostrę propositionis pars constat. Nam actio recipit denominationem ab agente: nullum autem est agens ad actionem Hierarchicam, nisi Papa, aut Episcopus, quia nullatenus præter illos est hierarcha, ex consequenti actio quæ ab alijs, quàm à Papa aut Episcopo, aut sine eorumdem imperio, aut consensu, aut voluntate procedit, non potest dici hierarchica. Quod confirmatur: nam vt aliqua actio sic hierarchica, vltra quod debet tendere ad finem hierarchiæ, qui publicus est, insuper habet vt fiat cum subordinatione sub principe sacrorum; ergo vel debet immediatè ab illo procedere, vel saltem ex illius imperio, aut concessione. Ille autem Princeps est, Papa vel Episcopus, vt supra dictum est.

Hinc facile colliges Eleemosynam pauperi elargitam ex motiuo amoris Dei, esse quidem sanctam & meritoriam, sed non Hierarchicam actionem, quia priuatam: at verò Eleemosynam elargitam in Iubilæo ex mandato Pontificis Hierarchicam esse dixeris. Quia ad finem publicum ex imperio principis. Similiter baptismus ab obstetrice collatus hierarchicus non est, sed qui à parocho: & preces diurnæ à Laico coniugato hierarchicæ non sunt, sed quæ à Sacerdote. Actio igitur hierarchica & hierarchizandi ius primariò & præcipuè de Papa & Episcopo dicitur: de inferioribus autem per participationem tantum, & minus perfectè, vt in analogis vsu venire solet.

Obijcies Pontificem Romanum eligi posse non sacrum, id est Ordinibus sacris minimè insignitum, & tamen iurisdictione in vniuersam Ecclesiam pollere: ergo non est verum, quòd hierarcha sit princeps sacrorum, vel qui sacris cum authoritate & potestate præsit. Respondetur Papam sic electum esse verum Hierarcham, non solum Hierarchiæ iurisdictionis: sed etiam Ordinis. Præest enim omnibus sacris non illa faciendo, sed imperando & dirigendo, quod sufficit vt dicatur verus Hierarcha, licet ad complementum non essentiale, sed integrale requiratur character Episcopalis.

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Regulares sunt directè, & per se, in Hierarchia Euangelica, seu Ecclesiastica.

Probatur hæc veritas primò, quia, qui inter ipsos sunt Prælati, iurisdictione in subditos potiuntur, & saltem hi in Hierarchia iurisdictionis locum habent. Quod confirmatur quia nullus in Ecclesiastica dignitate constitutus ab Ecclesiastica Hierarchia excluditur: illi autem Prælati sunt in dignitate Ecclesiastica constituti, vt constat de vltimo, seu minimo eorundem Prælato, videlicet locali, ex cap. *Ad aures*, de temp. ordinand. & tenent etiam Rodcric. tom. 1. quæst. regul. quæst. 12. artic. 6. Emanuel Sa, verbo prælatus. Porrel. eod. verbo num. 4. & Martinus à S. Iosepho tract. de potestate Guardiani num. 2. Confirmatur 2. quia illorum iurisdictio est ordinaria, lege generali in iure communi contenta, vt constat ex cap. *Nullam*, 18. q. 1. vbi Papa Pelagius dicit, *Totam potestatem ad Abbatem pertinere*. Sic Roderic. loco cit. quæst. 57. art. 6. Hieronymus Rodericus verb. Guardianus resolut. 69. num. 4. & Martinus loco cit. nu. 4. Confirmatur iterum, quia Pontifices, Regularibus, Prælatis priuilegium exemptionis concedentes censentur eam iurisdictionem illis concedere; cùm ius omne Episcopi ad illos per respectum ad subditos transeat, vt inferiùs probabimus; ac proinde ab Ecclesia in numero Prælatorum Ecclesiasticorum habentur, vt censent Corduba super Compend. priuileg. ver. Guard. ad §. 1. Porrel. in dub. Regul. verb. Guard. §. 2. d. Martinus citato loco num. 2.

Probatur 2. quoniam regulares sunt Clerici, cum sint diuino officio mancipati & dediti orationi & contemplationi, & propterea dicuntur forte electi: omnes enim illos Deus elegit in suos, sic deffiniente Clericos Hieronymo 12. q. 1. cap. *Duo sunt*. Clerici autem seculares sunt directè & per se in Hierarchia; ergo & regulares: vndè in omnibus cætibus processionibus & cæteris huiusmodi de iure & consuetudine conuocantur, & Clero, non cum cœtu sæculari; sed sub cruce Clericorum cum sua quisque cruce iunguntur: & hanc veritatem docuit Guillel. Paris. inferiùs citandus dum definit, *Ordinem Clericorum continere ordinem secularium & claustralium*. Quam etiam post ipsum tenet Ioannes Tornet. in Exposit. cap. 1. compend. exposit. Benef. Adriani Iacquelot. & Baronij ad annum Christi 398. afferentis ante illum annum Monachos Clero vniros fuisse, & Ecclesiam Affricanā sub nomine Clericorum Monachos comprehendisse: inde August. suos Clericis Monachos aliquando appellat.

Probatur 3. quia actus Hierarchiæ sunt purgare, illuminare, & perficere ex D. Thom. 1. Par. q. 108. art. 1. qui propterea existimat in diuinis non esse propriè Hierarchiam: sed illos tres actus regulares exercent; sunt igitur in Hierarchia. Quod autem illos exerceant probatur, & 1. per respectum ad seipsos; quoniam tota illorum vita & sollicitudo est perpetua mentis purgatio, illuminatio & intentio ad perfectionis acquisitionem per carnis mortificationem, orationem, contemplationem, aliarumque virtutum & bonorum operum exercitia: ob quæ Gregor. Nanzianz. orat. ad Iulian. Trib. Exeq. sic de regularibus sub nomine Philosophorum loquitur, *Philosophorum cœtum commendo, qui scilicet nullo vinculo humi tenentur; qui sola corpora, nec ea quidem tota possident; Qui Cæsari nihil, Deo omnia habent, hymnos, preces, vigilias lachrymas, hoc est, huiusmodi opes, quæ manibus premi nequeunt, qui mundo mortui sunt, Christo viuunt, carnem confecerunt, & animam à corpore abstraxerunt: hoc si mitiùs, aut etiam omninò Dei seruos, & discipulos, & cælestium rerum inspectores, has, inquam, generis nostri primitias, hæc columina, has fidei coronas, has pretiosas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum, & lapis angularis Christus, hoc est egregij Ecclesiæ complementi; hos inquam si Deo planè reddideris, praclarissimè vtique & ipsis & nobis & tibi consulueris*, sic Nanzian. qui etiam orat. in laudem Basilij, *partem selectiorem & sapientiorem Ecclesiæ*, illos appellat. Quod si Cyprianus Epist. de habitu Virginum & Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 21. Virgines Deo dicatas illius temporis no-

minant, *Illustriorem gregis Christi portionem*: Quanto magis moniales, & regulares posterorũ,& horum sęculorum hoc nomen adipiscuntur,cum perfectionis regularis statum proximiùs & perfectiùs attingant; vnde anno 633. Concil. 4. Toletanum nomine generalis Concilij ex 70. Episcopis Gallis & Hispanis congregatum maturè considerata regularium vita & perfectione, qui tamen vilibus obsequiis tamquam mancipia ab Episcopis applicabantur, eisdem Episcopis sub Excõmunicatione prohibetur, ne huiusmodi obsequiis regulares deputarent, reddita ratione prohibitionis huiusmodi videlicet, quia *illustris est portio Christi*, ex quibus satis apertè constat regulares actibus purgandi, illuminandi & perficiendi per respectum ad seipsos debitè incumbere: cùm ob eosdem huiusmodi encomia & alia innumera à tot patribus, Episcopis, & à Concilio accipere meruerint: & Bellarm. in præfat. lib. de Monach. asserat paucos esse sanctos Martyribus exceptis, qui regulares non fuerint.

Facit ad hanc veritatem quod vitæ eorumdem exemplo non solum magnates, verum etiam principes, reges & imperatores: imò & Episcopi & Pontifices hanc vitam abiectis sæculi dignitatibus, & coronis, vt huiusmodi exercitiis incumberent, ardenter susceperunt. Quid dico: si quid honoris & ęstimationes coram sæcularibus nostri antiregulares in vita spirituali aucupati conãtur, hanc vt simiæ ex modo viuendi Regularium in mensa & aliis, non in ferculis, lectulis, vigiliis, ieiuniis, disciplinis, & aliis austeritatibus, quę corpori & animę cupiditatibus maximam vim inferunt, auidè & vigilanter assumunt.

Superest 2. probare quòd actus Hierarchicos purgandi, illuminandi, & perficiendi erga alios debitè exerceant, quod fit ex innumera SS. Patrum & Episcoporum multitudine. Qui ob illos actus eos Angelos Cherubinos, Seraphinos: imò & Deos appellant; ex quibus Eusebij Arriani Antistitis, vt inimici nostri sint etiam nostri iudices, testimonium proferam, qui lib. 1. Euangel. demonstrat. cap. 8. sic scribit, *Quasi quidam dij sunt reliquorum hominum vitæ inspectores*, sicut enim Deus in seipso beatus omnes res creatas inspicit, vt foueat & gubernet; sic regulares in sublimi positi seculares inspiciunt, vt purgent, illuminent & perficiant; testatur hanc veritatem vniuersus orbis, non hoc tantum sæculo; sed etiam antiquis, qui non solum à suis erroribus per regulares purgatus; sed etiam per eos illuminatus fuit, & perfectionem Christianã accepit: testatur hoc ius commune pluribus in locis & maximè cap. *Sunt nonnulli* 16. q. 1. in quo Bonifacius Regulares ad huiusmodi actus exercendos iudicat capaciores his verbis: *Quo quis est celsior tanto & in his potentior*, & cap. 24. eiusdem causæ, & quæst. in quo ex Greg. magno habetur.

Ex authoritate huius decreti quod Apostolica moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum Sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare: baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare: pænitentiam imponere, atque peccata soluere. Ex quo duo colligo. 1. iure antiquo habuisse Regulares facultatem prædicandi, seu purgandi & illuminandi tempore Gregorij Magni, cum illud decretum sit in iure communi insertum; & ex consequenti esse in Hierarchia Ecclesiastica. 2. Regulares figuram Apostolorum tenere, nec abs re; imitantur enim vitam Apostolorum in professione votorum Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis, bini mittuntur, & eunt in vniuersum mundum, illumque suis prædicationibus lustrant; cùm Pastoribus Secularibus hoc minimè liceat, ita affirmante Gregorio hom. 5. in Ezechiel. his verbis, *Qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera suscipiunt, multare loca minime permittuntur*, & vt paucis multa complectar, quibus meliùs conuenire quàm Regularibus valeat, non deferre virgam, neque pecuniam, & cætera omnia operari quæ in Euangelio præscribuntur: quod si nefas esset Apostolos ab hierarchia excludere, similiter nefas putandum est, illud de Regularibus cogitare, cùm ex oraculo Gregorij figuram Apostolorum teneant.

3 Atque ex illo argumento sequitur quarta ratio, quod saltem ex delegatione perpetua Regulares mendicantes sint in Hierarchia Ecclesiastica Iurisdictionis; quoniam ex hac delegatione operantur illas actiones, quæ pertinent ad illam Hierarchiam, & præcipue illas, quæ spectant ad primum Hierarcham, summum videlicet Pontificem, licet etiam alias aliorum Hierarcharum, videlicet Archiepiscoporum, Episcoporum, & Parochorum actiones operentur, vt ex dicendis in reliquo nostri operis de

priuilegiis

priuilegiis ad dictam Hierarchiam ſpectantibus manifeſtè patebit: at nunc in genere probatur, nam ad hoc opus regulares vocantur à Conciliis generalibus, Pontificibus, & ab innumera Prælatorum & Parochorum multitudine. Hic eſt ſenſus magni illius Cardinalis D. Bonauent. in Apolog. pauper. art. 25. in verbis, *Penſatis omnibus, nulli debet videri iniurioſum, & ſuperfluum, ſi cæleſti Hierarchiæ placuit aliquos ad hoc opus diuinas meſſes colligendi, etſi non neceßitate conſtrictos: ſed charitate inductos, eligere Euangeliſtas cooperatores, quos & terreſtris Hierarchia voluit & debuit approbare,* & post pauca. *Petri ſucceſſor prouidet pie ſaluti animarum: & in nullo præiudicat authoritati ſummorum Pontificum tamquam ornans, non verò deornans Eccleſiaſticam Hierarchiam, dum mittit religioſos: vnde S. Gregorius hac effatur, Mundus Sacerdotibus plenus eſt, tamen in Dei meſſe rarus operarius inuenitur.* Et denique idem Bonauent. ad confirmandam delegationem Regularium, ſic ait, *Hierarchica opera non peragunt authoritate ſua, ſed ordinariorum, & potißimè Summi Pontificis, cuius diſpoſitionis auctoritas poſitiua iura tranſcendit.*

Quòd ſi quis contrà præcedentia obiecerit 1. Regulares nō eſſe de Hierarchia Eccleſiaſtica, eo quòd non ſint Ordinarij, aut quia Dionyſ. Areopagita ab eadem illos excludit, cùm nolit vt *Monaſticus Ordo ſit alijs prælatus, aut exerceat ſuperioris officium, nimirum prædicationis, quæ eſt Epiſcoporum aut aliorum Prælatorum, ſicut in Cæleſti Hierarchia Angelus inferioris ordinis numquam exercet officium ſuperioris Ordinis.* Reſpondebo 1. quòd ſi hæc obiectio valeret, excluderentur ab Hierarchia Cardinales, Canonici, & infinitus Eccleſiaſticorum numerus, qui nec ordinarij, nec Prælati exiſtunt. Reſpondebo 2. nos ſupra oſtendiſſe, Regulares eſſe verè Prælatos, illos ſcilicet qui præſunt Regularibus gubernandis; & proinde eſſe ordinarios. Nam qui iure communi habet aliquam iuriſdictionem aut poteſtatem, illam habet ordinariam eſtque quoad hoc ordinarius: Regulares autem non ſolum ſuperiores, verùm etiam ſubditi, qui munere prædicationis, confeſſionum audiendarum, & doctoratus funguntur, ordinariam facultatem prædicandi, audiendi confeſſiones, & docendi, & illuminandi à iure habent; ergo quoad hos actus hierarchicos ſunt ordinarij; ac ex conſequenti ſunt in Hierarchia.

Ad illud autem Dionyſij reſpondetur, inibi illum de quibuſdam Monachis loqui, qui nec Sacerdotes erant, nec clericatu fungebantur, & ex conſequenti incapaces exercendi munus prædicationis exiſtebant: non tamen per hoc excluditur, vt explicat D. Thom. opuſcul. 15. cap. 4. *quin Monachus poßit accipere auctoritatem, ordinariam, vel commiſſam, ad alios adducendum.*

Ad vltimum in obiectione poſitum, dicendum quòd Eccleſiaſtica Hierarchia imitatur cœleſtem quantùm poteſt, ſed non in omnibus: in Cœleſti enim Hierarchia diſtinctio donorum gratuitorum ſecundùm quod ordines diſtinguuntur, ſequitur diſtinctionem naturæ, non autem in hominibus; vnde non eſt inconueniens, ſi in Eccleſiaſtica Hierarchia aliquis inferioris Ordinis exerceat aliquod officium ſuperioris ordinis eius commiſſione. Sic D. Thom. vnde iure communi ſtatutū eſt, cap. *Quod Dei timorem*, de Statu Monach. Regulares poſſe Beneficia ſecularia & Regularia poſſidere: quòd ſi requiratur diſpenſatio, non eſt ad effectum poſſidendi, ſed ad iugum obedientiæ excutiendum, & ad bona temporalia ab ipſis diſpenſanda abſque tranſgreſſione votorum. Quibus denique adiungo, quòd Regularium Prælati, ac etiam doctores ad Concilia generalia vocantur, ac in illis ſedent, & votum habent: quæ omnia manifeſta ſigna exiſtunt, illos eſſe de Eccleſiaſtica Hierarchia, tum ex iure communi, tum etiam ex priuilegio.

Quòd ſi quis obiiciat 2. quòd Regulares non habent ſubordinationem ad Epiſcopos, ſed immediatè ad Papam; ac proindè cum Hierarchia dicat ſubordinationem, videtur quòd non ſint in Hierarchia. Reſpondebitur, hanc ſubordinationem non requiri, quia licet Cardinales Epiſcopis, & Epiſcopi Archiepiſcopis, & Capitulum Cathedrale Epiſcopis non ſubiiciantur, ſed imediatè Papæ, non propterea deſinunt eſſe in Hierarchia Eccleſiaſtica. Sic Regulares charitatis vinculo connexi, ſublata ſubiectione ad alios Hierarchas, Sæculares, Papæ immediatè ſubiecti, in Eccleſiaſtica Hierarchia directè, vt illi, locum habent: ea enim eſt natura Hierarchiæ, vt in ordine ſuo varios contineat ordines, conflatos ex pluribus eiuſdem cōditionis

hominibus, & à se inuicem minimè pendentes, quibus proinde sufficit ad communem omnibus Hierarchiam referri; cuius rei exemplum pono post Guillel. Parisiensem A. B. de vn. p. 2. cap. 141. in Capitulo, in Ordine Monachorum, Canonicorum Regularium, & Templariorum, qui sola charitate Christiana; & vnius Hierarchæ Episcopi imperio & gubernatione sunt inter se connexi, vbi sic loquitur, *Et in vnoquoque ordinum istorum manifestum est, gradus diuersos esse atque multiplices: atque personas vniuscuiusque Ordinis vides non omninò æquales, vel sanctitate, vel sapientia, vel aliis donis, licet in vno; & de vno quoque Ordine sint. Illæ sunt priuatæ Hierarchiæ in generalis Ecclesiastica sinu conceptæ.* Hæc ille: cuius sententię subscribit Ioan. Petrus Camus serm. 10. de S. Ignatio loquens de huiusmodi Hierarchiis, *Distinctæ inuicem* (ait) *non diuisæ, non separatæ ab Ecclesia, quam admirabili varietate conuenustant, non diuersæ religionis, sed vitæ perfectioris; exemptæ ab Ordinariorum iurisdictione, sed Superioribus propriis ad formam Ordinariorum dispositioni obtemperantes.* Obiicies ex præcedẽtibus concludi regulares esse in Hierarchia, quatenùs Presbyteros, seu ministros: non autem quatenùs regulares, de quibus nulla fit mentio in enumeratione membrorum componentium Hierarchiam sess. 25. Tridentini can. 6. Respondetur quòd si hæc consequentia valerẽt, haberet etiã vim in Papa quatenus Papa, Patriarchis, Primatibus, & multis aliis, qui à Paulo enumerantur 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. pertinentibus ad Hierarchiam: sicut etiam à Tridentino eadem sess. cap. 4. in quo sic fatur: Attende lector: *Quod si quis omnes Christianos promiscuè noui testamenti sacerdotes esse: ac omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est vt castrorum acies ordinata, confundere, perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Euangelistæ, omnes pastores, omnes sint doctores. Proinde Sacro-sancta synodus declarat &c. Præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, &c. eosque Presbyteris superiores esse &c.* in quibus apertè vides Tridentinum diuidere, in tria genera graduum, Hierarchiæ gradus; nam 1. ponit gradus à Paulo enumeratos. 2. alios significatos per hæc verba, *præter cæteros Ecclesiasticos gradus.* 3. ponit alios tres gradus videlicet Episcopos, Presbyteros, & ministros, dum sic loquitur, *Episcopos &c. ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, &c.*

Nec obest quod sic manca & non integra esset diffinitio Hierarchiæ, & membrorum ipsius; nam hæc diffinitio seu expressio membrorum, seu graduum Hierarchię facta fuit ad refutandam hæresim; quæ tunc temporis grassabatur; cumque hæc assereret omnes promiscuè sacerdotes esse, ac inter se pari potestate pollere: necnõ ministerium, & superioritatem à populi deputatione pendere: posseque sic semel deputatos, ad laicalem statum posteà redire; ideò ea omnia pluribus canonibus damnat: inter quos hic qui num. 6. est reperitur: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris anathema sit*, quo canone asserente esse Hierarchiam, asseritur quoque esse ordo superioritatis & inferioritatis inter gradus: & asserente esse diuina ordinatione institutam; simul affirmatur non esse humana institutione talem: & quia Episcopos, Presbyteros & ministros promiscuè confundebat; ideò illos distinguit, & in alio canone declarat Episcopos superiores esse Presbyteris. Non tamen ab eam descriptionem graduum Hierarchiam componentium intendit Concilium cæteros omnes excludere, licèt illos propriis nominibus non exprimat; alioquin canon ille esset contrarius doctrinæ capitis 4. eiusdem sessionis, in qua fundatur. Quæ doctrina est de fide, sicut & aliorum capitum, vt docet Suares tom. de fide &c. disput. 7. 4. num. 3. sed illos tantum expressit circa quos serpebat hæresis quamprimùm à Cõcilio extirpanda: & sic in simili materia fidei argumentatur citatus Suar. circa cap. 15. sess. 6. eiusdem Trident. in quo sic habetur, *asserendum est, non modò in fidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, gratiam amitti.* Ex qua doctrina patres in eodem congregati hunc canonem confecerunt, videlicet, *fidem non amitti per omnia peccata*, non autem fecerunt canonem, *quod fides amittatur per infidelitatem.* Rationem reddit Suares quoniam hæretici non negabant quod infidelitate amitteretur fides, & ideò canonem circa illam partem

non confecerunt, quia verò affirmabant fidem per omnia peccata amitti, ideò illum canonem vt eorumdem hæresim euellerent, ediderunt. Et ficut non inde sequitur quod fides infidelitate non amittatur: sic ex eo quod præfati in doctrina dicti capitis non sunt appositi in descriptione Hierarchiæ, non propterea sequitur, quòd in Hierarchia directè non existant.

Nec absurdum quis existimare debet præfatam descriptionem mancam esse, seu non cōtinere omnes gradus, alioquin absurdum esset existimare descriptionem fidei datam à Paulo Hæbr. 11. *fides est substantia sperandarum &c.* non constare suis omnibus partibus, vt Suares post doctores arbitratur in opere de fide &c. disput. 6. sect. 2. sicut ergo Paulus non diffiniuit fidem; nisi per respectum ad quemdam effectum seu officium, aut munus ipsius, videlicet per respectum ad res sperandas, de quibus ibi agebat vt Conc. Arausicanum prædicto Suario citatum affirmat. Sic Conc. Tridentinum non definiuit Hierarchiam, nisi per respectum ad illos gradus Hierarchiæ, contra quos hæresis animosè pugnabat, qui sunt illi tres gradus in dicta diffinitione expressi. Quibus omnibus constat regulares quatenus regulares, & Cardinales quatenus Cardinales &c. non excludi à Hierarc. licet in dicta diffinitione non sint expressi. Verùm esto quòd illa Hierarchiæ diffinitio omnes gradus seu membra Hierarchiæ capiat, non poterit tamen negari quin illa tria membra seu gradus sint generici multas sub se species continentes, quæ per se & quatenus tales directè ad Hierarchiam spectant, eamque constituunt, vt sunt Papa, Apostoli, Euangelistæ, pastores & alij, de quibus supra, qui sub vno illorum trium graduum, vt species sub genere continentur. Nec opus est vt conuertibiliter sint tales; alioquin illi gradus non essent generici.

Instabis si regulares quatenus tales, essent in Hierarchia, ordinatione diuina essent tales: sed ordinatione diuina non sunt tales; ergo non sunt in Hierarchia. Respondetur iuxta doctrinam, quam alibi tradidimus, multum differre aliquid institutum esse iure diuino, & esse institutum ordinatione diuina; nam id quod est institutum iure diuino, immediatè est à Deo, tum in genere, tum in specie & indiuiduis: Quod autem est institutum ordinatione diuina, pendet in executione quoad particularia ab humana dispositione. Fateor quidem Hierarchiam diuina ordinatione institutam esse quæ constat &c. Pontifex autem Romanus licèt illam Hierarchiam non faciat, quoniam à Deo facta est, attamen singulares ipsius gradus facit, nempe Patriarchas, Primates Archiepiscopos, Episcopos cæterosque ministros. Et certè absurdum esset minimos Hierarchiæ ac Deo immediatè fieri, cumque ipsemet regulares faciat prædicatores confessarios, doctores, Euangelistas, Prælatos, ministros, & alia officia tum in ordine, tum in iurisdictione illis tribuat, quis iustè negare poterit eos non esse quatenus tales in Hierarchia? sicut in illa sunt Patriarcha, Primates &c. licèt expressè non sint in dicta diffinitione.

Accedit quòd status regularis quà talis maximè mendicantium, ad officia & ministeria prædictorum, qui sunt in Hierarchia, à Papa & ab Ecclesia est destinatus; vnde quà regularis est in Hierarchia, non enim necesse est, vt quis actu exerceat præfata officia & ministeria, vt sit in Hierarchia; alioquin laïcus factus Papa non esset in Hierarchia ordinis; cum ea ministeria, quæ sunt ordinis exercere non posset; sufficit enim vt ad hæc sit destinatus, & in proxima dispositione illa exercendi, vt constat de Apostolis, qui non statim Apostolatus officio functi sunt: imò quod maius est, licèt illa exercere quis non valeat, vt Episcopus vel Presbyter, Paralyticus & elinguis, nihilominus tamen in Hierarchia subsistit; nam vel per Characterem vel ab alio Hierarcha ad hæc est destinatus; quod etiam manifestum est in elingue & truncatis manibus doctore; qui nec lingua nec calamo docere potest.

Ex quibus apertum est quam longè aberret à vero quorumdam doctorum censura arbitrantium hanc propositionem, *Regulares vt regulares sunt in Hierarchia*, esse falsam, erroneam & temerariam: nam quomodo potest hæc propositio sic damnari, quæ fundatur in doctrina & canone Concilij? necnon in auctoritate Catholicorum doctorum, & in rationibus efficacibus, quibus sufficienter probatur: quomodo inquam hęc propositio potest huiusmodi iniuriosæ subiici censuræ? quæ innititur reuelatæ veritati: nam omisso, quod status regularis in ea fundatur, omnes regulares sunt optimo iure, *opitulationes*, vt verbis, Apostoli 1. Corinth. 12. vtar, seu *auxiliatores in*

Hierarchia: nam omnes aut sunt Episcopi, aut Parochi, aut Pastores, aut ordinarij, vel doctores: prædicatores vel Sacramentorum administri, vel Presbyteri; aut denique ministrant inordine & iurisdictione; & ad Hierarchicas actiones ex regulis suis à Sede Apostolica, & auctoritate ipsius sunt ordinati, vt legenti, & consideranti prædictas eorundem regulas & exercitia, quæ quotidiè operantur, manifestum fiet. Vndè habitaculum regularium Pet. Damia. opuscul. Domin. vobisc. c. 19. pulchrè appellat, *Negotiatorum Cœlestium apothecam, felix commercium, fœlices nundinas, sacræ militiæ tabernaculum, procinctum triumphantis exercitus, castra Dei, campum diuini prælij, spiritalis arenam certaminis.* Hæc de hac materia sufficiant, ex quibus, & ex aliis in præmissis propositionibus conclusis possumus etiam colligere, 1. Vnum esse supremum Hierarcham, & non duos: nec vsquam duos fuisse; ac proindè propositionem illam, *Petrum & Paulum fuisse simul caput Ecclesiæ, seu Supremum Hierarcham, & Pontificem Romanum esse illorum successorem*, esse prorsus falsam, imò etiam & hæreticam declarauit Innocentius X. per decretum emanatum die 24. Ian. 1647. cuius tenorem hic inserere iudicaui. *Sanctissimus relatâ vnanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminent. & RR. DD. Cardinal. Generalium Inquisitorum, propositionem hanc, S. Petrus & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes qui vnum efficiunt: vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ coriphæi, ac supremi duces, summa inter se vnitate coniuncti: vel sunt geminus vniuersalis Ecclesiæ vertex, qui in vnum diuinissimè coaluerunt: vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac præsides qui vnicum caput constituunt, ità explicatam, vt ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum sine subordinatione & subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine vniuersalis Ecclesiæ, hæreticam censuit & declarauit.* 2. Colligere possumus, quòd quemadmodum sunt plures Hierarchæ in Hierarchia Ecclesiastica in sæculo degentes sub summo Hierarcha Papa, subordinati inter se, & ab illo pendentes: sic in statu Regulari sunt plures similiter Hierarchæ saltem impropriè, subordinati inter se, ab illo supremo Hierarcha pendentes, videlicet Generales, Prouinciales, & Superiores locales, de quorum priuilegiis in sequentibus, capitibus, & in 4. tract. acturi sumus.



CAPVT II.

DE REGVLARIVM PRÆLATORVM ERGA SVBDITOS POTESTATE IN genere considerata.



OMANVS Pontifex cuius prouidentia, Diuinæ imitatrix, à fine vsque in finem prospicit, suauiterque disponit omnia; acceptam à Christo ligandi atque soluendi Christiani instituti cultores potestatem, à primordijs Ecclesiæ in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque Ordinarios, quatenùs pro gregis eisdem concrediti salute efficaciter procuranda conueniebat, non in totum, sed partialiter effudit. Verùm Regularibus ab huiusmodi Ordinariorum potestate & iurisdictione exemptis, ne Prælati Regulares in eorumdem onus substituti, eisdem Ordinarijs; neue subditi Regulares personis secularibus exemptione collata, peioris conditionis in hac parte existerent, illam potestatem in Ordinarios præmemoratos, quoad Regulares anteà concessam, in dictos Prælatos Regulares, ac etiam maiorem transtulit. De qua, in genere considerata, hoc caput instituimus, acturi posteà de eadem in specie perpensa. At verò quoniam horum Prælatorum munus est, per illam potestatem seu clauem soluere subditos, & posteà cum opus est, ligare; ideò 1. De potestatem illos soluendi à peccatis & censuris. 2. De potestate illos præceptis, legibus, censuris, & pœnis ligandi agemus: reliqua autem quæ ad hanc potestatem spectant, in tractatu proximè sequenti elucidabimus: quibus ostensis probatum manebit, Prælatos Regulares iure merito in vi Iuris communis, & concessionum Apostolicarum, Hierarchicas actiones supremo Hierarcha imperante exercere, & locum non mediocrem in iurisdictionis Hierarchiâ tenere.

PROPOSITIO I.

NOn expedit statui Regulari, vt habeat Prælatos ex alio Ordine assumptos, vel etiam sæculares, sed sui proprij instituti Regulares.

Hæc propositio quoad primam partem expre[illegible] definita est in Concilio Viennensi à Clemente V. & refertur Clement. 1. de El[illegible]t. his verbis, *Cùm rationi non congruat, quòd homines disparis professionis, vel habitus, simul socientur in eisdem Monasterys, firmiter prohibemus, ne Religiosus aliquis alterius Religionis, vel habitus, de cætero in*

Prælatum eligatur, & multò minus sæcularis. Quod etiam expressè determinauit Innocentius III. cap. *Contra causam*, De elect. in quo dicit, *id esse contra legem diuinam, veluti simul arare in boue & asino.* Quæ verba Glosa explicans, ait quòd, *arare simul in boue & asino, nihil est aliud, quàm homines disparis, siue diuersæ professionis, in vno & eodem officio, siue professione sociare.* Et hoc idem etiam habetur cap. *Innona*, 16. q. 7. in quo Isidorus sic loquitur, quòd *In vno & eodem officio esse non debet dispar professio; cùm lege diuina prohibente, & Moyse dicente scriptum sit, non simul arabis in boue & asino, id est, homines disparis & diuersæ professionis, non in vno & eodem officio sociabis.*

Quocirca Pontifices Romani huiusmodi decreta in tanta veneratione habuerunt, vt licet aliquando in illis dispensauerint, vt Clemens VIII. in Carmelitanis Monialibus venientibus causâ instituendi monasteria ex Hispania in Galliam, quas iurisdictioni quorumdam Sacerdotum supposuit: & Vrbanus VIII. Moniales easdem Petro Berulio sacerdoti congregationis de Oratorio Generali, postea ad Cardinalatum assumpto: nihilominus hac vsi sunt dispensatione de consensu earumdem: sicut etiam de consensu Fratrum conuentualium Reformatorum Ordinis S. Francisci, Gregorius XV. cum eisdem Vicarium generalem Carmelitanum, nomine Ferdinandum, pro tempore præfecit: & iure merito, cùm sententia sit probabilior, quòd Pontifices Romani non possunt personas Regulares supponere alteri superiori, quàm suo. Quoniam 1. hoc esset mutare naturam voti quoad terminum, & inducere obligationem in ratione voti, quod præcisè personale est, sine voluntate vouentium, quod Papa facere non potest. 2. Quia videtur illud præceptum de non arando cum boue & asino, non esse tam ceremoniale & iudiciale, quàm morale; ac proinde quantum ad sensum & significationem durare, ac sic non posse in illo dispensari. Et hanc sententiam coràm Vrbano VIII. sustinente oppositam Campeggio Congregationis Regularium secretario, in causa dictarum Carmelitarum, sustinuit doctissimus canonista VVlpius Theatinus, illius Pontificis Secretarius. Verùm hisce temporibus videmus illam oppositam sententiam in praxi: præficiuntur enim seculares Regularibus, ipsis etiam contradicentibus, & omninò inuitis, quod signum est, Pontifices Romanos ad id potestate pollere. Ex quibus nostræ propositionis secunda pars concluditur; videlicet conuenire, & expedire quòd Prælati sint eiusdem Ordinis & professionis ac subditi: licet aliquando aliud factitatum sit, vt etiam legimus apud Bedam lib. 3. de gestis Anglorum cap. 4. Episcopos partis Septentrionalis Angliæ extitere subditos Abbati Monacho Monasterij insulani nuncupati.

PROPOSITIO II.

PRælati Regulares eandem in subditos Regulares iurisdictionem possident, quâ Episcopi in suos potiuntur.

Prælati Regulares Hierarchiam Ecclesiasticam repræsentantes inter se, sicut Hierarchæ, differunt. Alius enim vocatur Generalis, cui vniuersus Ordo, ad quem regendum vocatus est, committitur; estque vnus dumtaxat pro quolibet Ordine seu congregatione: alius est nomine Prouincialis; cui vna Ordinis Prouincia dumtaxat gubernanda committitur: tertius est localis pro diuersitate Ordinis variis nominibus nuncupatus, qui vni Monasterio præficitur: vltimus denique Vicarius nominatus, cuius nominis duplex est munus, alius enim illud exercet dependenter à Prælato locali, alius independenter ab illo. De primo non fertur nostra propositio, sed de secundo, & aliis Prælatis anteà memoratis. His prænotatis, probatur propositio.

1. Quoniam peioris conditionis essent Regulares exempti, quàm Sæculares, si eorumdem Superiores seu Prælati, eadem, quâ potiebantur in illos antea Episcopi, iurisdictione non fruerentur: at non sunt peioris conditionis; ergo illorum Prælati eadem facultate lætantur. Huius rationis efficaciam optimè nouerat Pius V. Bulla quæ incipit, *Romani Pontificis circumspecta benignitas*, in fauorem Fratrum Prædicatorum

Prouinciæ Castellæ emanata, dum omnimodam iurisdictionem Episcopalem Prælatis Regularibus in subditos, in foro conscientiæ impartitur, cuius verba inferiùs referemus. Sed quoniam illa iurisdictio eis concessa ad forum conscientiæ restringitur, sicut & in pluribus potestas Episcopalis restricta est, ideò nostra propositio de potestate in vtroque foro est probanda.

Quod 2. fiet prosequendo eamdemmet rationem proximè adductam. Nam si peioris conditionis non sunt Regulares, quàm seculares clerici, & laici, Episcopis omnimodam iurisdictionem in subditos, tam in foro interno, quàm externo habentibus, ipsos Prælatos Regulares, illâ etiam potiori iure frui necesse est; cùm conditio Regularium conditione secularium melior existat, fuerintque ab Episcoporum iurisdictione exempti; non vt iurisdictionis & potestatis iugum excuterent, sed vt in iurisdictionem Prælatorum suorum, vt magis statui Regulari commodam, & quæ magis expediret, transferrentur; ac proindè eadem, quàm Episcopi anteà in dictos subditos habebant, iurisdictione pollent. Episcopi autem ante exemptionem pleno iure, illâ in vtroque foro in dictos Regulares potiebantur; ergo etiã similiter prælati Regulares eam iurisdictionem in eosdem pleno iure possident, nisi restingatur. Quod àddo propter Prælatum localem, in quo potestas in foro externo restricta est: quocirca Porrel. verbo *Prælati iurisdictio*, num. 5. licet illud sustineat pro Prælatis, Generali & prouinciali, & afferat etiam idem pro locali in foro interno, tamen in foro externo de eodem negat cum Sanche lib. 8. de Matrim. disput. 3. num. 9. & disput. 1. num. 13.

3. Probatur propositio, quoniam ex axiomate Philosophi, qui dat formam rei, dat etiam consequentia ad illam; cùm igitur Pontifices statum Regularem ab Episcopi iurisdictione secreuerint, & Prælatos eiusdem instituti subditis Regularibus præposuerint, eam formam regiminis illi statui prębendo, proculdubio eisdem impartiti sunt plenam iurisdictionem in subditos, tamquam consequentem ad illam formam; ac proptereà cùm iurisdictio Archiepiscoporum & Episcoporum sit illimitata in subditos, nisi à Papa arctetur; sic similiter illa iurisdictio Prælatorum Regularium est illimitata, possuntque in subditos facere quidquid Papa in vniuersa Ecclesia, & Archiepiscopi & Episcopi in suis Diœcesibus, nisi ab eodem Papa, aut ab aliis ad quos spectat, arctetur; vt de facto àrtata est. Atque hęc sententia est Victoriæ in Relect. de Potest. Eccl. quæst. 2. num. 28. Soto in 4. distinct. 27. q. 1. artic. 4. Roderici 1. to. QQ. Regul. q. 27. artic. 6. & Mirandæ 1. tom. in Manuali. qu. 13. artic. 5. & 2. tom. q. 7. artic. 1.

4. Status Regularis est status humanus, cui competit, vt statim atque illius caput aut princeps electus est, illum iurisdictio comitetur, vt cernere est in primo Rege à Deo mediante Samuele electo, cui statim ius, seu iurisdictio ab eodem Samuele anteà populo pronunciata, concessa fuit. Ergo similiter ex humano iure quotiescumque aliquis status Regularis erigitur, & caput, seu Prælatus eidem præficitur, statim ex consequentia rationabili & humana ei iurisdictio impartitur. Et illud videntur supponere Pontifices, dum institura Ordinum Regularium approbant, sicut & dum priuilegia eisdem largiuntur, præcipuè Pius V. in Bulla. *Etsi Mendicantium*, qui arcet Episcoporum iurisdictionem in Regulares, ex eo quòd supponat, plena iurisdictione Regulares in eosdem pollere.

Dicet aliquis cum Suario tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 2. num. 2. duplicem esse potestatem: vnam dominij, vt est illa quæ reperitur in parte, respectu filiorum, & Domino respectu seruorum; aliam verò iurisdictionis, similem illi quę in Episcopo relatiuè ad subditos reperitur, de qua alibi egimus, primamque esse necessariam, secundam verò minimè: vt constat de Monialibus, quæ carent iurisdictione spirituali, sicut & antiquissimi Monachi carebant, & tamen illarum, & horum status verè est Regularis: nam in promptu est responsio: statum illum Monachorum non potuisse subsistere sine iurisdictione spirituali in prælatis, vt modo est in Pręlatis Monialium quorum iurisdictione, subsistunt, licet illi pręlati aliquando fuerint sęculares, sicut & in præsenti multi tales sunt. Fateor tamen hanc iurisdictionem illis non competere ex necessitate consequentiæ naturalis; sed ex conuenientia, ac etiam ex necessitate posita exemptione, vt aduertit idemmet Doctor num. 6.

5. Probatur ex definitione Iuris expressa in cap. *Nullum*, 18 qu. 2. in quo dicitur de Abbate, *Ad quem potestas tota pertinere conuenit*, ex quo Nauarrus in comment. ad illud cap. cum aliis Canonistis colligit plenitudinem potestatis, seu iurisdictionis Prælatorum Regularium in subditos, tam quoad spiritualia, quàm quoad temporalia. Possemus hic adducere multa priuilegia Prælatis Regularibus concessa ad effectum huius potestatis, sed de his inferiùs in suis locis agetur.

Ex quibus omnibus constat, iurisdictionem Prælatorum Regularium non esse illis iure Diuino debitam, sed institutione humana dumtaxat. Quo autem tempore cœperit eis concedi non constat. Illud autem omninò certum est, quòd statim atque exemptio ab Episcoporum iurisdictione illis data est, ex consequenti est illis iurisdictio spiritualis concessa.

PROPOSITIO III.

Prædictorum Prælatorum Regularium iurisdictio hodiè magna est, maiorque esset, nisi esset limitata.

Hæc veritas quoad primam partem ex dicendis de vnoquoque probabitur. Ac 1. Rodericus tom. 1. QQ. Regul. qu. 12. art. 5. Miranda in Manuali tom. 2. quæst. 7. art. 1. & Martinus à S. Iosepho de Auctorit. General. num. 1. & 2. asserunt, quòd Generalis in suo Ordine habet iurisdictionem & auctoritatem, sicut Patriachæ & Primates: ac quemadmodum illi præsunt nationi, in qua sunt plures Episcopi, causas illius & Episcoporum audiunt, cognoscunt, illos corrigunt, ad concilia cogunt, leges indicunt, præcepta imponunt, ligant, & absoluunt, & dispensant: sic Generalis subditos habet Prouinciales quasi Episcopos, illorum causas audit, iudicat, corrigit, ad comitia generalia conuocat, leges & præcepta tum illis, tum cæteris subditis imponit, ligat, absoluit, & cùm opus est, dispensat, non solum in rebus, quæ respiciunt forum conscientiæ, & obseruantiam Regularem: sed etiam in iis quæ iurisdictionem Prælatorum inferiorum respiciunt, à quorum iurisdictione possunt fratres & conuentus subditos eximere: sic Franciscus Motiens Bernardum Quintaual'æum exemit, *his verbis: esto Dominus fratrum tuorum & tuo imperio cuncti subiaceant, quoscumque volueris recipere ad ordinem istum recepti sint, & quoscumque emittere volueris, emittantur: nullus super te potestatem habeat; & quocumque volueris libere possis pergere & morari.* Sic videmus plures exemptos à Prouincialium iurisdictione siue à Papa, siue à generalibus, vt Conuentū sancti Francisci Parisiensem cum omnibus fratribus inibi morantibus, & quamuis hanc potestatem ex officio non possiderent, haberent illam ex priuilegio Dominicanis concesso à Iulio II. Bulla, cuius initium: *Exposuisti nobis*, cum illa amplitudine videlicet, *quamuis secundum constitutiones dicti Ordinis tam fratrum, quàm sororum; & statuta & priuilegia Apostolica, fundationesque Monasteriorum non nullorum specialiter cautum sit, vt Prouincialibus subsint*, quo vti possunt generales, si constitutiones ordinis non obsint.

Prouincialis habet facultatem & iurisdictionem in sua Prouincia, vt Archiepiscopus in suo Archiepiscopatu: ac sicut Archiepiscopus potest ad Concilium Prouinciale suos suffraganeos Episcopos conuocare, potestque illis indicere, & præcipere, quę sibi bene visa fuerint: sic Prouincialis Prælatos suæ Prouinciæ ad comitia conuocare potest; illisque præcipere quæ sibi bene visa fuerint: habetque eadem potestatem in sua Prouincia, quam habet Generalis in toto Ordine, nisi limitetur à Papa, capitulis, aut à Generali Prælato. Sic Ioannes de la Cruz in epit. lib. 1. cap. 6. num. 3. Miranda proximè citatus, Martinus à S. Iosepho de Authorit. Prouincial. num. 1. & 2. & alij.

Prælatus localis pollet in suo Conuentu seu Monasterio iurisdictione & potestate Episcopali, quam illi concessit Eugen. IV. Bulla quæ incipit, *Regularem vitam*, in fauorem Benedictinorum congregationis Sanctę Iustinæ, verbis sequentibus, *Quia etiam ne prædictæ Congregationis Monachi ab eorum quiete distracti, Romana curia, pro crebris*

crebris obtinendis licentiis frequentare cogantur, quod in omnibus casibus in quibus de iure communi Prælatis, & Monachis dictæ Congregationis auctoritas, siue licentia, seu dispensatio Ordinarij esset necessaria, si ab eisdem non essent exempti, Prælatis, Abbatibus, Prioribus & Rectoribus huiusmodi, qui pro tempore fuerint, vna cum eorum conuentibus, auctoritate Apostolica absque eo quòd ad Sedem Apostolicam habeant recursum, huiusmodi licentiam & auctoritatem tenore præsentium indulgemus. In quibus video potestatem superioris localis esse eamdem in subditos, qualis est Episcopi in suos, nisi limitetur à Prouinciali, aut ab aliis, de quibus suprà egimus. Sic tenent absolutè Panormitanus in cap. *Etsi Clerici*, de Iudiciis num. 16. sequendo Benedictum & Fredericum, Sotus lib. 2. cap. 31. num. 28. Saytus in Claui regia, lib. 11. num. 89. Sanches lib. 4. Oper. moral. cap. 39. num. 5. & de Matrim. lib. 8. disput. 3. nu. 9. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12. Suarez tom. 2. de Relig. tract. de Voto, lib. 6. cap. 14. nu. 11.

Denique Vicarius Superioris localis, in absentia eiusdem, eamdem quam ipse iurisdictionem habet, quam etiam illi concessit Iulius II. Sic Azor. lib. 7. Institut. cap. 29. qu. 6. Sayrus loco citato nu. 89. Portel. verb. *Guardianus*, nu. 3. estque hæc sententia Iuri Ciuili conformis, quod disponit, vt Vicarius constitutus vice præsidentis idem possit in iustitia administranda, ac Præsidens in Prouincia, l. 10. Cod. de de Officio eius qui vicem alterius, & l. 2. de Officio Vicarij, quæ ita habet, *Vicarius nomine se iudicet trahere portionem & reuerentiam principalis, & Authent. de Collationib. §. Ad hæc, collat. 9. disponit, vt Vicarius iudicis possit totum illud, quod Iudex potest, saluis mortis, & mutilationis membri casibus*: nec potest superior localis illam facultatem limitare, quia concessa vt suprà à Iulio II. Sic Roder. in Summa impressa 1621. tom. 2. verb. *Religios.* c. 107. nu. 4.

Quoad verò secundam partem probatur ex sententia præcitatorum Doctorum qui existimant, præcisa limitatione eamdem potestatem habere Generalem in suo Ordine, quam Papa habet in vniuersa Ecclesia; & Prouincialem in Prouincia, eandem quam Generalis, & sic de aliis duobus Prælatis localibus in suo Conuentu.

PROPOSITIO IV.

Potestas iurisdictionis prædictorum Prælatorum Regularium, videlicet Generalium, Prouincialium, & Localium est ordinaria, qui possunt eam delegare: suntque excommunicati excommunicatione Papæ reseruata, qui Commissariis à Generalibus missis inobedientes se exhibent.

Probatur propositio, quoad primam partem 1. quoniam Superiores, Generales, Prouinciales & Locales sunt verè Prælati Ecclesiæ, vt in Tractatu de Exemptione diximus; Prælati autem huiusmodi habent in subditos iurisdictionem ordinariam; ex consequenti etiam dicti Prælati Regulares eâdem potientur.

2. Illorum Prælatorum iurisdictio ex iure similis est iurisdictioni Episcoporum, vt constat ex cap. *Abbas*, de Priuileg. in 6. & ex Glosa in illud cap. item ex Glossa in Clement. 1. De rebus Ecclesiæ non alienandis, verb. *Proprij*, vbi & ad hoc propositum plura etiam allegantur, & proponuntur iura, ac etiam tradunt communiter Doctores Iuris Canonici, & nos etiam superiùs docuimus: Episcopi autem proculdubio iurisdictione ordinaria potiuntur; ergo & Prælati Regulares.

3. Iurisdictio quæ competit alicui beneficio legis ordinaria, & ideò Iudex ordinarius dicitur, qui beneficio legis suam auctoritatem habet iuxta Glossam in cap. *Cùm ab Ecclesiarum*, de Offic. Iudic. ordinar. delegatus autem dicitur, qui illam habet non beneficio legis, sed ex alterius commissione cuius vices gerit: lib. 1. ff. de Offic. eius, cui demandata est: & Rubrica de Offic. delegati. Sed Prælatis illis iurisdictio competit legis beneficio, vt constat de Abbate ex cap. *Nullum*, 18. quæst. 1. in quo dicitur, quòd tota iurisdictio pertinet ab Abbatem, & ad alios Prælatos

qui sub nomine Abbatis comprehenduntur, ergo illorum iurisdictio est ordinaria; ac ex consequenti, sunt ordinarij.

4. Quoniam iurisdictio concessa delegatione perpetua, & non temporali, est ordinaria ex consensu omnium Doctorum, inter quos id existimat Bartol. in l. 1. §. *si plures*, ff. de Exerc. act. & Glossa in l. *Pluribus*, ff. *de Procur.* & Glossa in cap. fin. de Offic. Ordin. & Clarus in idem cap. ff. *Concludimus*, Panormit. in cap. *Quoniam*, de Offic. deleg. §. *Cæterum*, Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 42. & clarissimè Baldus in l. vnica, ff. de Consul. cuius verba sunt hæc, *Vtrùm commissio faciat aliquem Ordinarium, vel delegatum: Respondeo, si est commissio perpetua, facit Ordinarium.* Sic etiam tenent Christoph. à capite fontium, verb. *Absolutio ordinaria quoad Fratres.* num. 27. Rodericus tom. 1. quæst. 17. artic. 6. & quæst. 22. artic. 11. Constat ergo ex superioribus, & ex dicendis fusiùs constabit, dictos Prælatos delegatione perpetua iurisdictionis potiri, illorumque iurisdictionem esse verè ordinariam. Ex quo etiam sequitur euidenter hanc potestatem posse delegari, cum omnis potestas ordinaria sit delegabilis, vt est certum apud omnes, & sic probata manet 2. propositionis pars.

Tertiam partem propositionis probat expressè Bulla Leonis X. in fauorem Minimorum concessa; quæ incipit *licet aliàs.* Eodem priuilegio decoratus fuit ordo Fratrum Minorum à Gregor. XIII. B. *Quoniam nostro.* Verum licet hæ Bullæ non emanassent, Regulares tenerentur obedire dictis commissariis, cùm eadem & illorum sit potestas: Imò quod maius est, si qui fratres in conuentibus, in quibus ius visitandi possident ex sua delegatione, vellent impedire visitatorem in sua visitatione facienda possent ab illis, etiamsi non subditi coërceri & castigari, *cap. ex literis* de Offic. Iud. deleg. & tradit Feder. de sent. confess. 145. num. 2. & Cherub. schol. 2. in Bullam Sixti v. 28. Dices hunc canonem intelligendum de iudice à Papa delegato. Respondetur à paritate rationis argumẽtandum in cæteris delegatis: cùm enim delegantes velint literas commissionales suum effectum sortiri, censentur concedere facultatem & potestatem coërcendi omnes fratres sibi subditos, ne impediant huiusmodi effectum: meum tamen iudicium in hac sententia sicut in cæteris, aliorum iudicio submitto.

PROPOSITIO V.

POtestas eorumdem Prælatorum extenditur ad Moniales non solùm in spiritualibus: verumetiam in aliquibus actibus, qui earumdem temporalia respiciunt.

Constat ex multis Pontificum constitutionibus, penes prælatos esse in Moniales omnem iurisdictionem; & ex alibi dictis præfectas Monialium, quocumque nomine nuncupentur, in easdem iurisdictione omni prorsus carere: de qua materia præter alios vide Sanchem infra citandum, & Mirandam tract. de Sacris Monial. quæst. 6. artic. 5. Ac proinde non posse suis monialibus in virtute Spiritus sancti, aut sanctæ obedientiæ, præcipere; & si præcipiant, præceptum non valere: quoniam ex vsu Ecclesiæ præcepta huiusmodi imponere ad solos prælatos spectat. Posse verò Papam, & non alium, illis committere, vt præcepta huiusmodi, imò & excommunicationem imponant. Qui & alij Prælati possunt præceptum monialibus sub mortali obligans imponere, vt præfectæ iubenti hanc vel illam rem, obediant; & si iubeat, & non obediant moniales, mortaliter peccabunt. Posse tamen præfectas præcipere, vt in virtute obedientiæ sibi debitæ, quæ est ad instar obedientiæ matrisfamiliæ, vel superiori seculari debitæ: quod si præceptum fuerit in re quæ sit grauis, transgressio illius erit mortalis. Sic Sanches in precepta Decalogi lib. 9. cap. 1. à num. 17. vsque ad 30. cum iis quos citat.

Constat etiam ex multis priuilegiis, eosdem Prælatos posse moniales sibi subditas ab vno in alium locum transferre, causâ noui monasterij ædificandi, & mul-

ta alia temporalia exercere, de quibus non est controuersia.

Constat vltimò, posse prælatos huiusmodi esse iudices in causa reclamationis monialis aduersus professionem, illamque nullam posse declarare; si talis sit, eo modo quo alibi diximus de viris nulliter professis reclamantibus, dictisque ibi addimus, quòd licet in rescriptis apponatur clausula, *non audiatur, nisi in monasterio,* quòd reclamans intra quinquennium, ac etiam, restitura aduersùs lapsum quinquennij, non amittit ius, vt audiatur, si superior monasterij & moniales illam admittere nolint in claustrum: quia sicut aliæ duæ clausulæ, videlicet *in habitu regulari,* & *sub obedientia superioris,* quæ in dictis rescriptis solent apponi, eo fine apponuntur, vt ius religionis seruetur: sic & hæc, cui monasterium, & superior ipsius monialis cedentes, potest licitè omitti, potestque reclamans in aliena dumo auditi: quod similiter in viro regulari reclamante, locum habet.

Notabis tamen, quòd stilus obtinendi rescriptum à reclamante intra quinquennium, vt audiatur aduersùs professionem, differt à stilo obtinendi rescriptum aduersùs lapsum quinquennij; in illo enim non præmittuntur informationes, testiumque auditiones coràm ordinario, seu Officiali, de materia, seu causa; verbi gratia metu, quæ nullitatem inducit: in hoc autem præmittendæ sunt.

De prædictis ergo, quia certa sunt, non est difficultas: est tamen de quibusdam aliis duplex difficultas: prima, num illorum prælatorum iurisdictio se extendat ad dotes taxandas pro monialibus nouitiis recipiendis. Secunda, num etiam possint computum de bonis temporalibus à Monialibus exquirere? aut facere, vt in manibus tertij redditus monasterij conseruandi, & expendendi deponantur. Prima difficultas (supponendo priùs quòd monasterio pauperi, ac etiam diuiti, licitum est pro victu, vestitu & sustentatione congrua Nouitiæ recipiendæ accipere dotem): facilè probatur. 1. Quoniam quod à iure determinatum non est, nec ab illo prohibitum, relinquitur prælatorum dispositioni: sed huiusmodi dotes non sunt à iure taxatæ, nec vlla prohibitio est, ne à prælatis taxentur; ergo huiusmodi taxatio ad illos spectat. Dices, spectare ad moniales, cùm distributio & dispensatio reddituum ad easdem pertineat, nec sit huiusmodi taxatio iurisdictionis actus. Respondetur, esse actum iurisdictionis; nam sicut ostendunt Theologi, iurisdictionem Episcopi in temporalia originem ducere à spirituali iurisdictione, sic facultatem taxandi dotes esse actum à iurisdictione spirituali manantem: Moniales autem sicut spirituali iurisdictione carent, sic & facultate ad hunc actum, qui ex illa consequitur.

Probatur 2. quoniam licèt huiusmodi taxatio non procederet à iurisdictionis potestate, attamen non posset fieri à monialibus, sed ab eorumdem prælatis; quoniam aliquando fœminea auiditas ad ditandum monasteria, dotes pro recipiendis Nouitiis ad summas pecuniarum exorbitantes accrescerent; & è contrario appetitio augendi numerum monialium faceret, vt multæ indotatæ reciperentur. Quocircà sicut imbecillitati huius sexus conuenientissimum fuit, illis determinare, qua intentione huiusmodi dotes reciperent, ne in simoniam laberentur; vt fecit ob eam causam Innocentius VIII. prout habetur in compend priuileg. Mendic. verb. *Moniales.* §. 16. Sic etiam expedit, vt eisdem taxentur dotes, ne errore, aut fragilitate fœmineà ductæ, faciant aliquid contra suæ regulæ, & sacrorum canonum obseruantiam.

3. Probatur multis concessionibus Pontificum, quæ prælatis omnimodam in spiritualibus & temporalibus in moniales iurisdictionem impartiuntur, quas hîc adducere, esset importunum: ergo temporalem hanc pro dotibus taxandis facultatem possident, & quamuis non haberent hanc facultatem vt suprà, hoc tamen ius taxandi ad illos spectaret: sicut pro maritandis virginibus ad Principem spectat taxare dotes, itaut nec plus, nec minus eis à parentibus donetur, quàm ferat taxatio, vt latissimè tradit Couarr. in suo tract. de Sponf. 2. p. c. 3. Attamen congruentissimum est, ad id vocare præfectam cum antiquioribus, seu discretis monialibus monasterij, vt pensatis omnibus, quod magis conueniat iudicetur, & sic moniales à murmuratione retrahantur.

Quoad verò alteram partem, videlicet, quòd iidem Prælati possint exquirere cō-

A a ij

putum iuridicum, manifestè constat ex præmissis. Si enim iurisdictionem temporalem habent in Moniales, etiam in temporalia earumdem in hoc casu procul dubio similiter habent. Sed difficultas est, num Episcopus possit illum computum exquirere à monialibus sibi non subditis: quidam enim Episcopi sibi illud arrogarunt, vt testatur sæpe nominata bulla inchoata, *Et si Mendicantium*, à Pio V. edita. Sed hanc difficultatem cum quibusdam aliis ipsemet ibi dissoluit, dum sic pronuntiat, *Et ita præfatæ moniales, ac fratres sint exclusi à superioritate & iurisdictione Ordinariorum respectiuè huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum Syndicu, aut procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel alia non sibi competentia facienda, vllatenus non se intromittant.* Quid clarius hac illius difficultatis solutione.

Quoad 3. partem, num possint prælati cogere moniales sibi subditas, ad deponendos redditus in manibus personarum sæcularium, vt hæ pro necessitatibus monasterij illas distribuant? quæstio est. Quidam enim Episcopi id prætenderunt in moniales sibi non subditas; sed præfata Pij V. determinatio, vt patet, illos repellit; num autem illi, ac alij Prælati id possint in sibi subditas? Respondeo, quòd vel moniales habent ius ex suis constitutionibus recipiendi suos redditus, & illos distribuendi, vel non; si non habent hoc ius vt suprà, & sunt pleno iure subditæ eisdem, credo id posse (exceptis fratribus Minoribus de Obseruantia, quibus ex suis generalibus statutis id prohibetur.) Ratio est, quoniam in illas temporalem iurisdictionem plenissimam possident: si autem moniales illud ius habent, id non posse dictos prælatos certissimum existimo, cùm iuxta tritum axioma S. Bernardi quidquam contra regulam illis præcipere non valeant. Quod maturè à secretiori Regis Christianissimi consilio ponderatum super appellatione de abusu in hac materia interposita à quibusdam monialibus Ciuitatis Burdigalæ, Archiepiscopum eiusdem ciuitatis condemnauit per Placitum sub die 12. Nouembris 1643. cuius authenticum asseruatur in Archiuiis Monialium Monasterij S. Benedicti eiusdem loci. Obiicies decretum Cardinal. in cap. 9. sess. 25. de regular. à Gallemard. relatum quo dicitur, *per hoc decretum nulla iurisdictio concessa est Episcopis in Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subiecta nisi in concernentibus spiritualia; in temporalibus verò nihil agere possunt*: Respondetur in vi illius cap. nihil habere præter iurisdictionem spiritualem; aliundè tamen habere, si in illas iurisdictione pleno iure potiantur. Plura de dotibus reperies apud citatum Mirandam.



CAPVT III.

DE FACVLTATIBVS PRÆLATORIVM REGVLARIVM AD SVBDITOS A CENSVRIS

reseruatis, tum ex Iure communi, tum ex Priuilegiis absoluendos.

PROPOSITIO I.

PRælati Regulares possunt iure communi suos subditos ab omnibus censuris occultis Papæ reseruatis, etiam hæreseos, absoluere, si praxim in Italia & Hispania contrariam, quæ inibi obseruanda est, excipias.

Supponimus primò tamquam certum, prædictos Prælatos Regulares habere forum, sicut Prælati Ecclesiastici: quod triplex est: Aliud est enim forum sacramentale, quod in solo sacramento Pœnitentiæ à Sacerdote absoluente ministratur; aliud est forum Conscientiæ, quod ab habente iurisdictionem spiritualem, siue sit Sacerdos, siue non, per absolutionem non Sacramentalem, nec coràm Ecclesia, sed tantùm coram Deo in salutem animæ absoluti exercetur, non tollendo ius tertij: Tertium est forum exterius, seu contentiosum; & est illud quod ab Ecclesia, seu iudice per absolutionem iuridicam Rei est in praxi. Hæc tria ferè certa sunt ex Syluest. v. *Absolut.* qu. 1. num. 3. ex Nauarro in Manu. c. 27. num. 14. & ex Couarru. in cap. *Alma mater.* parte secunda, §. quarto, numero sexto: qui etiam addit, absolutionem in foro conscientiæ coram pluribus, & videntibus multis factam, non propterea desinere esse in foro conscientiæ: sic etiam sentit Miranda in Manual. quæstione quadragesima sexta, articulo septimo.

Supponimus 2. absolutum in foro conscientiæ tantùm, ita se gerere debere erga Sacramenta, & alia, ac si omninò esset in foro exteriori iniustè excommunicatus, ac proindè posse celebrare; & quamuis publicè celebret, etiam cùm scandalo, non erit irregularis, licet peccet propter scandalum, & in foro exteriori in rigore iuris censeatur irregularis, licet iudex non deberet in illum agere vt irregularem, si illi de absolutione in foro conscientiæ seu interiori constaret. Sic Miranda citatus art. 8. Soto in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 3. Nauarr. in Manuali cap. 27. & Simancas de Catholic. instit. cap. 47. num. 79.

Supponimus 3. quòd occultum hoc loco dicitur iuxtà Suar. tom. 4. disput. 3. sect. 3. verb. *Abbas.* num. 3. Sanchem lib. 2. num. 18. qui sequutus est Nauarr. Castr. & Sorbum, illud quod licèt notum sit aliquibus, non tamen in tota vicinia, collegio, vel communitate notum est. Supponimus 4. delictum deductum ad forum contentiosum tunc dici, quando saltem per vnum testem iam ad iudicium delatū est, siue iustè, siue iniustè; requiritur tamen, vt hæc delatio sit reo intimata; si enim à iudice non sit illi sic intimata, non dicetur eius delictum ad forum contentiosum de-

Digitized by Google

ductum: Sic Sanches proximè citatus, Portel verb. *Abbas.* Cyprian. Crosers super 7. cap. Reg. Minor. & alij, quamuis quidam requirant, vt præter citationem, seu intimationem prædictam fuerit in iudicio lis intentata.

His suppositis probatur propositio explicata de Prælatis, Generalibus, Prouincialibus, & Localibus, & eorumdem vices gerentibus, seu Vicariis: ac etiam de eo, quòd possunt ex solo iure communi absque priuilegio. Quoniam Episcopi iure communi illud possunt; ergo & Prælati Regulares; alioquin hi, eorumque subditi essent peioris conditionis quàm Episcopi, & eorumdem subditi sæculares, cuius contrarium superius probauimus: ac etiam quòd quoad Regulares tota iurisdictio, quæ ad Episcopos spectabat, dum erant Regularium Prælati, in Prælatos Regulares translata est: & huius nostræ sententiæ est Sanches lib. 8. de Matrim. disput. 2. num. 22. & 23. & disput. 3. num. 9. & 12. Henriq. & Roder. à Sanche citati, & alij. Dixi in proposit. praxim esse contrariam quoad absolutionem ab hæresi in partibus Italiæ & Hispaniæ: eamque inibi seruandam qua soli Inquisitores ab hæresi absoluunt, quam praxim approbo, eamque iure aliquo Pontificio, quod nondum ad me peruenit, introductam fuisse existimo.

Ex quibus, & ex suprà suppositis, sequitur 1. dictos Prælatos in sibi subditos licèt infamia publica in aliqua regione respersos, in regione, in qua publica infamia non laborant, idem quod superius iure communi posse; modò crimen ad iudicium non fuerit deductum; tunc enim dicti Prælati nihil in illud possent; nisi reus ab illo crimine, veritate aut mendaciis, se purgasset. Sequitur 2. id quod superiùs posse, licèt rumor de censuris contractis sparsus sit; dummodò qui illas contraxit, possit se deffendere, & illas palliare, etiam tergiuersatione. Sequitur 3. id quoque posse cum illo, qui censuras huiusmodi incurrit patrando crimina, quibus illæ censuræ impositæ sunt, in præsentia suorum domesticorum. Sequitur denique vltimò id posse, si crimina illa coràm pluribus noctu patrata sunt. Ratio harum sequelarum in promptu est, quia hæc omnia sunt occulta, vt tenent Berardus 1. P. cap. 1. de Blasphemia in fine, Panormit. in cap. *Vestra*, de cohabitat. Cleric. & mulier. & Millard. cap. 97. de Pœnitent. instruct. 1. num. 12.

PROPOSITIO II.

Idem Prælati videlicet Generales, Prouinciales, & Locales & eorum Vicesgerentes seu Vicarij, non solùm iure communi, sed etiam ex priuilegiis, possunt quoad occultos casus, & censuras prædictas illud omne circa subditos, quod Episcopis per Tridentinum quoad occultos casus conceditur: videlicet ab illis eos absoluere.

Posset hæc veritas probari ex multis Pontificum concessionibus, & præcipuè Clementis IV. & Sixti IV. sed his omissis probatur ex bulla Pij V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, quâ concedit hanc facultatem Prælatis Ordinis Sancti Dominici, his verbis, *Et insuper quod sacrum œcumenicum generale Tridentinum Concilium concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ, ab omnibus peccatis, &c. prout in sessione vigesima quarta, capitulo sexto habetur: ne Prior Conuentualis, & superiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet, in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut sæculares existant; eisdem Priori conuentuali, & superioribus Prælatis, vt ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres & Montales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subiectos, tam quoad absoluendi, &c. quàm alias quascumque facultates, eisdem authoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.* Hæc Pontifex. Atque sic tenet Casarurbius in Compend. priuileg. tit. *Absolut. Ordin. quoad Fratres.* Cyprian. Crosers super septimum caput Regulæ Minorum: Portel verb. *Abbas*, numero 1. & eodem verbo in addit. numero primo & tertio, & verbo

Dispensare, verbo etiam *Prælati potestas ad absoluendum & dispensandum*: Henriquez lib. 6. capitulo 16. Flores de Mena Variar. resolutionum, lib. 3. quæst. 24. num. 18. Auila de Censuris parte 1. dispur. 10. dubitat. 10. Sanchez in Summa, tom. 2. lib. 2. quæst. 8. num. 5. Moneta de Commun. vet. volunt. capitulo 5. num. 55. Sigismundus à Bononia tractatu de Electione, dubit. 51. num. 18. Rodericus tom. 1. quæst. 61. artic. 9. Molina tractat. 3. disput. 61. num. 4. & 5. Vecchius in Praxi Nouitiorum disput. 9. à num. 4. & citati Sanches num. 4. & Henriques lib. 7. capit. 25.

Excipiuntur tamen illi casus, qui per statuta Generalibus, & Prouincialibus reseruati sunt, à quibus inferiores Prælati minimè absoluere possunt absque eorumdem facultate.

Quia verò multa sub nomine casuum reseruatorum complectuntur, certum esse dicimus, quòd casuum, censurarum, suspensionum, & irregularitatum nomine in Trident. sess. 24. c. 6. de Reformat. concessorum Episcopo, & per concessiones Apostolicas Prælatis Regularibus, intelligi 1. peccata reseruata, vt simoniam in Beneficiis. 2. Censuras reseruatas, quæ sunt tres in specie, videlicet excommunicatio, suspensió, & Interdictum. 3. Irregularitatem. 4. Priuationem beneficiorum, vel Officiorum iam obtentorum. 5. Inhabilitatem, quâ quis ob culpam grauem fit inhabilis, ne in posterum possit aliquod Officium, aut Beneficium obtinere; Quæ duo vltima, licet non exprimantur in dicti Concilij textu, tamen sub nomine suspensionis comprehenduntur: vt latè probat Rodericus in expositione motus proprij Pij V. de ingressu mulier. in Monasteria Religiosorum, numero trigesimo quarto, & Portel. ver. *Abbas*, in addit.

PROPOSITIO III.

PRæmemorati Prælati possunt in subditos, & subditas omnia supradicta, licet censuræ, & casus huiusmodi sint publici, ac etiamsi sit crimen hæreseos: maximè in partibus vltra montanis, in quibus non viget sacræ Inquisitionis officium. Excipiuntur tamen illi casus, qui Prælatis maioribus per statuta sunt reseruati.

Sic Cyprianus Crosers in cap. 7. regulæ Minorum, Suares tom. de Religione tract. de Religios. quatenus Prælati sunt, lib. 2. c. 21. Hieron. Roderic. in Comp. QQ. regul. resolut. 3. num. 3. Peirinus in priuilegia Minimor. constit. 4. Xisti IV. §. 5. num. 6. cum sequentibus. Vega in Summa tom. 1. c. 49. num. 1. & Sanches in simili materia in Decal. lib. 6. c. 17. Atque hæc veritas habetur in multis concessionibus Pontificum, & præcipuè ex Mari magno Fratrum Minorum, & Prædicatorum, ex Clem. IV. Gregor. XIII. & ex Alexandro VI. cuius vltimi priuilegium refertur in Compend. priuileg. Societatis IESV, vers. *Absolut.* §. 8. & in Compend. Priuilegior. Mendic. verb. *Absolutio Ordinar. quoad Fratres*, his præcisè terminis, *concessit Generali, Prouincialibus, & Custodibus Ordinis Minorum Obseruantiæ Vltramontanis plenariè facultatem, & auctoritatem, vt quoscumque subditos suos, inuenerint in aliquo hæresis, vel Apostasiæ crimine lapsos, etiam si sint relapsi, possint eos absoluere, &c. Toties quoties opus fuerit, & prout secundum Deum viderint expedire; dummodò talium relapsorum crimina publica & notaria apud sæculares non sint, vt ex hoc scandalum oriri possit.* Hæc Pontifex.

Quibus videre est, hanc facultatem concedere cùm duabus tamen limitationibus; 1. quod potestas absoluendi à casibus Cœnæ extendatur ad solos Vltramontanos: 2. dummodò relapsorum crimina non sint notoria, & publica apud sæculares; quas limitationes non admittit Suares loco citato, quoniam licet dictus Alexander has limitationes apposuerit in suo priuilegio Minoritis de Obseruantia concesso, attamen illas non apposuit antedictus Gregor. in priuilegio ad absoluendum ab his casibus concesso Societati IESV, sed absolutè concedit facultatem absoluendi ab

Digitized by Google

omnibus censuris Papæ reseruatis, sicut concesserat Alexander illis duabus limitationibus tantùm adhibitis: cuius Gregorij verba sunt hæc, *Absoluendo ab hæresi, & à relapsu etiam in hæresim, eos omnes qui sub Societatis obedientia viuunt, si quis in eam inciderit.* Aliæ autem exceptiones adhibitę à Xisto IV. videlicet schisma, Literarum Apostolicarum falsificatio, & delatio prohibitorum ad Infideles, quorum absolutio ab eodem prohibebatur, sufficienter sublatæ fuerunt per priuilegia generalia, quæ nullam exceptionem, vel restrictionem habent: & addunt illam clausulam, *etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda.* Ac ideò cùm verba concessionis ad absoluendum à censuris reseruatis sint generalia, & absolutè pronuntiata, facultas per illa concessa, absolutè de occultis, & publicis censuris est intelligenda; quoniam priuilegium Principis latissimè est interpretandum, cap. *Quamuis plenissima*, de Præbend. in 6. & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, debentque priuilegia intelligi sicut sonant, maximè quando huiusmodi priuilegia concessa sunt, & firmata motu proprio, & ex certa scientia, vt sunt huiusmodi priuilegia; quæ clausula operatur, vt adhuc amplè hęc potestas sit interpretanda. Denique huiusmodi potestatis concessio non est in tertij pręiudicium, & ideò amplè etiam interpretanda iuxta leg. *Hoc modo*, ff. de Condit. & demonst. Cùm illa facultas non transeat in effectum extra Claustra Monasteriorum.

Interim tamen admonemus Lectorem, eumdem Suarium sentire, quòd prędicti Pręlati non possunt subditos absoluere à censura Simonię in susceptione Ordinum contracta, fultum constitutione Xisti V. aduersùs Clericos malè promotos, nisi, vt ipse ait, à tempore Xisti priuilegia Mendicantium fuerint confirmata; quę cum plures Pontifices confirmarint, vt superiùs in 1. tract. probatum est, nulla est ampliùs difficultas super absolutione ab hac censura. Et sic etiam tenet Portell. verb. *Prælatus ad absoluendum subditos*, & expresè habetur in Mari magno Minimorum, in quo fit mentio facultatis absoluendi à Simonia his verbis: *Declaramus, &c. ad Sedem prædictam meritò destinandos: reliquis verò omnibus etiam Simonia qualitercumque irretitis, posse, quibus inibi conceditur* (videlicet prædictis Prælatis) *absolutionis beneficium impartiri.* Hæc Pontifex.

Diximus autem in propositione, quòd dicti Pręlati non possunt absoluere, vt suprà, quando per Ordinis statuta aliqua censura maiori superiori reseruata est absoluenda, quia Pontifices concedentes priuilegia Regularibus, nolunt pręiudicare iuribus Pręlatorum, quę aliquando requirunt, vt illa facultate solus maior, aut maiores Pręlati vtantur.

PROPOSITIO IV.

POssunt prædicti inferiores Prælati absoluere suos subditos à censuris per Superiores maiores in illos latis, etiamsi declarati fuerint illas censuras incurrisse, & vt tales nominatim sint denunciati: imò etiamsi sint tales declarati, & denuntiati à Legato, aut Iudice aliquo Apostolico; vel ab Episcopo etiam in casibus sibi specialiter à Papa commissis.

Hæc propositio quoad aliquam partem probatur à Roder. QQ. Reg. tom. 1. q. 20. art. 1. sed omissa illius probatione, aliam adhibebimus, quæ ex concessionibus Pontificum deducitur. Ac 1. concessit Gregorius XIV. Generali Ordinis Ministrorum infirmorum, vt *possit per se, vel alios, absoluere subditos à quibusuis censuris à iure, vel ab homine, non tamen nominatim, quomodolibet latis.* Quam concessionem refert Sorbus in addit. ad Compendium priuilegiorum Mendic. verb. *Absolutio Ordin. quoad Fratres*: ex quo concluditur, quòd superiores præfati possint ab omnibus prorsùs censuris absoluere; dummodo pœnitentes non sint nominatim denunciati.

Maior concessio est Martini V. in fauorem Benedictinorum, his verbis, *Etiamsi talia forent*

forent propter qua Sedes Apostolica esset consulenda, vel qua summus Pontifex reseruare consueuit: quibus verbis nihil excipit Pontifex. Magis tamen expresse Eugenius. IV. in priuilegio Cisterciensibus concesso, his verbis ex B. *Iniunctum nobis ab omnibus, qualitercumque enormibus, & ab omnibus censuris, & sententiis à iure, vel ab homine, in genere vel in specie promulgatis, aut promulgandis.* Quæ verba generalia sunt, & sine restrictione. Expressiùs adhuc Paulus III. in indulto Societati IESV concesso, B. *licet debitum* his verbis concepto, *A quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, vel secularibus sententiis, censuris & pœnis, à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis.* Quibus verbis propositio manifesta videtur.

Quæ adhuc 2. probatur ex priuilegio Xisti IV. superiùs memorato, qui quatuor exceptiones dumtaxat facit in potestate concessa Prælato absoluendi à censuris, de quarum numero non est hæc censura: ergo cùm exceptio firmet regulam in contrarium, habent prædicti Prælati hanc facultatem; dummodò antea absoluendus à contumacia recedat: deinde vt satisfactionem exhibeat, vel offerat, vel præmittat, prout potuerit: & tandem vt iudicem à quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obedientia sibi & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta. Sic Suarez tract. de Religiosis quatenus Prælati sunt, lib. 2. cap. 25. tom. 4. de Religione, Hieron. Roderic. in Compend. QQ. reg. resolut. 3. num. 2. qui ponit hanc tantùm conditionem, satisfacta parte, nulla adhibita ex aliis conditionibus superiùs à Suario adhibitis ex concessione Pij V. de qua Henriq. lib. 3. de Indulgent. cap. 3. lit. R. Sic etiam Miranda tom. 1. qu. 75. art. 21. Portell. verb. *Prælatus ad dispensandum.* nu. 23.

PROPOSITIO V.

POssunt prædicti Prelati absoluere hospites eiusdem Ordinis à censuris prędictis in foro conscientię, etiamsi illas censuras incurrisse fuerint declarati, & vt tales nominatim denunciati: necnon etiam Nouitios qui habitum susceperunt, & alios qui nondum susceperunt, sed volunt suscipere; & hoc absque reincidentia, si à Religione recedant.

Quoad 1. partem hæc veritas probatur 1. ex Clem. IV. in priuilegio quod habetur in lib. Monumenta Ordinum, concess. 318. & 319. vbi sic loquitur Papa; *Necnon Fratribus aliis eiusdem Ordinis ad eos declinantibus vndecùmque* subditque immediatè *absolutione, vel dispensatione indigentibus*, quæ absolutio non est differenda, ne propter dilationem pœnitentiæ periculum immineat animarum, vt dicitur in cap. vlt. de Pœnit. & remissio.

Probatur 2. à simili ex quadam declaratione Concilij Tridentini ad cap. *Licet*, sess. 24. quæ habet, *Forenses dum versantur in aliquo Episcopatu, posse absolui à casibus occultis ab Episcopo loci per facultatem ibi concessam*: Ergo similiter Religiosus hospes poterit absolui per facultatem Ordinis à Prælato illius loci in quo degit hospes; ibi enim se habet tanquam forensis, & militat in eo eadem ratio. Sic absolutè Suarez loco superiùs citato cap. 24. eædemque rationes quę pro absolutione propriorum subditorum allatæ sunt, faciunt cum proportione pro hospitibus; eamque etiam sustinet cum quatuor prędictis exceptionibus Xisti IV. (quas iam non extare superiùs probauimus) Emmanuel Rodericus tom. 1. q. 20. art. 1. & Portel. verb. *Prælatus ad dispens.* nu. 23. Villalobos 1. p. Summæ, tract. 1. diffic. 64. nu. 2. Hieron. Roderic. in Compend. qq. reg. resol. 3. num. 1. cum Martino à S. Ioseph tract. de Author. Prouincial. nu. 7. qui illam extendunt non solùm ad censuras in Religione contractas, sed etiam ad contractas in sæculo. De Donatis autem & Oblatis Religioni res penitus est incerta, super quibus consuetudo, vel statuta vniuscuiusque Religionis sunt consulenda. Legatur Portel. in Dub. regul. verb. *Prælati potestas ad absoluendum*, vbi multa dicit circa Donatos, Nouitios, & Moniales, & earumdem seruitrices.

Digitized by Google

Quantum ad 2. partem probatur propositio ex priuilegio Xisti IV. relato in Compend. Societ. IESV, verb. *Absolutio*, §. 6. & ex monum. Ordin. cuius facultas adhuc habetur in priuilegio Clem. IV. superiùs citato, & in priuilegio Pauli III. concesso eidem Societati, Bulla citata *licet debitum* in qua, eadem verba quæ in antiquis Bullis reperiuntur etiam expressa, continentur, videlicet, *Volentes ingredi Societatem, seu religionem, nisi mox ingrediatur, eò ipso in pristinas sententias, à quibus absoluti fuerint, reincidunt*; nota illa verba, *nisi mox ingrediantur*, quæ supponunt nondum ingressos. Et sic quoad vtramque partem tenet D. Antonin. referens illud priuilegium 3. part. tit. 24. & Suares cit. loco cap. 24.

Quoad 3. partem, videlicet post susceptum habitum, cum eisdem Antonin. & Suario tenet etiam Viuald. 2. part. Summ. & alij sine numero.

Denique quoad 4. partem, videlicet, quod non reincidant in easdem censuras, tenet etiam Suares loco proximè citato, & probat 1. satis euidenter illa ratione, quòd priuilegium præfatum Societati, & aliis Regularibus concessum, absolutè loquatur sine vlla restrictione, aut conditione: concedit enim facultatem absoluendi, his verbis: *Omnes, & singulos Societatis socios, & personas sub eorum obedientia, disciplina & correctione pro tempore degentes*: ergo &c. Probatur 2. hac ratione, quia absolutus tempore Iubilæi à censuris cum proposito lucrandi Iubilæum, non reincidit; ergo nec Nouitius qui habet propositum perseuerandi in Religione quam ingressus est. Probatur adhuc 3. ex priuilegio Benedictinorum quod refertur in eodem Compend. Societ. IESV, verb. *Absolutio* §. 10. desumpto ex signatura Pontificis, absque expeditione Bullæ inchoata: *Cum Monasteriorum*, his verbis. *Possunt Prælati absoluere omnes qui in Religione proposuerunt perpetuum Deo reddere famulatum, à quibuscumque peccatis, & à quacúmque sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, etiamsi talia forent, propter quæ sedes Apostolica esset consulenda, præmissa ex parte eorum satisfactione, & imposita eis per eos pœnitentia.*

Alia sunt etiam priuilegia, per quæ possunt Nouitij absolutè, & sine vlla conditione absolui à censuris reseruatis, vt est illud Eugenij IV. B. citata *Iniunctum*. Necnon aliud Cælestini V. quod refertur in Compend. Cisterciens. Verb. *Absolut.* §. 1. vbi datur facultas Generali reformatori regularis Obseruantiæ, absoluendi Monachos, & Nouitios: ac posteà extenditur ad dispensandum in irregularitatibus: verba autem sunt hæc; *ab omnibus qualitercúmque enormibus peccatis, & à quibusuis excommunicationis, &c.* Et hęc sententia adhuc ex alia sententia probatur, quâ asserimus nouitium gaudere priuilegiis professorum: ergo cùm professi possint absolui, vt suprà, & nouitij etiam poterunt similiter absolui, nec reincident. Et huius sententiæ præter citatos, quoad censuras, & irregularitates simul, est Bartholomæus de Vecchis in Praxi nouitior. disput. 9. dub. 25. num. 3. Bonacina de Legibus, disput. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 4. num. 28. & Diana resolut. 44. tract. 2. de dub. Regulari Postulabis, num, si quis ficto animo ingrediatur, aut cum proposito recedendi, verè absoluatur, & dispensetur vt suprà? Respondetur consequenter ad prædicta priuilegia non verè absolui, & dispensari; non enim intendit Ecclesia hanc gratiam concedere, nisi in Religione perseuerare volentibus.

PROPOSITIO IV.

Prememorati Prælati possunt à suis Confessariis absolui ab eisdem censuris, à quibus possunt absoluere subditos.

Hæc propositio habetur expresśè in B. Clem. IV. inchoata *virtute conspicuos* inserta: habetur in Mari magno Fratrum Minor. & etiam in Mari magno Dominicanorum nu. 15. necnon in Mari magno Minimorum, his verbis; *Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Generales, & Vigiles, & Prouinciales Correctores: necnon & vices vestras gerentes, in proprios habueritis Confessores, absolutionis beneficium vobis, cùm expedierit, valeant impertiri, iuxta formam concessionis super absolutione Fra-*

trum eiusdem Ordinis superiùs votis facta. Hæc Pontifex.
Quibus etiam verbis anteà alius Pontifex vsus fuerat in prædicto Mari Prædicatorum, extendens hanc facultatem ad Superiores locales, & eorum Vicarios, verbis sequentibus, *Fratres etiam vestri, quosque pro tempore, vos magistri & Priores, tam Prouinciales, quàm Conuentuales, necnon & vices vestras gerantes, in proprios habueritis confessores, absolutionis beneficium vobis, cùm expedierit, valeant impertiri iuxtà formam concessionis super absolutione Fratrum eiusdem Ordinis superiùs vobis facta.* Et hanc facultatem quoad Prælatos locales, & eorum Vicarios à Gregor. XI. concessam supponit idem Iulius II. in dicto Mari magno Minim. §. 35. Et huius sententiæ est Miranda citans Cordub. & Caiet. tom. 2. quæst. 14. art. 7. sic etiam Martinus à S. Iosepho de Authorit. Guardian. num. 8. & Suares tract. 4. de Relig. lib. 2. cap. 24. potestque probari illa ratione communi, quòd cuicumque habitualiter datur potestas actiua; & passiua conceditur: vsusque illam veritatem in priuilegiis fundatus demonstrat. Sic Caietanus 2. 2. quæst. 596. art. 5. Roderic. tom. 2. quæst. 21. artic. 8. Coriolan. de Casib. reseruat. part. 5. sect. 1. art. 22. estque hæc propositio conformis iuri communi in cap. vlt. de Pœnit. & remiss. peccat. Ac proindè Confessarius ab ipsis electus habet omnes facultates quas ipsi suis subditis communicare possunt.

Solùm in hac propositione dubitari potest, quid faciet superior quando in aliquo Conuentu sunt tantùm duo Sacerdotes, vnus superior, & alter subditus, & sead inuicem percutiunt, an alter alterum absoluere possit; Dicam in hoc quid sentiunt iura. Excommunicatus minori excommunicatione potest alium eadem excommunicatione excommunicatum absoluere, cap. *Duobus*, de Sentent. excommunic. Excommunicatus autem maiori excommunicatione, non potest alium excommunicatum eadem excommunicatione absoluere, cap. *Audiuimus* 24. quæst. 1. sed quia hæc intelliguntur de iure ordinario, ideò Tabienna in verbo *Absolutio*, quæst. 2. §. 6. existimat, quòd in necessitate potest excommunicatus alium excommunicatum absoluere, quia necessitas non habet legem; & quia si excommunicatus in casu necessitatis potest absoluere à peccatis, à fortiori potest ab excommunicatione absoluere, & sic dubio propositio satisfit sufficienter. Legatur Suarius lib. 2. de Relig. tom. 4. tract. De his quæ possunt Prælati, vbi satis scrupulosè hæc materia tractatur.

PROPOSITIO II.

PRæ memorati Prælati possunt facultates sibi à Sede Apostolica concessas delegare, necnon easdem extra confessionem sacramentalem exercere.

Hæc propositio quoad primam partem certa est; cùm hi Prælati habeant per respectum ad illas iurisdictionem ordinariam, vt probatum est, quod confirmatur, tum ex vsu illarum facultatum, tum ex priuilegiis ipsis; & omittendo priuilegium Xisti IV. in fauorem Minorum concessum, quod hanc facultatem delegandi alios ad absoluendum à prædictis censuris expresse concessit: extat priuilegium Pauli III. Bulla inchoata, *Licet debitum*, quod *Concedit Generali Societ. Iesu, vt omnes gratias, concessiones, & indulta sibi concessa a Sede Apostolica exercere possit per vicarios, aut personas ad id sibi beneuisas.* Quod etiam declarauit Gregor. XIII. in bulla de Vsu facultatum. Sic tenent Sanches lib. 2. de Matrim. disp. 40. num. 14. & lib. 3. de Matrim. disput. 31. n. 1. Ioan. de la Cruz lib. 1. cap. 6. dub. 8. Portel verb. *Prælatus*, n. 2. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. de Religiosis, quatenùs Prælati sunt, Panorm. Felin. & alij in cap. vlt. de Officio delegati.

Secundam verò partem hæc ratio probat; quoniam illæ facultates absolutè conceduntur sine vlla restrictione, ergo præscindunt ab illa: ergo possunt illas absolutè exercere, cùm priuilegium Principis sit amplè interpretandum: quod à simili confirmatur. Nam si confessarij hoc possunt erga sæculares in casibus sibi commissis à Papa (vt reuera possunt, sicut in tract. de Confessar. ostendemus) id etiam poterunt Præ-

lati in illos qui sibi commissi sunt; ac ex consequenti delegati ab ipsis. Sic Roderic. tom. 2. quæst. 26. art. 7. & q. 61. art. 1. Portel verbo, *Prælati potestas ab absoluendum subditos*, num. 27. & Diana in 4. parte Miscellan. resolut. 8. qui cum Filiucio tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 353. Salas de Legib. disp. 20. sect. 10. num. 68. Sanche de Matrim. lib. 8. disput. 34. nu. 29. Castro Palao tom. 1. tract. 10. disput. 6. punct. 15. §. 1. num. 6. & aliis asserit, quòd hoc potest fieri extra confessionem: Et ita tenent etiam Suares de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. nu. 4. Henriques lib. 7. de Indulgent. cap. 30. num. 6. Sotus de Instit. lib. 7. quæst. 4. art. 3. Tamburin. de Iure Abbatum tom. 2. disp. 19. quæst. 2. n. 2. Bariola in Aphorism. litt. V. verbo *Votum*.

PROPOSITIO VIII.

SVpradicti Prælati possunt de iure communi sibi eligere confessarium tùm intrà, tùm extrà Religionem ad absolutionem huiusmodi consequendam: possuntque subditis concedere vt absoluantur.

Probatur hæc veritas quoad primam partem cap. *Ne pro dilatione*, de Pœnit. & remiss. peccat. vbi habetur, *Prouidum, & discretum sibi possint eligere confessorem præter sui superioris licentiam.* Imò ista facultas talis est, vt quocúmque statuto, & diplomate Pontificio non possit auferri, etiam cum clausula, nonobstantibus quibuscúmque priuilegiis, nisi fiat expressa derogatio Iuris communis: quia hoc priuilegium est in corpore Iuris insertum, ac ex consequenti Ius commune, quod non reuocatur nisi vt suprà dictum est. Et ita sentiunt ferè omnes, inter quos Layman lib. 6. cap. 6. num. 4. Facundes Præcept. 2. lib. 7. cap. 2. num. 15. vers. 7. *Etiam*: & respons. 134. vers. *Item & mandatur*, Diana tract. 2. de dub. reg. resolut. 1. & 2. cum Mandosio, Barbosa, Gomes, Felino, & aliis quos citat; quibus suffragantur glossa in l. *Hæres absens*, in principio, ff. de Iudiciis, verb. *Excusatur*, & clarius authent. *Qua in Prouincia*, verb. *Illic*, in fine Cod. vbi de crimine agi oportet.

Secundam autem partem propositionis tenet Diana cum cæteris quos citat loco proximè citato, resol. 2. qui tamen non loquuntur nisi de potestate quam habent iure ordinario. Verùm, quia potestas quæ per priuilegia conceditur, est etiam ordinaria, possunt dicti Prælati idem ad absoluendum à prædictis censuris ex eadem ratione; & ita tenent absolutè Ioan. de la Cruz de Statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 8. Tamburin. de Iure Abbat. tom. 1. disp. 3. quæst. 2. num. 1. & Sa verb. *Delegat.* num. 2. Henriq. cum iis quos citat. lib. 7. de Indulg. cap. 28. quod superiùs propositione de potestate delegandi probauimus. Nec refert, quòd Prælati possint indiscretè illa vti, quia hoc est per accidens; atque hanc etiam Minoritis subditis posse concedi à Prælatis asserit Graffius in Decis. part. 1. lib. 1. cap. 23. num. 54. nec est contra illorum regulam.

Notandum tamen est 1. non esse necessarium huiusmodi confessarium esse ab Ordinario approbatum, sed sufficere esse idoneum, id est, non suspensum, vel excommunicatum, &c. Sic Ioann. de la Cruz de Statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 11. conclus. 4. Diana locis proximè citatis: Antonin. 3. part. tom. 1. cap. 7. Syluester verbo *Confessor*, q. 1. §. 3. Sotus distinct. 18. quæ. 4. n. 3. Notandum 2. quòd si statura prohibeant confiteri alienis, tunc Prælati non possunt illis talem facultatem concedere. Notandum 3. quòd quotiescúmque in priuilegiis Regularibus concessis ad absoluendum Regulares, requiritur vt Confessarius sit ab Ordinario approbatus, sufficit quòd sit approbatus à Prælato, qui est illorum ordinarius, licèt non sit approbatus ab Episcopo: quia vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, iuxta legem *De pretio*, ff. Publ. in rem action. Sic Manuel. Roderic. in addit. ad §. 6. Bullæ Cruciatæ n. 12. & Martin. à S. Iosepho in explicat. 7. casus reseruati num. 28. Notandum 4. quòd quando in priuilegiis dicitur, vt Regularis absoluatur per Confessores à superioribus deputatos, non requiritur alia deputatio specialis ad hanc aut illam absolutionem, sed sufficit generalis. Sic idem Martin. locis citatis, & Ioann. de la Cruz in

Digitized by Google

Epitome priuileg. lib. 1. cap. 6. nu. 12. Aliter autem iudicandum est quando dicitur in priuilegio, quòd fit ad hoc specialiter à Prælato deputatus; nam tunc requiritur specialis deputatio. Sic citatus Martinus & alij.

PROPOSITIO. IX.

POssunt præmemorati. Prælati Regulares absoluere à censuris nunc Papæ reseruatis; sed non eo tempore quo concessa fuerunt priuilegia: nec hæc facultas absoluendi, nec alia similia priuilegia per bullæ Cœnæ publicationem reuocantur.

Vt prima pars huius propositionis probetur, explicanda est: sic autem debet intelligi, videlicet quòd dicti Prælati possunt absoluere in vi suorum priuilegiorum à quibusdam censuris, quæ ab aliquibus annis additæ sunt in bulla Cœnæ, & ab aliis extra bullam Cœnæ positis; ac sic intellecta, probatur 1. Quia sensus illorum priuilegiorum non est, per ea dari facultatem ab absoluendum à peccatis quæ tunc reseruata sunt, quando conceditur priuilegium, sed quando fit confessio, & absolutio præstanda est. 2. Quia Papa concedit illa priuilegia vt perpetua, & vt generalia ad omnes casus reseruatos: non possent autem esse talia, nisi ea intentione concederentur. 3. Quia illa priuilegia sunt absoluta, & continent gratiam & fauorem, quæ in nullius præiudicium cedunt, nisi ipsius concedentis: ergo non sunt à nobis restringenda, sed potiùs amplianda, iuxta communem Iuris regulam. Et confirmatur à simili, quoniam si Rex exemptionem oppido concedat, si postea crescat, totum quod creuit censetur exemptum iuxta Iurisconsultos: ac similiter si Pontifex concedat Regi præsentationem Beneficiorum alicuius Prouinciæ, extenditur ius præsentationis ad alia Beneficia quæ postea in eadem Prouincia creuerint, cap. *Quocirca.* de Priuileg. Sic Suares cap. 22. de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 22.

Quoad verò secundam partem, euidenter probatur ex concessione Gregorij XIII. facta Societati IESV die 18. Maij 1581. quæ his verbis habetur in compendio Priuileg. eiusdem Societatis, verb. *Bulla Cœnæ. Nulla Societatis facultates censentur reuocatæ per bullam Cœnæ Domini.* Sic etiam tenet Suares tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21. Hieron. Roderic. in compend. QQ. regul. resolut. 3. num. 3. Peirin. in Priuilegiis Minim. constit. 4. sect. 4. Roder. in Summa, verb. *Absolut.* cap. 5. num. 3. Martin. à S. Iosepho tract. de Potestate General. n. 7. Villalob. in Summa tom. 1. tract. 9. difficult. 61. n. 5. qui vltimus hanc rationem affert; *quia bulla Cœnæ non reuocat facultatem Regularibus Prælatis ad absoluendum à censuris in illa contentis concessam; sed tantùm ne prætextu earumdem ab illis absoluant: prætextus autem*, vt ait Sousa in bulla Cœnæ cap. 23. disp. 10. n. 7. conclus. 3. *est velamen, quo moueri se quis ad aliquid agendum simulat:* & vt ait Gonsalez in regulam 8. Cancellariæ glossa 57. n. 2. *dictio, sub prætextu, idem significat quod sub velamine, seu colore alicuius rei quæ non est, vel iam desiit esse, seu falsa est;* quod ex iure probatur in lege *Sub prætextu*, 1. & 2. C. de Transact. Prætextus autem non excludit illud quod efficitur legitima facultate interueniente, quæ in his casibus interuenit, cùm Regulares habeant vera priuilegia nullatenùs reuocata, vt probatum fuit in 1. tract. quæ vt reuocentur, specialis mentio eorum requiritur, vt idem Martin. loco cit. tradit, & Antoninus in relat. bullæ Cœnæ, disp. 100. n. 2. Franciscus Longus Capucin. in lib. de Casibus reseruatis à Clemente VIII. 1. p. sect. & art. 25. à n. 2. vsque ad 5.

Hic notabis, illam restrictionem apponi solitam in priuilegiis, vt possit ab his censuris absolutio dari, nisi fuerint peccata commissa in contemptum Clauium; vel nisi commissa fuerint spe, & fiducia ad illud priuilegium. Quæ clausula habetur in priuilegiis Bonificij IX. & Eugenij IV. relatis in Supplemento, & monum. Minorum, illam, inquam, restrictionem non habere effectum, nec impedire Prælatos, quin possint dare absolutionem à dictis censuris. Sic sentit Sancius lib. 4. de Voto, cap. 54. n. 18.

Siluester verb. *Indulgentia.* quæst. 10. part. 5. cum Suario tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 21. vbi ad hoc propositum affert tres rationes, quas causâ vitandi prolixitatem omitto.

PROPOSITIO X.

POssunt prædicti Prælati absoluere suos subditos ab antedictis censuris, etiamsi per statuta, quæ priuilegia quædam quoad vsum coarctant, aliquæ illarum Pontifici, vel maioribus Prælatis absoluendæ reseruentur.

Vt autem hæc propositio probetur, supponendum est, Capitula generalia posse coarctare priuilegia, quoad illorum vsum, quemadmodum statuta generalia Minorum illa in quibusdam coarctant, dum non permittunt, vt inferiores Prælati, imò & Generalis à quibusdam censuris absoluant, sed illarum absolutionem ad sedem Apostolicam remittunt.

His positis, probatur propositio, quia Episcopi possunt absoluere à censuris Papæ, aut aliis Prælatis reseruatis, omnes illos subditos suos qui non possunt ire Romam, etiamsi possint illuc scribere, aut mittere, vt sunt infirmi, valetudinarij, pueri, fœminæ, senes, & illi qui sine magna difficultate non possunt illuc pergere: vt tenent Sayrus de Censuris, lib. 3. cap. 28. n. 39. post Felinum, Siluestrum, Nauarrum, Candelabrum de Absolut. n. 14. & alios. Sed vt superiùs vidimus, Prælati Regulares eamdem potestatem habent in subditos, quam Episcopi in suos: Ergo si illud possunt Episcopi in suos, poterunt etiam Prælati Regulares in suos subditos; alioquin peioris conditionis essent subditi regulares secularibus quod noluit Pius V. qui, vt vidimus, ob illud inconueniens concessit Regularibus Prælatis eamdem facultatem, quam Episcopi habent in suos subditos; quæ ratio cùm valeat etiam pro Curatis & Confessoribus ordinariis qui possunt suos pœnitentes in similibus casibus à censuris Papæ, aut Episcopis reseruatis absoluere, vt tenet Henriq. de Pœnit. lib. 3. cap. 10. litt. Z. cum iis quos citat; & Suares de Pœnit. disp. 19. quæst. 10. valebit etiam pro superioribus localibus, quando in casibus reseruatis Papæ aut Generali, aut Prouincialibus, non potest commodè dari accessus; tenebuntur tamen absoluti, se illis quibus casus sunt reseruati, quam primùm præsentare, cùm commodè facere id poterunt; alioquin in easdem censuras reincident, vt de sæcularibus sic absolutis constat, cap. *Eos qui*, de Sentent. excomm. n. 6.

PROPOSITIO XI.

POssunt prædicti Prælati absoluere subditos à prædictis censuris in vtroque foro, ita vt ampliùs non possint coràm Iudice conueniri, dummodò non fuerint deductæ ad forum contentiosum maiorum Prælatorum, à quibus tunc illi maiores Prælati possent subditos absoluere, non autem inferiores Prælati, nisi in casu de quo proximè actum est.

Hæc propositio constat ex verbis præmemoratarum concessionum, quæ absolutè prolata, absolutè sunt intelligenda; cùm nulla ratio existat, cur potiùs absolutioni in foro conscientiæ, quàm absolutioni in exteriori sint applicanda: sicque sentiunt de Episcopis per respectum ad Diœcesanos Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 250. ante vers. vlt. Vega vers. *Casus reseruati*, cas. 16. ac verb. *Irregularit.* cas. 2. vers. 11. Roder. in Summ. 1. part. cap. 81. num. 4. & Henriques lib. 3. de Pœnit. cap. 14. num. 7. in principio, qui asserunt, Episcopum posse absoluere suos subditos ab omnibus prædictis censuris, cum illa dicta restrictione: & ex conse-

quenti id sentiunt de Prælatis Regularibus, eùm eandem facultatem habeant in subditos, quam Episcopi in suos, nisi aliunde suis constitutionibus prohibeantur.

Limitanda tamen veritas huius propositionis, vt intelligatur *satisfacta parte*, alioquin, licèt prædicti Prælati habeant absolutè facultatem ex concessione Pontificum absoluendi ab omni excommunicatione, suspensione, & interdicto; attamen illa absolutio non valet pro foro externo, nisi adhibita tali limitatione: valet autem sine illa pro foro conscientiæ. Et sic in simili casu tenent Medina in Summ. lib. 2. cap. 12. Nauarrus lib. 5. Consil. 26. de Sent. commun. Roderic. tom. 1. qq. quæst. 61. art. 2. Ioan. de la Cruz lib. 2. de Statu Relig. cap. 7. Conclus. 1. & 2. tit. de Priuileg. Regul. circa censuras Ecclesiæ. Suares de Censuris disput. 7. sect. 5. num. 41. & alij moderni quos citat Henriq. de Eucharist. lib. 8. cap. 60. & confirmatur ex declaratione Pij V. in quodam Iubilæo ab eo concesso 15. Kalendas Nouemb. 1568. vbi sic ait, *Declarantes tam præsentes, quàm alias quascumque concessiones similium, & dissimilium indulgentiarum à nobis, & prædecessoribus nostris emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas litteras Christi Fidelibus, ipsis, nisi ad earum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum dumtaxat, non tamen in foro contentioso, nisi satisfecerint, vllatenus suffragari.* Vbi duo insinuantur, primum, quòd *parte satisfacta* possunt absolui subditi à censuris ab homine latis, etiam in foro contentioso: secundum, quòd possunt in foro conscientiæ absolui sine satisfactione, maximè cum cautione de satisfaciendo si commodè fieri possit, videlicet cum subscriptione pœnitentis, fideiussore, pignore, vel saltem præstito iuramento, si alia non sint possibilia. Sic Ioannes de la Cruz præcitatus in simili casu de absolutionibus à censutis in foro externo per confessores Regulares.

Aduerte tamen 1. Quod, vt proximè dictum est, absolutio à censuris data, non satisfacta parte, nulla est, & irrita in foro externo, si non seruetur illa conditio; quia sine potestate ad sic absoluendum data est talis absolutio, vt tradit Suares locis citatis num. 42. cum Graff. Nauarr. Armil. & Caietan. quos citat; Quod ita intelligi debet iuxta illos, si pœnitens satisfacere potest; quia non est verisimile Pontificem postulare conditionem impossibilem. Item, quia sæpè in iure conceditur potestas absoluendi sub conditione simili, & tamen semper intelligitur illo modo; vt colligitur ex Clement. *Multorum*, & Clement. *Nolentes*, de Hæretic. & notat Nauar. in Summ. cap. 27. nu. 47. & 48. cum Suario locis citatis num. 41.

Aduerte 2. hanc conditionem, *satisfacta parte*, non esse sub intelligendam in priuilegiis ad absoluendum à censuris, nisi expressè apponatur, quia quando concessio est absoluta, & peculiarem non habet limitationem, interpretanda est iuxtà Doctores secundùm commune Ius; sed communi iure qui simpliciter & absolutè habet hanc potestatem, facit actionem validam, etiamsi iniustè illa vtatur; ergo ita erit in præsenti casu; & sic sentit Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 37. vbi ait, quòd licet in mandato; seu rescripto Papæ, in quo hæc facultas absoluendi conceditur, exprimatur, vt secundùm formam iuris detur; quamuis posteà detur absolutio non seruata debita iuris forma, nihilominus absolutio tenet; quia intentio Pontificis non est inducere nouam formam, sed solùm admonere delegatum de illo quod secundùm ius facere debet; vel certè quia ad ipsam iuris formam pertinet, vt talis absolutio valida sit, licet perperam concedatur: ergo à fortiori quando in rescripto nihil exprimitur; sed absolutè potestas impartitur, absolutio est valida, etiamsi iniusta sit. Sic tenet idem Suarius locis citatis nu. 43.

Plura alia priuilegia, quæ Prælatis Regularibus potestatem soluendi subditos concedunt, possent hic congeri, sed tum studio breuitatis, tum quia ex elucidatis illorum validitas facilè colligitur, ab illis examinandis abstineo, & ad priuilegia eisdem concessa ad eusdem subditos ligandos progredior.

CAPVT IV.

DE POTESTATE PRÆLATIS REGVLARIBVS AD SVBDITOS LIGANDVM concessa.

SVPREMVS Christi Vicarius Ordinibus Regularibus tanquam potentissimo exercitui, & illustriori Ecclesiæ portioni immediatè præsidens, iuxtà exemplar sibi à Christo, in derigenda Ecclesia monstratum, eorumdem Prælatis potestatem ligandi impertitus est, ne quid illis deficeret pro subditis; ad præmium propositum assequendum, cogendis: & sic quos ad illud amor æternorum non moueret, vincula & compedes efficaciter incitarent. De illa ergo potestate, quæ ad coactiuam potestatem propriè spectat (paucis anteà de facultate condendi leges & præcepta, quam aliqui ad eamdem coactiuam, alij verò veriùs ad directiuam reducunt, examinatis & conclusis) acturi sumus.

PROPOSITIO I.

POssunt Prælati præmemorati iure communi, & absque priuilegiis suos subditos legibus & præceptis, necnon etiam censuris ligare; Secùs monialium præfectæ; nisi sint delegatæ: non possunt tamen quilibet Prælati Ecclesias Regulares sibi subditas interdicto supponere.

Hæc veritas quoad primam partem est euidens; quia Episcopi possunt eo modo suos subditos ligare, vt nemo negat; ergo, & Prælati Regulares, cùm habeant eamdem iurisdictionem in subditos Regulares, quàm Episcopi in subditos Sæculares; ea facultate potiuntur. 2. Quoniam sunt verè Prælati; ergo in subditos iurisdictionem habent spiritualem; ergo possunt illis ius dicere; ergo præcepta imponere, alioquin non videtur ad quid in illis iurisdictio resideret. 3. Ex iure communi constitutionum Regularium, quæ dictis Prælatis hanc facultatem concedunt. 4. Ex vi voti obedientiæ, *quæ in manibus suorum Prælatorum sunt vincti*, vt ait D. Franciscus in suo testamento, qui in vi illius præcepta imponere possunt; quæ potestas tanta est in Prælatis Minoritarum, vt suis subditis possint præcepta quælibet imponere, *dummodò non sint contraria eorumdem animabus & regulæ*, vt habetur cap. 10. Regul. 5. Probatur ex vsu omnium Prælatorum Regularium qui erga subditos præceptis obligantibus ad mortale, sæpè vtuntur. Ac sic post alios tenent Vasques t. 2. disput. 98. cap. 3. & Suares tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 6. nu. 6.

Ex probatione huius partis probatio secundæ partis colligitur; nam qui potestate Episcopali fruuntur, suntque verè Prælati, absque dubio possunt suos subditos

Regulares contumaces censurarum vinculis ligare, idque concedunt constitutiones Regulares, & ipse vsus illam facultatem in illis inesse testatur. Et hanc sententiam vt verissimam supponunt Doctores, necnon Pontifices in suis constitutionibus in fauorem Regularium editis; quocirca in vberiori probatione illius immorari superfluum esset.

Excipe tamen ab hac propositione illos Prælatos locales quibus vsus illius potestatis per constitutiones speciales sui Ordinis prohibetur, vt sunt Prælati locales congregationis Fuliensium, quibus vetitum est, subditis præceptum sanctæ Obedientiæ absque Prouincialis licentia imponere.

3. Propositionis pars probatur ex cap. *dilecta* de maiorit. & obed. in quo apertè approbatur inobedientia quorumdam Clericorum cuidam Abbatissæ subditorum, qui in eosdem excommunicationem tulerat, quod non poterat, cùm iurisdictione, ad illam ferendam careret: ac sic tenent D. Thom. in 4. cap. 19. & 25. & Suares de censur. disput. 2. sect. 3. à num. 5. & tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 1. num. 3. & supponit Miranda in tractat. de Sacris Monial. q. 10. art. 3. conclu. 2. & ante illum Rodericus & alij, idcóque abusus intolerabilis est, quòd sub censuris præcepta & leges imponant.

Possunt tamen ad hos actus à Pontifice delegari, sicut de facto delegata est Abbatissa Fontis Ebrardi, & Abbatissa Iotrenensis in Gallia diœcesis Meldensis, de qua cap. *dilecta* de excess. prælat. Forsan quibusdam aliis hæc iurisdictio est delegata, quod tamen ad meam notitiam non venit, & probatur ex primò dicto *delecta* in quo Honor. III. agnoscit in Abbatissa ibi memorata aliquam iurisdictionem dum approbat, quod puniat suspensione & interdicto *Clericos sua iurisdictionis subiectos*, quod facere non poterat sine aliqua iurisdictione spirituali delegata: & confirmatur ex altero cap. *dilecta* citato in quo Abbatissa vocatur. *Caput Presbyterorum & Clericorum*, cuius pronunciati Glosa reddens rationem, ait, *quia illi erant subiecti*; non quidem in bonis, quia de illis tamquam beneficiarij disponere poterant, absque illius consensu: non in corpor. regimine, aut communitatis administratione, quia in communi non degebant, vt eadem Glosa affirmat; erant igitur subiecti in morum correctione, in officij directione, & in Ecclesiæ visitatione, quæ omnia sunt actus iurisdictionis spiritualis. Et confirmatur iterum ex cap. *Ex parte* de priuileg. & excess. in quo expressè habetur quòd dicta Abbatissa cum suo Clero exempta erat ab Episcopi Meldensis iurisdictione, & subdita immediatè summo Pontifici; vnde colligitur, quod aliqua iurisdictione delegata pollebat, vt colligit Azot. & insuper, quod aliæ moniales præfectæ sunt eiusdem recipiendæ iurisdictionis capaces, instit. moral. par. 1. lib. 13. cap. 10. q. 8. quam sententiam ante ipsum tenuerat Nauarr. Concil. t. de sentent. excom. nu. 1. vbi dicit, *videri posse fœminam ex priuilegio Papæ excommunicare: sicut & prædicare; non tamen iure communi:* & huius etiam sententiæ est Stephanus Aloys tom. 4. iuris canonici verb. Abbatissa, nu. 5. Iacob. de Graff. part. 1. lib. 4. decis. cap. 5. nu. 2. & alij. Nec caret hæc sententia rationibus; nam 1. Papa potest hanc iurisdictionem viris laïcis concedere; cur non etiam fœminis. 2. solo iure Ecclesiastico non naturali, aut diuino hæc iurisdictio fœminis interdicitur; quocirca potest in illo Papa dispensare. Si obiicias iurisdictionem spiritualem pendere à clauibus, quarum fœminæ sunt incapaces Respondebitur falsum esse illam directè à clauibus pendere, vt optimè probat D. Thom. 4. sent. distinct. 18. q. 2. art. 2. & Nauarr. citatus, nec potest vlla ratio firma in contrarium adduci.

Stat tamen cum hac doctrina, quòd Moniales licèt non ex iurisdictionis potestate, iure tamen diuino suis Abbatissis & aliis præpositis obedire tenentur, sicut filij progenitoribus, & subditi Regibus: peccarentque mortaliter, si in re graui non parerent; & contra votum obedientiæ, si in materia graui suarum constitutionum delinquerent.

Denique quoad 3. partem probatur propositio, quoniam Abbates qui præsunt Ecclesiis & Monasteriis, in quibus habent iurisdictionem spiritualem & temporalem, illa loca interdicere possunt, vt ex cap. *Cùm inter*, de Consuetudine, & ex cap. *Cùm Ecclesiarum*, de Offic. Ordin. constat secus verò qui huiusmodi iurisdictione non lætantur. Quod Miranda in Man. tom. 2. quæst. 37. art. & Suarius in 3. parte tom. 5.

dispur. 36. sect. 1. aliunde probant, quàm ex eo quòd non est in consuetudine positum, quod illi Prælati Regulares id faciant.

PROPOSITIO II.

PRælati Regulares prænominati subditos Regulares quoscumque, etiam Papæ Capellanos pœnis spiritualibus & temporalibus ligare possunt, si à spirituali demas irregularitatem, & à temporali mortem.

Pœna est læsio quæ punit, & vindicat quod quis commisit delictum, vt habetur cap. *Pœnitentia*, de Pœnit. distinct. 3. ac sic Augustinus intellexit nomen pœnæ, cùm libr. 1. Retract. cap. 9. pronunciat, *Quòd omnis pœna, si iusta est, pro peccato imponitur.* Latiùs pœnæ nomen sumitur, videlicet, pro pœna impropriè; de qua axioma commune, *Etsi sine causa non infligi potest pœna, potest tamen sine culpa*: licèt enim videatur quòd ex intrinseca sui natura pœna supponat culpam, non tamen semper consequitur, cùm pœna modo improprio sumitur, vt videre est in irregularitate ex defectu lenitatis, quæ etiam sæpiùs cum merito præmij cœlestis incurritur, & tamen dicitur pœna; ac similiter pœnæ dicuntur illæ, quæ in constitutionibus Regularium apponuntur quibusdam defectibus, quæ peccata non sunt, quas proinde Soto lib. 1. de Iustit. & iure q. 6. art. 5. in fine vocat conuentiones, seu pacta, quibus alumni Regulares se voto professionis obstrinxerunt, vt si hæc aut illa fecerint, talia patiantur, quæ non ineptè dicuntur etiam pœnæ, ex eo quòd exiguntur propter vetita atque prohibita. De his ergo pœnis propriè & impropriè sub nomine pœnæ comprehensis nostra propositio enunciatur, quæ quoad primam partem probatur 1. eodem argumento quo probauimus propositionem præcedentem, scilicet, quoniam illud possunt Episcopi, ergo & Prælati Regulares. 2. Quoniam illi Prælati veri iudices sunt subditorum regularium, habentes forum externum, vt omnes fatentur: ergo si veri iudices subditis possunt illas pœnas infligere, Prælati regulares id similiter possunt. 3. Quoniam eam facultatem innumeris concessionibus Apostolicis possident, quibus eis in genere conceditur, vt corrigere, & castigare valeant subditos pœna spirituali, & corporali, & in specie percutere, flagellare, carceri mancipare, torturæ subijcere, ab Ordine eiicere, ad triremes damnare; quas si videre desideres, lege Compendia priuileg. Regularium, Rodericum, & præcipuè Mirandam, & Aretinum de Foro iudiciali: mei enim instituti non est, hanc materiam, quæ volumen integrum requireret, aggredi: vnam dumtaxat constitutionem Apostolicam, hanc facultatem Mendicantibus concedentem, aut potiùs supponentem, hîc afferam, desumptam ex bulla Pij V. inchoata; *Etsi Mendicantium*, quæ sic habet, *Quinimò præfatos Superiores processus contra Fratres suos, & Moniales huiusmodi, quando opus fuerit, circa delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse decernimus; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio.* Nec ab illa correctione, seu castigatione quispiam Regularis excipitur, etiamsi Papæ Capellanus existat, vt pluries Pontifices concesserunt, & inter alios Bonifacius IX. per Bullam Regularibus omnibus, his verbis relatis in Compendio priuileg. Mendic. verb. *Correctio Fratrum*, §. 10. *Statuis, quòd omnes & singuli Religiosi quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, sedis Apostolicæ Capellani perinde suis superioribus, & correctioni ipsorum in omnibus, & per omnia sint subiecti, ac si prædictæ sedis Capellani non essent.*

Quod non solùm in Capellanis, sed etiam in aliis Papæ familiaribus verificatur, cùm concessum sit Cisterciensibus à Ioanne XIII. cuius constitutio refertur in Compend. Priuileg. congreg. S. Bernardi Hispan. verb. *Correctio Monach.* §. 31. & in Compend. Fuliens. §. 4. his verbis, *Quamuis Monachi familiares, seu Capellani Papæ, aut Cardinalium existant, semper sub obedientia, & correctione Generalis, & aliorum superiorum Congregationis remaneant: nec ab ea ob id eximuntur.* Hæc Pontifex. Habentque dicti Prælati hanc facultatem à fortiori in illos qui auctoritate Apostolica sunt constituti in Archiepiscoporum, & Episcoporum socios; vt etiam expressè constat

ex bulla Alexandri IV. inchoata, *Sacra Religionis*, in fauorem Minoritarum emanata, his planè terminis, *Nos deuotioni vestræ auctoritate præsentium duximus concedendum, quòd singuli vestrum illos ex Fratribus eisdem, de quibus auctoritate literarum sedis Apostolicæ, seu Delegatorum eius, dictus Archiepiscopus, & Episcopus est prouisum, visitare, corrigere, atque etiam (non obstante contradictione aliqua) possint ad eundem Ordinem reuocare.* Quibus omnibus, addito illius potestatis vsu, constat, Prælatos regulares posse quoslibet subditos Regulares corrigere, & pœna spirituali, & corporali constringere.

Excipimus 1. in propositione pœnam irregularitatis, quoniam Episcopus non potest hanc pœnam imponere, etiam in synodo aut Concilio Prouinciali, vt tradunt doctores in cap. *Is qui* de sent. excomm. in 6. in quo habetur, quo habetur, quòd irregularitas non contrahitur, nisi sit expressa in iure; per ius autem non intelligitur, nisi ius commune aut Pontificium; non verò ius particulare diœcesum & Prouinciarum, vt optimè cum doctoribus quos citant, tenent Auila part. 7. de irregularit. disput. 1. dub. 3. Villalob. tract. 21. de irregular. in genere diffic. 1. n. 5. & fusiùs Suares tom. de Censur. dispur. 40. de irregul. in genere sect. 4. quocirca iure & consuetudine vniuersaliter recepta Papa illam imponendam sibi reseruat, ac ex consequenti, nec Prælati regulares, licet maiori polleant in subditos iurisdictione, quàm Episcopi in suos, cùm habeant potestarem, vt docet Portel. verb. *Prælati iurisdictio*, §. 1. supra animas; & supra corpora: & lites etiam corporales & quasi ciuiles subditorum cum ampla, & cum totali iurisdictione dirimant. Excipimus 2. in propositione mortis pœnam, quoniam cum à nullo iudice Ecclesiastico imponi possint, vt habetur cap. *Cùm non ab homine*, de Iudiciis, sic nec à Prælatis regularibus, quibus etiam in Gallia prohibitum est, subditos ad triremes damnare: alioquin Sententia lata nulla, & abusiua per Senatus supremos declaratur, & Prælatus per Sententiam emendatur. Possunt tamen Prælati in aliis partibus ad illam pœnam subditos damnare, vt plurimorum Ordinum habent constitutiones, & tenet Nauarrus cum communi Doctorum comment. 3. de Regular. num. 53. Possunt item illos exilio mulctare, cùm hanc pœnam Canones Ecclesiastici imponant personis Ecclesiasticis, cap. *Cùm beatus*, distinct. 45. & cap. 1. de Calumniatoribus, vbi glossæ id notant, & alia iura adducunt.

Hic Lectorem aduertere velim, quòd illa facultas ligandi subditos in Prælatis residens limitata est in multis Ordinibus, in quibus nec Prouinciales soli, nec etiam Generales infligere possunt prædictas pœnas, vt videre est in constitutionibus Ordinis Minorum de Obseruantia. Quibus etiam Prælatis localibus ad infligendas huiusmodi pœnas, & alias similes, forum externum prorsùs sublatum est. Videant Prælati aliorum Ordinum, in quibus limitatam habeant potestatem. & illâ sic limitatâ vtantur.

PROPOSITIO III.

POssunt prænominati Prælati de iure sic arctare subditos, vt à certis peccatis, quæ casus reseruati nuncupantur, absque eorum facultate absolui non valeant.

Casus iuxta Grammaticos à cadendo dicitur, sumiturque tribus modis, propriè, impropriè, & maximè impropriè. Impropriè idem est ac censura, quæ est peccati pœna, aut certè irregularitas; maximè impropriè casus nomine vocatur votum, bonorum incertorum restitutio, aliaque id genus; propriè autem id quod est peccatum, vt censent Nauarr. cap. 27. & Siluester verb. *Casus*. Quocirca, cùm conceditur potestas absoluendi à casibus, non intelligitur data circà casus impropriè, & maximè impropriè: sed circà casus propriè sumptos: vt optimè notant, & docent Sorus in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 5. ad 2. Comitol. lib. 1. respons. quæst. 23. Quòd autem eo modo intelligi debeat, colligitur 1. ex Trident. sess. 14. can. 11. & cap. 7. ibi enim Patres asserunt, *pertinere ad Christiani populi disciplinam, vt atrociora quadam & gra-*

uiora crimina non à quibusuis, sed à summis dumtaxat sacerdotibus absoluantur. Sed ad hos non itur communiter, nisi pro reseruatorum absolutione; ergo casus & peccatum idem sunt. Et confirmatur; nam quod suo foro iudicioque cognoscendum seruant Antistites, id est sine dubio quod casus nomine Doctores intelligunt, sed Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia tradita, causas aliquas criminum grauiores peculiari suo iudicio reseruant, vt habetur in Trident. sess. 14. cap. 7. ergo casus & peccatum idem valent.

Si nomine casus censura notatur, nulla erunt peccata reseruata, quæ pœnam excommunicationis, vel alterius censuræ adiunctam non habeant; ac id falsum esse indicat Benedictus XI. Extrauag. de Priuileg. ibi enim homicidium, & falsificatio quarumlibet literarum numerantur inter peccata Episcopis reseruata, quibus tamen censura annexa non est: Ex quibus sequitur 1. casum esse peccatum, quod simplex sacerdos absoluere non potest, absque eius licentia, qui illud sibi reseruauit absoluendum. 2. Peccata venialia, & communia mortalia & interna, licet grauiora, non posse reseruari, vt Sotus demonstrat in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. nec etiam quæ iam sibi sedes Apostolica reseruauit, vt notauit sacra Congregatio Cardinalium negotiis & consultationibus præposita de expresso Papæ mandato promulgato die 9. Ianuarij 1601.

His prænotatis probatur propositio, 1. Quoniam Episcopi illam facultatem habent; ergo & Prælati Regulares, cùm eadem, iure communi, quâ Episcopi polleant potestate: quòd autem possint Episcopi, determinauit Tridentinum sess. 14 cap. 17. & insuper can. 21. anathemate feriuntur contrarium opinantes. 2. Probatur ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium in illud cap. 7. relata à Marzilla lib. 3. de Pœnit. & Remiss. in qua dicitur, *eamdem habere potestatem Prælatos Regulares in Regulares sibi subitos quoad reseruationem casuum, quam habent Episcopi in suos subditos.* Quod longe ante Alexander VI. in fauorem Prælatorum Ordinis Minorum declarauerat Bulla quæ incipit, *Intelleximus*, ad Hieronymum de Tornielis eorumdem Fratrum citra montes Vicarium Generalem directa his verbis, *Intelleximus aliquos ex Religiosis Ordinis tui aliis asserere velle, quòd Vicarius Generalis, vel Prouincialis dicti Ordinis eiusdem, casus de occultis sibi reseruare non possunt: quare nobis super hoc de remedio supplicare fecisti opportuno. Nos igitur, &c. auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, Vicarium Generalem, aut Prouincialem, vel Guardianos pro tempore existentes, præfatos casus de occultis Religiosorum dicti Ordinis vestri sibi posse reseruare, & post reseruationem huiusmodi nullum dicti Ordinis inferiorem ab eis absoluere posse; & si absoluat, nullam esse absolutionem, & incidere in pœnam absoluentium à casibus non concessis.* Hæc Alexander: quibus nihil clarius hac facultate. Atque hanc sententiam, quæ vnanimis est Doctorum, ita certam existimat post Rodericum Miranda tom. 2. quæst. 34. concl. 1. vt illam de fide arbitretur. Dixi in propositione, quòd illi Prælati de iure hanc facultatem possident propter duo, primum quoniam hæc facultas in dictis Prælatis est limitata à Clemente VIII. decreto quod incipit. *Sanctissimus Dominus noster*, quo non possunt quoslibet casus grauiores reseruare; sed tantùm vndecim ab eodem Clemente præscriptos, quorum meminit Sorbus verbo, *Absolutio quoad Fratres*, & alij; nisi in Capitulo Generali, vel Prouinciali, vt notant expositores illius Decreti, & inter alios Portel. in dub. Regul. verb. *Casus reseruati.* nu. 12. Possunt tamen taxare pœnitentias ab absoluendis luendas, & censuras reseruare, vt docent probatissimi Theologi: Secundum, quòd Prælati locales qui de iure communi ac etiam ex dicta Bulla Alexandri poterant sibi reseruare casus, iam in multis Ordinibus non possunt, vt in Ordine Minorum de Obseruantia, quibus facultas reseruandi casus per constitutiones generales sublata est; vt constat ex cap. 6. de Correctione delinquentium; quocirca nullum casum, etiam ex illis vndecim, sibi reseruare possunt. Videant alij Regulares si decretum Clementis VIII. in suo Ordine receptum sit, vel non; si non receptum, possunt sibi casus reseruare, nisi suæ constitutiones prohibeant; si receptum, possunt illos vndecim, aut quemlibet illorum sibi reseruare, vt ex dicti Decreti tenore manifestum est, in quo sic habetur, *Ideo vt huic malo sua Sanctitas opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo Regularium Superiorum peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorũ aliquibus, prout subdi-*

Digitized by Google

torum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint. In quo vides Pontificem vti nomine absoluto Superiorum in plurali, quod etiam localem comprehendit, qui nisi constitutionibus sui Ordinis prohibeatur, illa facultate vti potest.

PROPOSITIO IV.

PRælati Regulares prædicti in subditis castigandis apices Iuris seruare non tenentur.

Hæc veritas facili negotio probabitur, dummodò quid sit apex Iuris explicetur: est autem ille apex iuxtà Canonistas omnis actus, qui potiùs respicit subtilitatem, quàm facti veritatem, & merita causæ. Sic Barthol. & Baldus in l. *Si fideiussor. 29. §. Quadam. ff. Mandati.* n. 1. Salyc. in l. *Placuit. 7.* cod. de iud. num. 2. vers. quinto, Soc. cons. 120. lib. 1. nu. 17. vbi dicit, probationes non esse de apicibus iuris, quia respiciunt veritatem, & merita causæ, & quòd acta scribenda sint per Notarium, seu secretarium, aut scribam: cùm in cap. *Quoniam contra*, de Probation. sic scribenda in iudicio, quantumcumque summariò & extraordinariò statuatur; Nisi 1. in causis leuibus, vt docet Rodericus tom. 2. QQ. reg. quæst. 13. art. 3. Guido Papa decis. 594. n. 2. nam in his causis non ferunt sententias in scriptis, vt docet Lapus allegat. 73. nu. 5. Nisi 2. in aliquo Ordine extaret consuetudo, non scribendi illa acta per supradictos Officiarios, sed per solum superiorem; quia illa attendi debet, vt in simili casu docet Barthol. lib. 2. ff. de Stipular. seru. num. 2. & Guido Papa citatus, & alij.

Paulò clariùs quid sit apex iuris, quidve substantia iuris declararunt Patres Ordinis Minorum de Obseruantia congregati Toleti 1583. dum sic pronunciant, *Declaramus, quòd licet Prælati omnes non teneantur ad apices iuris, vt sunt citationes, dilationes, sententia interlocutoria, & definitiua; & alia plura quæ non sunt de substantia Iustitiæ; non tamen possunt Prælati in actibus iudicialibus secundum suum arbitrium procedere: cùm certum sit, lege diuina & naturali teneri ad ordinem substantialem iuris; ideò statuimus, vt nullus Prælatus contra nauditam partem, neccontra eum qui non fuerit sufficienter conuictus, aut confessus, sententiam aliquam grauem ferat.* Ex quibus omnibus videre est, citationes, dilationes, sententias interlocutorias, & diffinitiuas, & cætera omnia quæ subtilitatem facti & causæ respiciunt, esse apices iuris: At verò probationes, & acta per Notarium, aut per alium officialem scripta, auditio rei, & illius conuictio, vel confessio, & alia huiusmodi, quæ veritatem facti & merita causæ respiciunt, esse de substantia iuris.

His positis probatur propositio ex constitutione Bonifacij VIII. inchoata, *Ad augmentum*, in fauorem Minorum edita, in qua sic determinatur. *Vobis auctoritate Apostolica indulgemus, vt ad correctiones & punitiones Fratrum eiusdem Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscuntur, rimulis iuris, & apicibus eius postpositis, liberè procedere valeant secundùm consuetudines approbatas, & generalia facta, vel fienda ipsius Ordinis instituta.* Sic omnes qui de hac materia agunt.

Atque hæc forma à Pontifice præscripta videtur etiam obseruanda in Prælatis castigandis; cùm hæc constitutio non distinguat: nam licet Innoc. in cap. *Qualiter & quando*, 2. de Accusat. dicat, *quòd Prælati sunt positi quasi signum ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere; cùm officio teneantur, non solùm arguere, verùm etiam increpare, quin & interdum suspendere, & nonnumquam ligare; frequenter multorum odium incurrunt, atque insidias patiuntur.* Verumtamen in fine illius capitis aliter de Prælatis Regularibus loquitur, dum de ordine obseruando in iudicio, sic pronunciat, *Hunc tamen non esse vsque obseruandum circa personas Regulares; nam cùm causa illud requirit, faciliùs & liberiùs possunt à suis ministrationibus amoueri.* Ex quibus colligitur aduersùs Prælatos Sæculares secundùm apices iuris procedendum; at verò aduersus Prælatos Regulares illam formam seu ordinem non esse vsquequaque obseruandum. Et quamuis hoc caput de accusatione loquatur, tamen in cæteris idem

iudicium est ferendum: ac ideo in omni iudiciali actione contra ipsos, apices iuris non sunt seruandi, & hoc modo aut alio procedere ex arbitrio maioris Prælati pendet; quod Patres Ordinis Minorum congregati vt suprà, optimè notant, dum interpretantes mentem Bonifacij in dicta constitutione sic enunciant, *Cùm hæc constitutio condita sit ad propulsandas subditorum calumnias, & ad compescendam Prælatorum nimiam in puniendis criminibus licentiam*: quibus verbis cognoscere est, & subditos, & Prælatos puniendos, hac constitutione comprehendi.

PROPOSITIO V.

Sic vincti sunt subditi Regulares quoad morum correctionem & reformationem, sententijs suorum Prælatorum, vt ab eisdem (dummodo in illis ferendis forma substantialis obseruata fuerit) appellare non possint.

Appellatio est prouocatio causæ à Minori ad superiorem Iudicem ratione illati vel inferendi grauaminis, quâ iniquitas Sententiæ corrigitur, & inferioris potestas iudicis suspenditur; vt ex capp. *Omnino oppressus. Si quis. Et placuit.* 2. 9. 6. colligitur; ac ita necessaria ex D. Bernardo, veluti sol iustitiæ procedens & redarguens opera tenebrarum, estque de iure naturali, licet forma appellandi sit de iure positiuo, vt constat ex l. vnica. Cod. de Sentent. Præfec. & Prætor.

Licitè autem quis vtitur appellatione, quando sententiâ iudicis grauatus fuit, aut iuste timet futurum grauamen ex sententia ferenda, vt ex dictis capp. *Omnis oppressus*, & ex cap. *Licet* colligitur: Illicitè verò & mortaliter peccando appellat à sententia legitima, aut timendo, quòd iustè condemnabitur, aut ad prorogandum tempus ne sententia feratur; vt tenet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 3. quoniam iniuriam infert iudici, suæ iurisdictionis effectum impediendo: non peccaret tamen iuxta Turrianum 2. 2. tom. 2. disput. 51. dub. 1. num. 4. Dianam 2. P. tractat. 5. Miscella. resol. 104. appellando à sententia secundùm opinionem probabilem lata, si contrariæ etiam probabili inniteretur, cùm reo sit licita tuitio propria, etiam cùm non certam de iustitia sui iuris, sed tantùm probabilem, opinionem habet: & peccat mortaliter Iudex, si appellationem legitimam non admittat, vt cum Nauarro in Manual. cap. 23. num. 13. 14. & 15. tenet communis: Doctorum sensus. Vt autem ad id obligetur, debet reus in foro Ecclesiastico intra decem dies, à die intimationis sententiæ, illam interponere: Vt ex text. in Authent. de Appellat. collat. 2. & in Authent. *Hodiè*, & de Appellat. & l. 22. tit. 13. §. 3. & sic in eodem foro seruatur, vt constat. cap. *Anteriorum*. 2. quæst. 6. cap. *Significauerunt*. distinct. 9. & cap. *Quoad consultationem*, de re Iudic. Attamen in foro sæculari non dantur ad appellandum nisi quinque dies, iuxta l. 1. tit. 18. lib. 4. Recopil.

Quòd si reus iure appellationis illo tempore, præscripto non vtatur, potest licitè exequi sententia, licèt iniusta, quia hoc modo censetur reus iuri suo renunciare, l. *Quamdiu*, in fine ff. de Acquirend. hered. nisi in reo aliqua causa, eam appellationem omittendi, existat; vt verbi gratia defectus ætatis, & aliæ similes, vt notant communis iuris vtriusque periti. Legitima autem appellatio habet effectum duplicem, vt aliàs diximus, suspensiuum scilicet, & deuolutiuum.

His de materia appellationis notatis probatur propositio ex cap. *Ad nostrum*. cap. *Reprehensibilis*, cap. *Speciale*, de Appellat. & cap. *Licet*, & cap. *Irrefragabili*, de Offic. ordinar. quorum omnium verba non referam, sed solius capitis, *Reprehensibilis*, hoc tenore, *præcipuè verò hoc in religiosis volumus obseruari, ne ipsi cùm pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui, & Capituli disciplinam appellare præsumant; sed humiliter & deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum.* Nec credo aliquem reperiri Ordinem, qui ad hoc priuilegio speciali non gaudeat; & vt cæteros taceam, Ordinem Minorum inuenio hoc priuilegio potiti bulla in proximo præcedêti propositione adducta ex Bonifacio VIII. in qua sic expresiè habetur.

Nec volumus eisdem licere Fratribus, ab eisdem correctionibus & punitionibus aliquatenus appellare, prauis deliberatione, ac maturitate debita obseruatis. Hæc Pontifex. Quibus constat, quòd in omnibus correctionibus, punitionibus, & sententiis prælatorum debent deferre subditi, obediendo, non autem appellando, ac proinde raro eosdem appellare posse, cùm ferè in nullo corrigi, aut castigari valeant, quod non respiciat reformationem aut correctionem morum.

Diximus 1. in propositione, non posse appellare à sententiis latis in morum reformatione & correctione, quoniam cùm sententiæ huiusmodi non feruntur ad hunc effectum, sed ad exemplum, potest appellari; sicut cùm quis ab aliquo Ordine expellitur, aut ad triremes mittitur, aut carceri perpetuo mancipatur, mortaliter nilominus peccabunt rei appellantes; sed tamen Prælati appellationi deferre tenebuntur, vt videtur determinatum in cap. *De Priore*, tit. de Appellat. in quo sic pronunciat Alexander tertius. *De priore qui non deferens protestationi, & appellationi vestræ ad Sedem Apost. factæ, quemdam Canonicum suum vestibus omnibus vsque ad camisiam spoliari; & eum accusationi & appellationi renunciare coegit, qui & de suis, & quorumdam Fratrum enormitatibus murmurauit, id tuæ sollicitudini duximus insinnandum, vt super hoc rei veritate diligentius inquisita, si inueneris, quòd pro tuitanda disciplina prædictus Canonicus appellauit, eidem Priori propterea nullam pœnam infligere debes, quoniam sancta Rom. Ecclesia, & huiusmodi appellationem non consueuit admittere, ne Monachis, vel Canonicis Regularibus præberetur audacia delinquendi. Ceterùm si præfatus Canonicus priorem propter suas enormitates manifestas quæ ipsum notabilem reddũt ad Sedem Apostol. appellauit; & ipse tali appellationi deferre contempserit, eum cum literis tuis veritatem continentibus, de tanto excessu satisfacturum ad Sedem Apostol. venire compellas.* Ex quibus constat, quòd licet Pontifex non approbarit, quòd appellatio à sententia in causa correctionis sit admittenda; attamen in materia prædictorum grauium delictorum admittendam iudicat: & ideò castigat Priorem, qui eam non admiserat, cùm admittenda esset. Et ita tenent scribentes in illud caput, & præcipuè Innocentius, Ioannes Andræas, Buttius, & Abbas num. 3. vers. *tertius intellectus*, quod ego etiam existimarem, nisi tanta esset euidentia delictorum, & sententia sic iusta, vt nulla esset ratio dubirandi: quia tunc esset appellatio manifestè iniusta, cui proinde deferre Prælatus non teneretur.

Adiecimus 2. in propositione dummodò forma substantialis obseruata sit, quoniam ea deficiente iuxta omnes licitè appellare potest reus, nonobstantibus quibuscumque priuilegiis in contrarium: quoniam illa priuilegia non derogant iuri communi, & naturali, quo quisque potest se tueri contra violentiam: potestque Regularis reus arripere iter absque licentia Prælati iudicis vexantis, si timeat adhuc vexari si peteret, aut si crederet se non obtenturum: nec potest Episcopus illum retinere sine obedientia sic transeuntem, dummodò probet vexationem. Et huic sententiæ non aduersatur Tridentinum sess. 25. cap. 4. de Regular. quoniam non prohibet exitum à conuentu nisi factum, *Prætextu*, non autem factum causâ legitimâ; vt v. g. nimis sæuiente superiore: ac sic tenet Sanctarellus tract. de Apostas. cap. 3. dub. 1. nu. 11. cum Nauarro, comment. 2. de Regular. num. 61. & Comment. 3. nu. 51. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 11. quæst. 7. Sayro in Claui lib. 12. cap. 17. num. 40. Roder. tom. 1. quæst. 29. artic. 2. & quæst. 30. artic. 4. & Emanuele Sa verb. *Relig.* num. 71. & aliis.

Potest etiam similiter in sententia iustè lata per modum querelæ ad maiores Prælatos recurrere, sicut Gregorius XIII. bulla quæ incipit, *Quoniam nostro.* Post prohibitum ad sæcularia tribunalia recursum, declarauit in fauorem Minoritarum, verbis, sequentibus, *Sed si à Prælatis suis se grauari prætendant ad Generalem ministrum ipsius Ordinis, seu illius protectorem, vel ad nos, siue Romanum Pontificem successorem nostrum supremum in Ecclesia Dei iudicem recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur.* Hæc Pontifex.

Obserua tamen, quòd tum in recursu proximè dicto, tum etiam in legitima appellatione potest omisso medio, videlicet omissis Prouinciali, Generali, ac etiam Protectore, ad Papam appellari & recurri, vel ad quemlibet illorum: ac sic tenent Remigius Scofra in Opusc. de inualiditate Profess. dub. 25. & 26. qui facit mentionem Decreti Clement. VIII. id prohibentis, & Portel. in dubiis reg. verb. *Appellare*, 3. suam-

que sententiam probat ex praxi. Nullum autem dubium est huiusmodi appellatio, nem esse legitimam, si à prædictis prælatis contra factam & illatam iniuriam remedium non speretur, vt post Legan. optimè docet. Archang. Rom. lib. 3. de priuil. verb. Appellare.

Obijcies contra superiùs dicta, quòd hæc sententia de appellatione & recursu stante, priuilegia Regularia in contrarium concessa, nullum effectum operarentur, cùm nullum extra ius producerent, quod est contra cap. *Abbate* de Verb. signif. Nam respondetur, priuilegia aliquando nihil nouum continere, sed maioris expressions gratiâ concedi, vt probat Sanches de Matrim. lib. 2. disput. 37. num. vlt. ad vltimum. Qui in Summa tom. 2. lib. 6. cap. 8. num. 20. dicit illa priuilegia hoc ampliùs continere, vt subditus non possit appellare; nisi excessus Prælatorum manifestus sit; quia pax, simplicitas, & obedientia Religiosorum hoc postulat, quod etiam ego existimo.

Veruntamen Prælati Regulares ob præfatas sibi in causa appellationis concessiones factas sibi blandiri nimium non debent, & propterea suos subditos, quasi tyrannos opprimere: nam in hoc casu habent recursum licitum ad sæcularia tribunalia: appellando ad illa, habetque tunc appellatio effectum suspensiuum, quemadmodum appellatio ad Papam, vt tenet Paul. Castrens. consil. 125. num. 2. versic. *Pro qui etiam*, lib. 1. Lancelor. de Attentat. 20. in præfat. num. 46. Philipp. Probus in tract. de Iure Regaliæ, quæst. 36. num. 9. in finem in quo refert quòd in Senatu Parisiensi die 17. Septembris 1415. pronuntiatum fuit placitum, quo, *Quidam Episcopus fuit condemnatus ad exhumari faciendum quemdam: qui fuerat per eius Officialem excommunicatus, & in terra profana sepultus: nec non ad faciendum ipsum absolui, quia post inhibitionem, & lite pendente in Parlamento, fuit excommunicatus: & dicit quòd post inhibitionem Senatus, fuerant manus dicti Officialis ligata, tanquam si ab excommunicatione ferenda fuisset appellatam, iuxta Paul. Castr. in Rubr. ff. de re iudicata.* Sic etiam tenet Augustin. de Belis in quodam tractatu, cui titulus est, *Allegacion en derecho.*

Ter autem reo conceditur appellatio in eadem causa ad illam terminandam, vt si reus nouam forsan iuris, aut facti rationem inuenire possit, quam coràm alijs iudicibus proponere nequiuit, aut nequaquam nouit, ea se tueri possit. Sit post ghisilerium citatus Archang.

PROPOSITIO VI.

SIc ligati sunt subditi Regulares suorum Prælatorum constitutionibus, vt aliquam gratiam aut priuilegium à Sede Apostolica contra illos obtinere non possint, absque eorumdem consensu; & aliter obtentum nullum existit: imò nec gratiosè & absque petitione concesso potiri, sinè Prælatorum eorumdem licentia.

Hæc veritas constabit, si quæ dicimus tractatu 1. de Priuilegijs, in memoriam reuocentur; cùm enim non censeatur Pontifex concedere priuilegium alicui Ordini in præiudicium status Regularis, & constitutionum; sic nec concedere Religioso particulari in eiusdem status & constitutionum detrimentum; esset autem tale, si hoc modo concederetur. Quod etiam adhuc probatur ex iure communi, decernente, vt *quod omnes tangit, ab omnibus approbari, aut reprobari debeat*; ergo cùm priuilegium peculiari Religioso concessum omnes tangat, approbari ab omnibus, aut saltem ab eorumdem superioribus necesse est; quòd si non approbent, aut reprobent, sine dubio illud non valere iudicandum est.

Deinde de iure speciali pluribus Ordinibus concessum est, quòd præfati subditi non possint illud priuilegium impetrare, & impetrato vti, vt ex eorumdem Compendijs Priuileg. verb. *Relig.* patet: nam Vrbanus IV. concessit Fratribus Præmonstratensibus, *Quod nullus Fratrum priuilegium aliquod contra communis sua Religionis statuta*

Digitized by Google

tuta audeat postulare, aut obtentum retinere; & si quæ impetrabuntur huiusmodi à Sede Apostolica, vel eius Legatis sub quacumque forma, & expressione verborum, irrita sint & inania. Leo X. in Minorum fauorem eamdem gratiam contulit dum B. inchoata *Inter cætera*, sic decernit, *Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod nullus ordinis obseruantia huiusmodi professor de cætero exemptionem aut indultum Apostolicum sub quauis forma expressioni verborum obtinere possit; nisi vester aut commissariorum vestrorum in Romana Curia existentium ad hoc expressus accedat assensus, & si illa impetrauerit, illa nullatenus sibi suffragentur, vt illorum obtentu à prælatorum suorum iurisdictione & disciplina exemptus censeatur.* Idem prædictus Leo X. Eremitis S. Augustini, & Alexander VI. Minoritis, cuius concessio habetur in libro Monument. Ordin. nuncupato, qua decreuit & ordinauit, *Quòd Minores Fratres vti nequeant gratiis, vel facultatibus in forma Breuis dumtaxat concessis, quæ per quemdam Bartolum Floridum olim Secretarium suum subscripta fuerunt; nisi ad id suorum superiorum Generalium, & Prouincialium pro tempore existentium accedat assensus, perinde ac si in literis prædictarum facultatum, & gratiarum adiecta foret prædicta concessio.* Ac sic tenent Roder. QQ. Reg. tom. 1. quæst. 10. artic. 5. & tom. 2. qu. 29. art. 2. Miranda in Manuali tom. 2. quæst. 29. art. 10. Portel. verb. *Impetrare*, & Marcellinus à Sancto Benedicto verb. *Priuileg.* §. & verb. *Absolutio quoad Monachos.* §. 9. & Corduba in citato compend. priuileg. Mendic.

Quod autem non possint gaudere gratiosè concesso, etiam probatur ex constitutione Alexandri VI. relata in Compend. priuileg. Fuliensium verb. *Absolutio quoad Monachos*, §. 9. & in Compend. priuileg. Congregat. S. Bernardi verb. *Cruciata*, §. 1. quâ *prohibuit Monachis dictæ Congregationis S. Bernardi in Hispania, in virtute sanctæ obedientiæ: ne Religiosi illius absque licentia Prælati saltem localis facultatibus quæ in Iubilæis bullis cruciatæ, confessionibus aut aliis quibuscumque indultis, quæ communitatibus, aut priuatis personis, aut piis locis quomodocumque aliter hucusque concessa sunt, aut in posterum concedentur, vti possent, nisi specialem & expressam, ac de verbo ad verbum de huiusmodi Indulti tenore mentionem facerent, aut aliter Regularium priuilegiis derogaretur.*

Quòd si aliquando à Prælatis Regularibus vsus aliquarum huiusmodi facultatum Regularibus subditis concedatur, nulli horum licebit; nisi sit ex numero eorum, qui ad confessiones Regularium eiusdem Conuentus audiendas deputati sunt, confessarium eligere; nisi ratione itineris: aut alia de causa ab eisdem Prælatis, aliis confessariis, intra aut extra Ordinem confitendi facultas ad id specialiter detur, & secus facta irrita & inania decreuit Gregor. XIII. in fauorem Societatis IESV, vt habetur in illius priuileg. pag. 141. & sequent. Sic etiam Clemens VIII. in fauorem Carmelitarum, qui etiam extendit prohibitionem quoad casus Prælatis reseruatos ad omnes alios Regulares, vt latiùs continetur in Bulla illius Pontificis emanata anno 1599. Quæ extensio antè à facta erat, non solùm quoad illos casus; sed etiam quoad omnes supradictos, si ex regula, aut ex constitutionibus illorum Ordinum prohibitum erat aliis, quàm à Superioribus deputatis Confessariis confiteri; nam vt in tract. de Priuil. in comm. probatum est, omne illud, quod vni Ordini conceditur, alteri concessum esse iudicandum est, nisi aduersetur Regulæ aut Constitutionibus illius Ordinis, aut sit odiosum; constat autem quòd hoc priuilegium est valde fauorabile omnibus Ordinibus, & nulli odiosum. Si autem aduersetur constitutionibus alicuius ex illius Ordinibus, quisque videat, meum enim non est omnes omnium Ordinum constitutiones voluere, & examinare.

Obiicies contra proximè dicta Clementem Præfatum extendere prohibitionem illam ad alios Regulares quoad solos casus Prælatis reseruatos; ergo non est verum, quòd illa prohibitio ad alios extendatur: respondetur, Papam prohibitionem illam Carmelitanis directè & absolutè fecisse, & quoad dictos casus ad alios Regulares extendisse; nihil aliud per dictam Bullam concedendo; reliquit tamen Regulares in possessione priuilegiorum quibus gaudebant; cúmque communicatione cum Carmelitanis potiantur, fit inde, vt etiam extensione ad alios casus fruantur.

PROPOSITIO VII.

Sic vincti sunt subditi regulares in suorum Prælatorum manibus vt nullam Prælaturam extra suum ordinem assumere valeant; nisi de eorumdem consensu: nec intra per electionem: nisi accedente eorumdem confirmatione, quam negare possunt in certis casibus & electionem validè factam irritare nec sic exclusus appellare potest.

Hæc propositio 4. partes continet, & quoad primam probatur apertè ex c.1. *Quorumdam & si religiosus*, de elect. in 6. in quibus euidenter habetur 1. quod regulares non possunt acceptare electionem de se factam ad Prælaturam aliquam extra Monasterium possidendam, sine consensu Prælati. 2. quod ea sufficit absque consensu fratrum ipsius Monasterij de quo assumuntur. 3. quod nullam Prælaturam supradictam assumere possunt etiam superiore consentiente, si ex electione in discordia acquiratur. 4. quod huiusmodi electiones non seruatis duabus ex prædictis conditionibus sunt irri æ & nullæ.

Confirmatur hæc pars 1. ex D. Greg. vt habetur cap. *quam sit* 18. q. 2. dum sic pronunciat, *nullus Monachus sine testimonio & concessione Abbatis sui in Ecclesia aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoueatur honorem.* Rationem huius præcepti reddit Bonifac. VIII. in cap. prædicto, *si religiosus; quia non habet velle, nec nolle, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit; & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet:* Imo (quod notandum est) licentia hæc post factam electionem obtinenda est; nam si anteà detur ad electionem si contigerit fieri, nullius est firmitatis, vt statuitur in Clement. vlt. de elect. & ratio datur optima, *quia ea licentia parat viam ad ambitionem*, atque ita intelligunt hæc iura etiam de Episcopatu Panorm. in cap. *Si Ecclesia vestra*, 2. de elect. nu. 16. & auctores communiter infra referendi.

Ex quo inferunt nonnulli canonistæ hanc veritatem locum habere, etiam in electione ad summum Pontificatum, quia votum obedientiæ absolutum & generale est, & omnino aufert proprium velle & nolle: sic Glosa dicto cap. *quam sit* ver. ad ordinandum: quem sequuntur Ioan. And. & Panor. in cap. vlt. de voto nu. 3. & cap. *quod Dei*, de statu Monach. nu. 12. & in cap. *Ioannes*, de regular. nu. 7. Greg. Lopez. leg. 25. tit. 7. p. 1. Glos. 2. ad finem. Sed quoad hanc partem, hæc sententia non videtur probanda: nam præter alias rationes quas affert Suar. tom. 4. de Relig. lib. 10. de voto obed. cap. 10. nu. 8 illa capita non loquuntur, nisi de Prælaturis inferioribus Prælatura Papali, vt hæc verba testantur, *ad Prælationem aliquam extra suum Monasterium, vel Ecclesiam:* Prælatura autem summi Pontificatus non est extra Monasterium aliquod vel Ecclesiam: sed supra omnem Ecclesiam & Monasterium seu Religionem. Accedit quod vsus non petendi & obtinendi huiusmodi consensum satis demonstrat in religioso ad Papatum electo in vi illius iuris communis non requiri.

2. Propositionis pars videlicet quod non possint etiam aliquam Prælatorum intra ordinem per electionem absque eorumdem confirmatione acceptare, & exercere, probabitur, si prius probetur quod electio non conferat ius Prælaturæ irreuocabile in electo, quod fiet 1. ex cap. *postquam* de electione, vbi id expresse habetur: 2. ex cap. *nosti* eod. tit. in quo concessiones & dispositiones ab electio & non confirmato nullæ declarantur.

3. A simili: nam in beneficiis secularibus ex electione, aut præsentatione non prouenit aliquis titulus, ex quo ipse præsentatus, seu electus ante confirmationem vocari possit beneficiatus: imò si contingat mori huiusmodi electum seu præsentatum ante confirmationem, non dicitur beneficium vacare per mortem ipsius præsentati seu electi, sed per obitum primi.

4. Probatur ex Clement. *Exiui §. Demum* de verb. signif. vbi hoc ita declaratur quoad electionem Prouincialis Minorum & consequenter quoad omnes Prouinciales, vt dicetur inferiùs, nec quoad hanc partem occurrit difficultas: sed dumtaxat aduertere debes nullum tempus esse à iure præfixum ad confirmandũ; & ideò electus non potest conqueri de confirmatione non facta; seu admodum dilata; nam si confirmator nulla existente causa renuat confirmare, non ab eo appellatur sed recurritur ad superiorem, qui illum compellat intra breue tempus præfigendum, cum communicatione, seu intimatione, quod nisi intra talem terminum confirmet, superior iure

alicuius Ordinis aliter decernatur, vt olim apud Recollectos, dum degerent in custodiis: custos enim electus suo munere fungebatur ex dictis constitutionibus in diplomatibus Pontificiis id statuentibus, fundatis.

3. Propositionis pars, videlicet quod dicti Prælati possint electionem factam in certis casibus irritare, in præsenti est probanda, quod vt fiat notandum est Doctores fere omnes in eo conuenire, quod confirmatio seu cassatio electionis duplici modo fieri potest, vel per viam iudicij cum processu compilato, & causæ cognitione, ac contradictorio, & cum sententia diffinitiua, scilicet quando alius adest coelectus, seu oppositor, vel ob vocum paritatem, seu defectum aliquem; vel extra iudicialiter, hoc est quando nullo existente coelecto, aut oppositore confirmator priuata scientia non in forma iudiciali, & contentiosa inquirit de modo electionis, an fuerit canonicè factæ? & de persona electi an sit idonea? & cum voto eorum qui sibi assistunt secretò, vel ore tenus prolato ad electionis confirmationem, vel cassationem peruenir. Quem modum tangit Franc. Salgado de Reg. profect. p. 2. cap. 13. nu. 16. & alij: his ergo duobus modis procedere potest superior ad electionem factam annullandum, sed relicto priori de quo non est dubium, probatur quod modo posteriori id possit. 1. ex Clement. *Exiui* §. *Demum* de verb. signif. in qua sic habetur, *Statuimus etiam & ordinamus hac constitutione in perpetuum valitura, vt cum alicui Prouinciæ de ministro fuerit prouidendum, ipsius ministri electio penes Capitulum Prouinciale residear quam idem Capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur; ipsius autem electionis confirmatio ad Ministrum pertineat Generalem, & siquidem ad electionem huiusmodi per formam scrutinij procedatur (& votis in diuersa diuisis) electiones plures in discordia celebrari contingat, illa, quæ à maiori parte Capituli numero, nulla zeli, vel meriti, collatione aut consideratione habita*, fuerit celebrata, *exceptione, seu contradictione quacumque alterius partis non obstante*, per dictum Generalem Ministrum de consilio discretorum de Ordine; priùs tamen ex officio, prout spectat ad ipsum, *diligenti examinatione præmissa*, confirmetur, vel etiam infirmetur, pro vt ei secundùm Deum visum fuerit expedire &c. Cuius textus decisio, licet pro ordine tantùm Minorum condita esse videatur; tamen cùm ille textus in corpore iuris sit insertus, & eius ratio generalis omnes comprehendat, omnibus quoq; religionibus necesse est, vt fiat communis: tum ex eo quod quando princeps vni præsidi rescribit, ex consequenti omnibus rescripsisse videtur: tum etiam quia licet admittamus hunc textum continere priuilegium, seu concessionem specialem pro ordine Minorum, nihilominus alij Ordines in hoc priuilegio, sicut in aliis communicant.

Probatur 2. ex doctoribus qui hanc sententiam sustinent, inter quos sunt prædictus Salgado, Gonzales, Marescot. Puteus, Rota Romana sæpiùs, & alij à Barbosa in praxi dub. 2. lib. 1. voto 4. citati, quorum solius Bannis verba referam inserta in quæst. 67. art. 2. in respons. ad 2. arg. de iust. & iure, huius tenoris. *Et in hoc deficit confirmator à ratione iudicij, quod iudex, vt sic tenetur ferre sententiam secundum allegata, & probata, & si oppositum fecit, nulla est sententia: cæterum confirmator quomodolibet cassauerit electionem etiam digni, cassata est: quod si aliquis obiciat contrà, ille confirmator iniuriam facit electo, ergo tenetur confirmare cum ex iustitia. Probatur antecedens; quia statim indicabitur suspectus de aliquo crimine, propter quod non confirmatur à Prælato. Respondetur nihilominus nego antecedens, & ad probationem respondetur, quod est temerarium iudicium, quia multis viis potest cassari electio etiam digni.* Hæc Bannes.

Quomodo autem capiet informationes Prælatus Generalis? Respondent Iul. Lauor. Variar. Lucubrar. tit. 4. de elect. canon. & cap. 25. nu. 44. & 55. *Per famam vel litteras testimoniales, vel si necessarium indicauerit per testium receptionem cum iuramento*, Abbas vero in cap. *Postquam* nu. 5. de elect. *hæc omnia arbitrio iudicis relinquit*, Marc. Anton. Cuch. tit. de confirmar. nu. 60. *respondet prædictum Generalem posse fidem adhibere soli famæ & litteris testimonialibus.*

Ex quibus omnibus vltima pars propositionis probatur (scilicet quod non possit ab huiusmodi Prælatura sic exclusus appellare) 1. ex capp. *ad nostram & reprehensibilis*, de appellat. in quibus habetur quod regularis non possit appellare in iis, quæ spectant ad correctionem morum, obseruantiam suæ regulæ, & constitutionum: sic Abbas, Massob. Tamburin. Iul. Lauer. à Barbos. in praxi lib. 1. voto 4. nu. 17. ex qui-

bus videre est electionem seu præsentationem non conferre Prælaturam, nisi accedat confirmatio superioris; aut in constitutionibus specialibus id habeatur; si enim ordinationes, præcepta ac correctiones, quæ tendunt ad bonum commune religionum possent appellationis refugio retardari, quod sanctissimè pro religionis conseruanda disciplina statutum est, in eius damnum & desolationem cederet; nam religiosi appellatione semper vterentur, afferentes se grauari, quod D. Bernard. optimè considerauit lib. 3. de considerat. ad Eugen. *Quantos nouimus appellasse pulsatos, interim liceret, quod nunquam licet, antidotum versum in venenum* (& paulò post) *qui non grauatus appellat, manifestè liquet, quod aut grauare intendit, aut tempus redimere.*


Probatur 2. quia in actibus extra iudicialibus non datur appellatio suspensiua, vt docent Gonzales ad reg. 8. Cancell. Glos. 9. in annot. nu. 26. Marescot. var. lib. 2. cap. 64. an. 20. cum seqq. Salgado de reg. protect. p. 2. cap. 13. nu. 1. nu. 167. & Scacc. de appellat. q. 2. nu. 351 vers. *Secus est.*

3. Confirmatio & infirmatio electionis conscientiæ, & prudentiæ Generalis committitur, prout ei secundum Deum visum fuerit expedire; sed tunc & in isto casu appellatio denegatur, vt sustinent Tiraq. de retractu leg. § 4. Glosa 1. nu. 11. Menoch. de arbit. lib. 1. q. 78. n. 7. Salgado citatus p. 3. cap. 13. à num. 48. & alij. Nec aduersùs hanc rationem obiicias Glosam vers. *encramus*, in Clemenr. 1. de iure patron. pronunciantem. *Fateor tamen quod superior ad quem appellatum est, emendaret, quod malè factum esset*, quia hoc dictum procedit, prout ille explicat, dum quæritur quid fieri debeat per viam supplicationis, vel misericordiæ, vt tenet Sanches de Matrim. lib. 3. disput. 8. nu. 13.

4. Quia à præcepto seu mandato, quod ex iudicis arbitrio fertur non datur appellatio, quia multa mouere potuerunt iudicis animum, quæ appellationis iudicem lateant, & eius fugiant cognitionem; & ita solus Deus iudex & cognitor illius est arbitrij: sic tenent Bartol. in lib. 1. nu. 18. ff. delegat. 2. Menoch. de arbir. lib. 1. q. 70. n. 7. & alij. Nec obstat quod aliqui doctores in his arbitrariis aliquando appellationem admittunt, quoniam id faciunt quando iudicialiter progreditur: non autem quando extra iudicialiter, vel quando non absolutè arbitrio alicuius quid committitur, sed appositum est simul aliquod verbum respiciens iustitiam; veluti si dicatur, *ad iudicium tui arbitrij*, vel *conscientiæ tuæ*, & confirmatur ex Tridentino sess. 21. de reformat. cap. 2. in quo assumendos ad sacros ordines ex tit. patrimonij, vel pensionis iudicio Episcopi constat esse relictos, de quo exclusus appellare non potest.

Sed posito quod posset in hoc casu appellari, non propterea suspenderet appellatio effectum sententiæ Prelati Generalis; ac ex consequenti electus non potest officio fungi. L. nulli officialium. C. quorum appellat. non recip. Auendan. de exequend. mand. lib. 1. cap. 10. an. 25. Azeued. lib. 12. nu. 2. tit. 5. lib. 3. nouæ recopilat. Mastrill. de Magistrat. lib. 2. cap. 9. an. 12. & Farin. in praxi crimin. quæst. 101. nu. 89. potestque Superior quacumque appellatione nonobstante, ad pœnæ executionem procedere, & absque vllius violentiæ suspicione, vt tradunt doctores. Accedit præmissis quod nullus ferè est ordo regularis, qui non habeat constitutionem, qua huiusmodi appellatio si non in specie saltem in genere prohibeatur.

Quæres num quis Episcopatum absque labe peccati desiderare possit: Respondeo posse dummodò aliquo motiuo malo hoc desiderium non dehonestetur, quod esset tale, in religioso si ad austeritatem, humilitatem & obedientiam religiosam fugiendam, vel ex ambitione conciperetur. Sic Suares post alios tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 16.



TRACTATVS IV. DE FACVLTATE PRÆLATORVM REGVLARIVM AD DISPENSANDVM SVBDITOS.

PRÆLVDIVM.



AVD dubium est, quin sicut facultas dispensandi, illiusque vsus male sonat, cùm frequentiùs legem soluere, & maximè quandò exemplo potiùs, quàm certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, suspicionem mali apud bonos pariat; nihilque, aliud sit hoc modo dispensare, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire: sic etiam è contrario eadem facultas illiusque vsus apud doctos & probos optimè sonat, dùm vrgente necessitate, iusta ratione, & maiore vtilitate poscente; cum aliquibus causâ cognitâ, & summa maturitate exercetur; & subditi, illa imperante, dispensantur. Quocirca hæc facultas his duobus modis considerata est veluti gladius quo quis bene, vel malè vti potest. Non ex suaptè naturâ, sed ex prauo illa facultate vtentis effectu, quam Romani Pontifices Prælatis Regularibus, vtpote illis ad Regulares sibi commissos in viam salutis dirigendos, maximè necessariam copiosè contulerunt; de qua hic tractatus instituitur.

Digitized by Google

CAPVT I.

DE POTESTATE PRÆLATORVM REGVLARIVM AD DISPENSANDVM super irregularitate.

PROPOSITIO I.

PRælati Generales, Prouinciales & Locales, eorumque Vicesgerentes possunt dispensare subditos Regulares, etiam hospites, ac nouitios, super omni irregularitate: etiam publica, ex delicto (quę propriè pœna) peccati est iuxtà solũ, Victor. Medinam, Cordub. Melch. Canum & alios, & iuxta Extrau. 1. de priuileg. §. *Inconuenienti:* estque sua natura perpetua pœna, cum censura non sit, nisi pœna medicinalis, seu temporalis, prouenientе, publica homicidij voluntarij & mutilationis membrorum excepta.

Duplicem irregularitatis speciem agnoscunt Theologi, quarum prima vocatur ex delicto, secunda autem ex defectu: quæ adhuc in quatuor species subdiuiditur, prima est ex defectu alicuius Sacramenti, secunda, ex defectu, seu vitio corporis, tertia ex defectu animæ, quarta ex defectu lenitatis post baptismum; De quibus omnibus in genere, & de aliquibus illarum in specie inferiùs agemus, dummodò priùs dixerimus axioma illud Canonistarum (videlicet quòd dubius de irregularitate contracta irregularis est, seque irregularem reputare debet) intelligendum esse, secundum aliquos non de dubio iuris, id est, exempli gratia, cùm quis aliquam actionem fecit, in qua dubitat impositam esse irregularitatem à Iure: nec de dubio facti in vniuersum; sed dumtaxat de dubio facti in materia homicidij, cùm videlicet quis dubitat, num hominem occiderit; tunc enim secundum illos se reputare debet irregularem; non autem in aliquo alio dubio facti, in quo irregularitas est iure imposita. Et hanc sententiam quæ communis est, & validissimis rationibus & argumentis fulcitur, mordicus sustinent. Maldetus 1. 2. D. Thomæ quæst. 19. art. 5. disp. 87. dubio 8. Suares de Censuris disp. 40. sect. 6. Sanches tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 48. Alfonsus à Leone, Henriques, Auila, Conink, Layman, & Salas citati à Diana tract. 2. de Irregul. resolut. 52. & alij. Iuxtà verò aliam sententiam, quam non improbabilem sustinent Suares de Censur. disp. 40. sect. 6. num. 70. Salas 1. 2. tom. 1. quæst. 21. tract. 8. disput. 1. sect. 6. num. 70. Alphons. de Leone tract. de Potest. Confess. tom. 1. Recollect. 17. num. 57. & Rebellius parte 2. lib. 1. q. 3. sect. 2. num. 13. & alij quos hic tacito nomine citat dicendum quòd in dubio facti homicidij nemo se gerere debet irregularem. Quòd si illis objicias cap. *Ad audientiam*, de Homicidio voluntario: respondent, illud caput procedere; quando homicidium est ita dubium, vt verisimilius sit, fuisse perpetratum, idque sic videri declaratum, asseritur ab Innoc. III. cap. *Significasti*, 2. ad finem.

His notatis probatur propositio (omissis aliis concessionibus Apostolicis ad probationem) ex Mari magno Iulij II. Minimis Concesso, vbi hæc verba habentur: *Et vt in dictis Ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem re-*

currendi subtrahatur pro posse necessitas, omnibus Superioribus, & eorum Vicarijs, cum his qui ex quauis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, dispensandi cum dictis Ordinis Minimorum Professoribus, postquam ipsum Ordinem professi fuerunt, &c. Eandem concessionem habent Religiosi Societatis IESV in Compend. suorum priuilegiorum, verb. *Dispensatio*, §. 2. relatam ex Bulla inchoata, *Licet debitum*, extractum his verbis. *Præpositus Generalis, & de eius licentia Prouinciales, & eorum Vicarij, loca tenentes possunt cum Religiosis Societatis, quauis ex causa irregularibus, præterquam homicidij voluntarij, Bigamiæ, & mutilationis membrorum, postquam in Societatis Ordine vota emiserint, dispensare.* Et idem ferme habetur, in lib. Monument. Ordin. Concessione 352. & in Mari magno Minorum quod incipit, *Regimine*, & in Mari magno cuiuslibet Ordinis Mendicantium. Ex quibus duo colligo: primum duas irregularitates tantum ex delicto excipi videlicet homicidij voluntarij & mutilationis membrorũ. 2. Pontifices præfatos absolutè sine vlla restrictione concedere facultatem in illis dispensandi, vndè sicut ex illo modo loquendi Pontificum iuxtà sacros Canones & Doctores collegimus potestatem absoluendi à censuris Papæ reseruatis, se extendere ad Censuras publicas: ita etiam de facultate dispensandi in dictis irregularitatibus etiam publicis, est concludendum. Quod confirmatur 1. quia in dictis concessionibus post concessam prædictam potestatem absoluendi concedunt Pontifices eodem loquendi modo facultatem dispensandi super irregularitatibus; ergo sicut illa facultas absoluendi fertur in censuras publicas; sic etiam facultas dispensandi in dictas irregularitates publicas ferri necesse est: cùm nulla appareat ratio disparitatis. Confirmatur 2. ex verbo (quauis causâ (quod iuxtà Doctores, ampliat concessionem vniuersalem, vt videbitur inferiùs in propositione de potestate Prælatorum ad dispensandum super irregularitatibus in 1. & 2. feria Quadragesimæ.

Confirmatur iterum 3. ex priuilegio Sixti IV. concesso fratribus Prædicatoribus, & Minoribus in Mari magno vtrorumque: & ex alijs concessionibus Pontificum tum prædictis Regularibus, tum alijs, aliorum Ordinum factis, quæ continent verba absolutè, & sine restrictione prolata; ac ex consequenti de occultis & publicis irregularitatibus prædictis intelligi debent: & sic tenet Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. dub. 16. cum restrictione tamen, videlicet quòd non possint dispensare cum simoniacè ordinantibus, & ordinatis: sed illa restrictio non est ad rem; cùm, vt supra diximus, censura eiusmodi simoniacorum non sit reseruata Papæ: nec etiam hæc irregularitas, vt manifestè constat ex concessionibus proximè adductis, in quarum vna videlicet Mari magno Minimorum, hæc verba habentur: *Reliquis verò omnibus, etiam simonia qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur absolutionis beneficium, & dispensationis iuxta casuum indigentiam impartiri.* Eadem etiam verba habentur in concessione 345. Minoritis à Sixto IV, facta.

Et hæc propositio euidentiùs probatur ex priuilegio citando in propositione inferiùs ponenda de irregularitate ex homicidio voluntario, lata à iure, vel ab homine generaliter, & non specialiter: quia ab eodem Sixto hæc restrictio sublata est, vt habetur in lib. Monument. Ordinum, concessione 131. & enunciatur expressè, in Bulla edita à Sixto IV. in fauorem Ordinis Prædicatorum quæ incipit, *Exposuisti nobis*, & in concessione præcitata eadem dispensationis gratia pro nouitijs ad reincidentiam, si non profiteantur, conceditur. Vt tenet Ioann. de la Cruz lib. 1. de Statu Relig. can. 6. dubio 16. & alij.

Verùm hæc reincidentia non habet etiam locum in Nouitijs, vt probauimus in tract. præcedenti, cap. de Potestate Prælatis concessa ad absoluendum à censuri Papæ reseruatis, vbi ostendimus, priuilegia absolutam concedere potestatem, tum absoluendi à censuris, tum dispensandi in dictis irregularitatibus, sine tali reincidentia. Atque sic tenent Bartholom. de Vecchijs in Praxi Nouitiorum disp. 9. dub. 25. nu. 3. Bonaci. de Leg. disp. 4. quæst. 2. puncto 7. §. 4. num. 28. Diana resolut. 44. tract. 2. de Dubijs Regular. Suares de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 24. nu. 6. & alij. Ratio est, quia absolutio, & dispensatio purè, & simpliciter data, non est explicanda data ad reincidentiam, sicut notat Suares 3. part. tom. 5. disput. 7. sect. 5. num. 35. nisi in casibus à iure expressis: vt habetur in cap. *Eos qui*, de Sententia ex-

Digitized by Google

communicationis in 6. Cùm ergo in dictis priuilegijs non exprimatur reincidentia, illa non est apponenda. Confirmatur à paritate rationis in absolutione & dispensatione, virtute Iubilei, quæ non datur ad reincidentiam, dummodo dispensatus habeat animum lucrandi Iubilæum: etiamsi postea non lucretur.

Tres dumtaxat supersunt difficultates explicandæ, Prima de irregularitate ex membrorum mutilatione actiua. 2. De irregularitate contracta ex defectu lenitatis. 3. De irregularitate incursa per homicidium voluntarium iniustum. Quoad primam difficultatem sit.

PROPOSITIO II.

POssunt præmemorati Superiores dispensare in prædicta irregularitatu ex mutilatione membrorum publica.

Sciendum est, ad mutilationem membri requiri ipsius abscissionem, nam si quis tantùm debiliter membrum alterius, & ita quidem vt plenè mutilatus reddatur ineptus functionibus Ordinum, & sic mutilatus fiat irregularis, ipse tamen mutilans non contrahet irregularitatem; sed ad hanc incurrendam requiritur, vt membrum abscindat, & quidem viuum, vt tenet Præpositus in 3. parte. quæst. 5. de Irregularit. dub. 9. num. 75. & multi alij, quos inferiùs citabimus; & ideò ait Fernandes in Examin. Theol. mora. part. 2. cap. 10. §. decimoquarto, numero septimo, qui alium excæcat, sed oculum non foras eruit, non est mutilator, nec irregularis: nec qui fœtum antequam animetur, occidit.

His positis propositio euidenter constat: 1. quoad Generales ex priuilegio Iulij II. Minoritis de Obseruantia, viuæ vocis oraculo concesso, quod reperitur in Compend. priuileg. Mendicant. verb. *Dispensatio*, in quo sic legitur: *Dispensandi super huiusmodi, ac quacumque alia irregularitate per Fratres Ordinis Regularis Obseruantia quomodolibet, præterquam ex homicidio voluntario, ac præstatione auxilij, seu fauoris eiusmodi homicidio, seu ex bigamia proueniente nunc, & pro tempore contracta fratribus Ordinis Regularis Obseruantia prædictorum nunc, & pro tempore existentibus.* Quæ verba absolutè posita absolutè sunt intelligenda; & ideò ad publicas irregularitates extenduntur, homicidio & præstatione auxilij exceptis: cúmque irregularitas ex mutilatione membrorum, de illorum numero non sit, possunt super illa prædicti Generales dispensare.

Constat etiàm 2. hæc propositio quoad cæteros Prælatos præmemoratos, cùm id possit Episcopus ex sententia Barbosæ de Potest. Episc. parte 2. allegat. 39. num. 49. qui sexdecim Authores citat suam sententiam sustinentes, quibus adde Didacum de Arroyo, de Sacram. cap. de Irregular. num. 10. Homobonum in Exam. eccles. part. 1. tract. 12. cap. 3. quæst. 10. Hurthadum disput. 2. de Irrigular. disput. 20. num. 66. Filiucium tom. 1. tract. 20. cap. 2. num. 51. Gauantum in Enchirid. Episcopali, verbo *Irregul.* nu. 108. & alios relatos à Diana 4. part. tract. 2. de Irregul. resol. 71. quos omitto: qui omnes si attentiùs illorum doctrina consideretur, non debent intelligi de hac irregular. publica deducta ad forum contentiosum; sed de publica, eo modo quo dicetur inferiùs in proposit. 5. vbi affirmabitur, quòd omnes irregularitates sunt occultæ, si ad forum contentiosum non venerint; & sic potest hæc irregularitas vocari publica facti.

Quoad autem præstationem auxilij, de qua facit mentionem prædicta concessio Iulii II. dicendum Sixtum IV. in facultate, quam concedit Prælatis ad dispensandum, non facere exceptionem de illa: neque de magna effusione sanguinis; ac propterea in dicta facultate dispensandi, illa duo non censentur excepta. Adiunge, quod per illa duo non incurritur irregularitas: nisi quatenus coniuncta sunt cum truncatione membri aut cum homicidio.

PRO-

PROPOSITIO III.

POssunt prædicti Prelati dispensare in irregularitate publica ex defectu lenitatis, & ex consequenti in irregularitate publica ex homicidio iusto, vel etiamsi casuali iniusto contracta.

Homicidium hoc loco triplici modo accipitur; pro occisione hominis prohibita in 5. Decalogi præcepto, quæ per insidias, vel industriam, vel ex proposito, propria voluntate fit; ac de illo loquitur Trid. sess. 14. cap. 6. quod in dicto loco iterum, & multoties repetit illas particulas, quando reseruat irregularitatem ob illud incursam, vt ostendat illud homicidium debere esse illicitum, & volitum, siue voluntarium in se: & sic de illo tenet Barb. de Potest. Episc. part. 2. alleg. 39. num. 47. & alii communiter. Et ideò obseruat ex Vasquez, & Turriano de Censuris lib. 9. disput. 63. dub. 1. quòd requiritur in occidente expressa voluntas occidendi, & quòd non sufficiat voluntas non occidendi, sed vulnerandi tantùm: nec voluntas vulnerandi expressè, nulla præmissa cogitatione de occisione. 2. modo sumitur pro casuali, id est, quod casu accidit, & prærer intentionem, quod adhuc tale erit, etiam si sit commissum directè excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, & quod commissum est ex subita ira, quamuis directè & plenè voluntariè. Ita Hurtado disp. de Irregularitate difficul. 10. mem. 66. & Diana tract. 2. Irregu. resolut. 72. Tertio sumitur pro occisione hominis iusta, sicut illa, quæ fit à Ministris iustitiæ, & à militibus in bello iusto. His explicatis propositio quoad optimam partem probatur ex præcedentibus constitutionibus, ex quibus manifesta est, quæ cum aliquibus aliis hic ponitur, vt quædam difficultates explicentur: ac illam tenent Roderic. Couarr. Campanil. Viuald. & Medina, quos citat Barbosa, qui illam etiam tenet de Potestate Episc. part. 2. allegat. 36. num. 47. cum Nouario in nouo iure Pontif. con. 8. num. 8. Plasa de delictis, lib. 1. cap. 11. num. 11. Sa verbo *irregularitas ex occisione licita*, nu. 5. & Hieron. Roder. in compend. quæst. Regul. resolut. 81. n. 3. & resolut. 51. num. 22. Difficultas autem est de Regulari facto inter Turcas captiuo, qui vt effugiat mortem; nisi damnatum instè ad mortem publica authoritate interficiat. Si illum interficit vtrum possit à Prælato Regulari dispensari? Respondetur, in hoc casu dubium esse duplex, vnum quod refertur ad irregularitatem infamiæ: alterum, quod respicit irregularitatem ex defectu lenitatis procedentem. Quoad hanc non videtur difficultas; quoniam præmissæ concessiones Pontificum non faciunt exceptionem de illa irregularitate; ergo cùm concedant vniuersaliter, ita viuersaliter intelligendæ veniunt; ac ex consequenti concedunt facultatem Regularibus Prælatis ad dispensandum super illa, sicut super cæteris quæ non excipiuntur; nisi quis dicat Pontifices non concedere facultatem ad exorbitantia, quod facerent, si possent Prælati in hoc dispensare, nam inde concluderetur, dictos Prelatos similiter posse dispensare super irregularitate quacumque liberè, aut per vim sibi factam, ex defectu lenitatis à Regulari contracta. Verùm hæc illius sententiæ ratio non cludit vim concessionum, cùm sint absolutæ, ac proinde absolutè, ac vniuersaliter intelligendæ: dicendum est ergo, hanc facultatem dispensandi inesse in dictis Prælatis, eaque vti posse, & similiter dispensatos sua dispensatione; dummodò absit scandalum, quo existente non possent dispensati illa vti sine mortali peccato: nec similiter absque eodem peccato superiores in eadem dispensare.

Quod autem spectat ad irregularitatem ex infamia, notandum duplicem esse: alia enim est, quæ vocatur irregularitas ex infamia iuris; altera quę oritur ex infamia facti: hæc vltima infamia est quando factum infamans est notorium, illa quando non solùm factum est notorium per conuictionem criminis in iudicio, sed etiam per sententiam iudicis. His positis dicti prælati possunt dispensare in infamia facti, vt tenet Roder. tom. 1. quæst. 24. art. 6. & Ioannes de la Cruz de Statu Relig. lib. 1. cap. 6. circa irreg. dub. 17. conclus. 1. At verò in infamia iuris non possunt dispensare, si cri-

mina sunt grauissima, vtpotè Sodomia, & bestialitas, sicut affirmat idem Roder. loco proximè citato: rationem autem affert; quia inde oriretur scandalum, in cuius confirmationem addo, quòd Pontifices non concedunt priuilegia ad exorbitantiam quæ sententia licet sit probabilis, attamen verior videtur contraria ex Pontificum concessionibus, quæ vniuersaliter loquuntur, ac sic absolutè & vniuersaliter sunt intelligendæ: ratio autem scandali, vt superiùs diximus, non officit, cùm sit extrinseca dispensationi, nam, vt etiam diximus, potest quis legitimè dispensati super irregularitate, & tamen vtens dispensatione peccare mortaliter propter scandalum, & sic satisfit obiectioni de infamia: quæ quidem non reperitur in dicto Regulati, cùm non proueniat ex delicto homicidij iniusti. Notabis hic irregularitatem publicam ex infamia facti tolli emendatione publica absque alia dispensatione. Sic Diana tract. 2. de Irregul. resolut. 93. cum aliis. Et hæc omnia quoad hanc irregularitatem ex homicidio iusto prouenientem tollendam, vniuersaliter vera sunt; licet quoad hunc casum singularem supra positum non aúsim illa absolutè asserere; cùm nullum legerim doctorem, qui de illo agat; quocirca me doctiorum iudicio submitto.

Quoad verò 2. partem probatur propositio. ex eisdem præmissis concessionibus, quæ ita sonant: & ita Barbosa de Potestate Episcopi part. 2. allegat. 39. nu. 47. Bannes in 2. 2. quæst. 40. art. 2. dub. 4. Medina in Summa, part. 1. cap. 12. §. 12. Campan. in Diuers. Iur. Canon. rubr. 11. capit. 23. num. 138. Hieron. Roderic. in Compend. quæst. Regul. resolut. 81. num. 3. Nouarius in Iure nouo Pontif. conclus. 8. nu. 3. qui illud tenent de Episcopis, & ex consequenti de Prælatis Regul. Id tamen de Prælatis Regul. expresse censet Filiucius tom. 1. tract. 19. cap. 1. nu. 281. Hieron. Roderic. in dicto Compend. resol. 52. num. 23. Petrus Corneius in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de Irregul. disput. 13. dub. 3. quæst. 2. & Diana tract. 2. de Irregul. resolut. 70. ratio autem illorum est, quia sub nomine homicidij voluntarij, quod excipitur in Trident. non comprehenditur iustum homicidium, vt obseruat etiam Vega in Speculo curatorum tom. 2. cap. 12. §. 37. num. 325. & alij de quibus supra loquuti sumus.

Denique quantum ad 3. partem probatur propositio ex eisdem concessionibus, quæ absolutè tribuunt facultatem dispensandi non excipiendo homicidium casuale: ratio est, quia homicidium casuale iniustum verè homicidium casuale existit; ac proinde possunt dicti Prælati in illo dispensare: sic tenet Diana 4. part. tract. 2. resolut. 72. Vecchius in Praxi nouitiorum, Sebast. à Bonon. tract. de Elect. part. 2. cap. 40. dub. 71. num. 14. Roderic. tom. 1. QQ. RR. q. 24. art. 13. Portel. verbo *Dispensare* num. 9, & Auila de Censuris part. 7. disput. 6. sect. 5. dub. 2. concl. 2. Atque hæc doctrina extenditur à Diana citato, & ab Hurtado disp. 2. de Irreg. diffic. 20. num. 66. ad irregularitatem ex homicidio patrato, directè excedendo moderamen inculpatæ tutelæ: & ex commisso ex subita ira, quamuis directè & plenè voluntariè. Et hæc sufficiant breuiter dicta de hoc homicidio, nunc ad alia dubia elucidanda procedendum est.

PROPOSITIO IV.

POssunt prædicti Prælati dispensare in aliis irregularitatibus siue occultis, siue publicis ex defectu prouenientibus (paucis exceptis.)

Hæc propositio constat ex tenore concessionum, & præcipuè ex dicta concessione Martini V. ad ducenda inferiùs, in qua nulla irregularitas ex defectu excipitur, ergo nec nos exceptiones facere debemus; ac ex consequenti, nec bigamiam etiam veram, excipere super qua probabile est Prælatos antedictos posse dispensare: & ita tenet Villalobos in Compend. Summæ cap. 13. num. 19. ex concessione Sixti IV. facta Carthusianis, quæ refertur in Compend. priuilegiorum Societatis IESV, verbo *Dispensatio*, num. 5. &. 6. & in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Absolutio extraord.* §. 4. Ita etiam de prædictis omnibus Prælatis in propositione positis præter alios, tenet

Auila de Censuris part. 7. disput. 8. dub. 4. concl. 8. Henriques lib. 12. cap. 6. num. 11. in Gloss. qui etiam docent. regulares non solùm à dictis Prælatis posse super illa dispensari; sed etiam à quocumque Confessore ordinis, & hoc ex priuilegio Sixti V. vide Corneio in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de Irregularitat. disput. 10. dub. 1. in fine.

Ex hac propositione sequitur 1. posse prædictos Prælatos, subditos dispensare super Bigamia similitudinaria, vt dispensati possint Ordines suscipere, & ad Prælaturas ascendere, videlicet Religiosos, vel sacris Ordinibus initiatos, qui contraxerent & consummarunt matrimonium. Sic tenent proximè citati, & Ioan. de la Cruz lib. 1. de Statu Relig. cap. 6. dub. 1. Et probatur, quia id possunt Episcopi erga sibi subditos; ergo & Prælati Regulares etiam poterunt erga suos, super huiusmodi irregularitate, aliàs orta ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum dispensare; cur autem Prælati possint absolutè dispensare in hac Bigamia similitudinaria, & non sit ita certum, quòd possint in Bigamia vera? Respondetur hoc oriri ex eo quod Canonistæ asserunt communiter, Bigamiam veram semper exceptam existere in iure; nisi exprimatur, cùm autem in prædicta facultate dispensandi de illa non fiat expressio, videtur de illa maius esse dubium. Verùm possunt etiam subditos dispensare in irregularitate veræ Bigamiæ ex concessione Sixti IV. superius relata, in qua solum homicidium voluntarium excipitur; & ita tenet Auila de Censuris, 7. part. disput. 8. dub. 4. concl. 8.

Sequitur 2. dictos Prælatos posse subditos dispensare in irregularitate contracta ex animæ defectu; dummodò illam patientes ad sanam mentem venerint, & constat quoad 1. partem consequentiæ ex concessionibus Pontificum, & ita tenent communiter Doctores, inter quos lege Dianam tract. 2. de Irreg. resolut. 74. & Roderic. Quæst. regul. quæst. 24. art. 7. vbi reperies, quid dicendum sit de illiteratis Regularibus: qui non sunt dicendi irregulares in ordine ad promotionem ad sacros Ordines. Quoad verò secundam partem consequentiæ, etiam ex Doctoribus constat, qui merito asserunt, nec Papam posse dispensare super irregularitate, quæ reperitur in habitualiter fatuis, & furiosis, donec liberati fuerint.

Si autem petas, quid dicendum de illo qui dolet capite, & indiget Birreto in celebratione Missæ: Respondetur, illud posse absque dispensatione, dummodò discooperiat caput ante consecrationem: quòd si dubitet se habere causam, recurrat ad suum Prouincialem, ait Roder. eadem quæst. ego verò sufficere credo superiorem localem; cùm habeat in dispensatione super irregularitate subditorum eamdem facultatem, quam Episcopus, qui cùm id possit in subditos, poterit etiam in suos subditos superior localis.

Sequitur 3. illos posse dispensare subditos super irregularitate, orta ex defectu natalium. Nam licèt aliqui Doctores communiter teneant hoc tantùm posse Generales Ordinum ex Greg. XIV. concessione facta Clericis Regularibus, & ex commissione eorundem Prouinciales & Superiores locales, vt etiam tenent Tamburinus de Iure Abb. tom. 5. disput. 1. quæst. 14. num. 10. Peirinus in Priuileg. Minim. tom. 1. constit. 2. Iulij II. §. 14. num. 26. Portel. verbo, *Illegitimus*, num. 10. Attamen Eugenius IV. concedit hanc facultatem absolutè Congregationi S. Iustinæ Bulla 21. Verùm hodie huiusmodi dispensationes non sunt necessariæ; nam Eugenius IV. concessit Religiosis S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia, vt Illegitimi sui ordinis ex professione, absque alia dispensatione sint habiles ad possidenda Religionis officia, & ad suscipiendos sacros Ordines. Sic Villalobos tract. 15. difficul. 60. Martinus à Sancto Iosepho tract. de Potest. Prælat. General. erga suos subditos num. 9. Portel. verbo, *Illegit.* num. 9. & Compend. priuileg. dicti ordinis fol. 9. §. 2. vbi ita habetur. *Admissus ad professionem, si habet defectum naturalium, ipso facto sit dispensatus non solùm ad ordines; sed etiam ad omnia solita gubernia, Prioratus, Rectorias, &c.* Ac propterea est firmiter tenendum, quòd si quis illegitimus qualiscumque ille, profiteatur in aliquo Ordine, statim cessat irregularitas, potestque ad sacros Ordines promoueri; nisi obstent constitutiones Regulares. Sic Sanches lib. 5. cap. 5. in præcepta decalogi, & lib. 7. de Matrim. disput. 86. nu. 4. Nauarr. comment. 2. de Regularib. Suares tom. 5. in 3. part. disput. 41. sect. 1. num. 3. & alij quamplurimi, quos citat

Digitized by Google

Sanches locis proximè citatis, qui addit num.10.lib.5.cap.5.in præcepta decalogi, non dumtaxat tolli hanc irregularitatem quoad susceptionem Ordinum, sed etiam quoad illorum vsum,si fuerint suscepti:ampliatque Roder. ad nouitiatum,ita vt tollatur per susceptionem habitus Regularis: sic tom.1. QQ. RR. quæst. 13. art. 4. ac proinde defectum natalium patientes non indigent alia dispensatione.

Sequitur 4. posse prædictos Prælatos dispensare subditos in mutilatione membri passiua, & corporis deformitate, dummodò non sit disformitas essentialis,& non habeat indecentiam notabilem. Hæc consequentia quoad primam partem constat ex concessionibus superiùs adductis, quoad 2. autem constat ex praxi; quoniam, neque Papa in illa irregularitate dispensat; non est autem credibile quod Papa voluerit concedere Regularibus Prælatis ad dispensandum in his, in quibus ipse non dispensat saltem communiter. Vnde iuxta Portel. verbo *Dispensare*, num. 5. Prælati Regul. non possunt dispensare cum leproso, nec cum illis quibus pollex,aut oculus deest; possunt tamen dispensare, si illis desit alter digitus, auris, aut pes, dummodò cum pede artificioso possint ambulare. Sic etiam tenet Villalobos 1. part. Summ. tract. at. num. 22. Hieron. Roder. in Compend. quæst. resol. 52. nu. 6. Martinus à S. Iosepho tract. de Potestate Gardian. quoad dispensat. num. 1. Roder. tom. 1. quæst. 24. art. 3. Possunt etiam dispensare, si oculus similiter careat potentia visiua, dummodo qui illa caret, possit legere Canonem absque deformitate notabili. Sic Portel. eodem verbo, & Suares tom. 5. de Censuris disput. 51. sect. 3. num. 15. & 16. ex Nouario ibidem citato, & alij.

Verùm si verba concessionis exactè pensentur, dispensandi facultas super his omnibus, Prælatis Regularibus conceditur. Ac sic tenet Roderic. loco citato de Irregularitatibus ob vitium corporis contractis, vt sunt lepra, pollicis amissio, scandalosa difformitas, & alia huiusmodi. Nec obstat obiectio de scandalo, quia in præmissiorum dispensatione non videtur interuenire, & si interueniret, extrinsecè se haberet ad facultatem dispensandi. Iudicium autem, an defectus corporis sit ita notabilis, vt inducat irregularitatem, vel non, spectat ad Prælatos Regulares iuxta Peyrinum, Laymanum, Mirandam, Bartholom. de Vechiis, & Suarem, relatos à Diana tract. 2. de Irregul. resolut. 73.

Aduerte hic sub finem posse superiores præfatos dispensare subditos ad celebrandum, qui ob manus tremulas, vel ob Chyragram, & ob aliud simile impedimentum laborarent aliqua inhabilitate obseruandi omnes ceremonias missæ, dummodo absit scandalum, & periculum effusionis sanguinis: non esset autem dispensatio necessaria in illis, si auribus carerent; in casu quo ille defectus posset cooperiri crinibus. Sic Diana loco iam citato cum citatis ab illo Doctoribus. Nec etiam in illis, quibus nasus cum labro superiore abscissus est, si ille defectus posset naso artificiali cooperiri, vt in casu occurso cuidam fratri minori à sex doctoribus Theólogiæ Burdigalæ consultis conclusum est, qui super hoc defectu existimarunt Prouincialem posse hunc dispensare ad missam priuatim celebrandam.

PROPOSITIO V.

POssunt præmemorati Prælati Regulares dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario, & per se intentio proueniente, dummodò sit occulta.

Hoc priuilegium habetur in Compend. priuilegiorum Societatis Iesu, verb. *Dispensatio*, & in Compendio priuileg. Mendicantium eodem verb. nu. 24. viuæ vocis oraculo cuius authenticum seruatur in Monasterio S. Benedicti Vallis Oleti, his verbis: *Martinus V. concessit Priori S. Benedicti Vallis Oleti, & virtute extensionis postea facta omnibus Prioribus Congregationis Hispaniæ, vt in foro conscientiæ Monachos ab omni possent excommunicationis sententia absoluere, etiamsi talis sit, quam ipse sibi summus*

Pontifex reseruare consueuit; & eum eis super omni irregularitate, etiam in illis casibus in quibus Papa sibi vicem reseruat (in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione) valeant dispensare, dum tamen aliquid horum trium notorium non sit. Quid clarius illa facultate, in cuius virtute possunt dicti superiores etiam dispensare in irregularitate contracta per abortum fœtus animati. Nam licet Sixtus V. bulla quæ incipit *Effrenatam*, omnia priuilegia ad dispensandum super huiusmodi irregularitate reuocauerit, postea tamen Greg. XIV. constitutionem prædictam Sixti moderauit, bulla quę incipit, *Sedes Apostolica Pia mater:* & facultas facta Ordinariis ad dispensandum super illa, ac ex consequenti Prælatis Regularibus, qui ordinarij sunt Regularium, concessa est: & quamuis dictus Gregorius illam non moderasset, dicti Prælati hac facultate potirentur. Nam postea Clemens VIII. confirmauit priuilegia ex certa scientia, & propterea reuocata innouauit. Et hanc sententiam tenent Ioan. de la Cruz de Stat. Relig. l. 1. cap. 6. dub. 19. Miranda in Manuali tom. 2. quæst. 8. art. 10. concl. 22. Sigismundus à Bononia tract. de Elect. parte 2. cap. 4. dub. 71. num. 1. Laurentius Portel. in dub. Regul. verbo *Dispensare.* num. 5. & alij proximè citandi. Imò citatus Peyrin. censet id posse Prælatos, licet homicidium sit notorium, quamuis alij coarctent ad notorietatem inter Religiosos, dummodò non sit tale inter Sæculares. Ac sic tenet Corduba in Summa moral. quæst. 34. Vega in Summa, part. 2. cap. 15. Hieronym. Roder. resolut. 5. num. 5. & Martinus à Sancto Iosepho de Authoritate Guardiani quoad dispensat. num. 3. qui ibi etiam nu. 13. asserit, multùm esse probabile, superiorem localem posse dispensare in irregularitate abortus inter fratres publici, dummodò non sit talis inter seculares: ac sic expressè censet citatus Corduba. Verùm existimo cum citato Portel posse, etiamsi irregularitas sit publica, eo modo quo dicetur inferiùs.

Nec obstat 1. quòd Trid. sibi reseruat facultatem dispensandi super irregularitatibus ex homicidio voluntario occulto procedentibus, licet eam concedat pro cæteris occultis; Nam hæc exceptio solùm procedit respectu illorum casuum, qui in eodem decretò conceduntur; non verò procedit in casibus aliàs concessis; cùm in prædicti Concilij decreto nulla facta sit priuilegiorum abrogatio, quæ necessaria erat ad hunc effectum; alioquin tenent priuilegia contraria, vt diximus in tract. de Priuilegiis, & sic tenet Roder. tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 24. art. 12.

Non obstat 2. quòd Sixtus IV. post Martinum V. qui dictum priuilegium ad dispensandum concesserat, fecit facultatem in dictis Prælatis dispensandi cum homicidio casuali, excipiendo homicidium, & mutilationem voluntariam; uam ista exceptio procedit tantùm respectu istius concessionis; non autem respectu aliarum concessionum eiusdem Sixti, & aliorum Pontificum, cùm hoc non exprimat; nullum enim priuilegium etiam per legem communem contrariam reuocatur, nisi de illo fiat expressa mentio, saltem in communi dicendo, quibusuis priuilegiis in contrarium nonobstantibus. Et sic censet Ioan. de la Cruz li. 1. de Stat. Relig. c. 6. dub. 9. conclus. 3. & Corduba referens id censere Doctorem Ortix verbo *Dispens.* in Compend. cùm priuilegium illud excludat dispensationem super irregularitate homicidij publica, ratione scandali, vt Pontifex testatur. Dixi saltem in communi; quoniam communiter doctores sicut & Bullæ magis specificam clausulam reuocatoriam desiderant, vt alibi diximus.

An verò illo scandalo cessante, possint Prælati Regulares in illa dispensare, videtur quòd sic, ea ratione; quia Pontifex concedit facultatem omnimodam dispensandi, sed posito scandalo restringit illam ad occultam irregularitatem; ergo illo sublato remanebit potestas in Prælatis ad dispensandum in ea, etiamsi publica. Quod confirmatur primò, ex eo quod superius conclusimus, prædictos Prælatos posse dispensare in publica irregularitate homicidij voluntarij, dummodò nō sit publica in loco, in quo dispensatur subditus. 2. Ex eo quòd diximus, quòd Prælati possunt dispensare in illa etiam publica inter Regulares, dummodò non sit publica inter seculares, quia in his cessat ratio reseruationis, scilicet scandalum, ergo à simili in hoc casu est argumentandum. Adiunge præmissis rationibus, quòd irregularitates semper censentur occultæ; donec ad forum contentiosum deuenerint (vt etiam dicetur inferius.) Ergo

cùm ista irregularitas ad forum contentiosum non venerit, vt supponimus, super illa poterunt dicti Prælati dispensare, cùm in occultis irregularitatibus id valeant.

PROPOSITIO VI.

POssunt prædicti Prælati in 2. feria post primam Dominicam Quadragesimæ dispensare in foro conscientiæ suos subditos in omnibus irregularitatibus prædictis, tum occultis, cùm publicis, etiamsi sint homicidij voluntarij; & Bigamiæ.

Hæc propositio sumit suam probationem ex concessione Pauli III. Fratribus Sancti Benedicti Vallis Oleti facta, cuius summa refertur à Portel. in addit. ad verb. *Dispensare*, verbis sequent. *Concedit quòd singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ huiusmodi omnes & singulas vtriusque sexus personas Ordinis & Congregationis prædictorum Religiosas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, seu donatas: necnon Eremitas sub cura vestra existentes intra septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absoluendorum Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, ab omnibus & singulis, &c. Et cum eis super quibusuis irregularitatibus pro tempore, quauis occasione, vel causa contractis dispensare* (subditque firmissimam confirmationem irreuocabilem) his verbis, *Ita vt si pra inserta concessione reuocetur, iterum reintegrari, vel restitui censeatur.* Sic Pontifex. Quæ verba cùm sint amplissima, amplissimè sunt interpretanda; & cùm Princeps non restringat, nec nos restingere debemus; ac proinde facultas illa comprehendit, tum irregularitatem contractam ex homicidio voluntario, tum illam, quæ est ex Bigamia. Et confirmatur ex verbis Pontificis, videlicet, *Quauis occasione, & causa contracta*, quæ verba tam vniuersalia ampliant dispositionem iuxta quamdam Gloss. in Clem. 1. *de Re iudicata.* verbo *Quauis*, vbi probatur, quòd verbum, *Alius*, regulariter solùm similia comprehendit, iuxta etiam Gloss. in cap. *Sedes*, de Rescriptis: quocirca si addatur verbum vniuersale *Quiuis*, comprehendit maiora expressis. Quam Glossam, vt singularem, commendant Panormit. 2. part. Concil. concil. vltimo, num. 5. Barbosa in cap. 3. de Probation.

Nec obstat Regula, quòd in concessione generali ad dispensandum & absoluendum, non censetur concessa facultas absoluendi ab hæresi, & dispensandi super irregularitate Bigamiæ & homicidij voluntarij, nisi expressè concedatur; quia illa regula intelligitur, quando concessio habet tantùm verba vniuersalia, sine expressione prædictarum clausularum, vt in simili casu tenet Suares in 3. part. tom. 5. disput. 7. sect. 5. num. 12. in fine: ac in terminis expressis id tenet Hier. Roder. in Compend. quæst. Regul. resolut. 16. num. 14. Portel. in Addit. ad verb. *Dispensare.* num. 5. Quam etiam concessionem extendit ad dispensationem super pœnis inhabilitationis, & priuationis officiorum.

Obiicies contra asserta in quibusdam præmissis propositionibus, in hunc modum, si verba concessionum concedunt vniuersaliter, & absolutè facultatem dispensandi in dictis irregularitatibus, cur in quibusdam restrinximus illam facultatem, vt verbi gratiâ in magno animæ defectu, & aliis. Respondetur, duobus modis considerari irregularitatem; vno prout est impedimentum simpliciter, & non pœna; alio modo prout est pœna Ecclesiastica imposita mortali peccato. Si consideretur irregularitas hoc secundo modo, omnino perdictam facultatem concessam tollitur, & est illa facultas absolutè intelligenda; si autem primo modo spectetur, aliquando est impedimentum naturale, aliquando Ecclesiasticum: si consideretur vt Ecclesiasticum, totaliter tollitur irregularitas, nec prædicta facultas quoad hoc, recipit restrictionem; si autem spectetur prout impedimentum illud est naturale, tunc hæc facultas quoad illud restringitur, quia cùm naturale semper remaneat à subiecto inseparabile, per nullam facultatem dispensandi, à Papa concessam, potest auferri, vt cognoscere est in habitualiter fatuis, & furiosis.

Digitized by Google

PROPOSITIO VII.

POssunt Prælati dispensare suos subditos in pluribus aliis.

Ac 1. in vtroque foro super omnibus prædictis Irregularitatibus, & aliis, de quibus inferiùs agemus, dummodò non venerint ad forum contentiosum, vel nisi prohibeantur suis statutis, vt aliquando prohibentur Prælati locales, & hæc veritas deducitur ex prædictis concessionibus Pontificum, & præcipuè Xisti IV. qui hanc huiusmodi in vtroque foro facultatem concedit cum tribus exceptionibus, videlicet mutilatione actiua membrorum; homicidio voluntario, & bigamia. Sic Corduba in Compend. Priuilegiorum Mendicantium. Verùm alij absolutè propositionem sustinent. Hi sunt Sanches de Matrim. lib. 8. disput. 34. num. 57. & lib. 2. disput. 37. nu. 12. Candelab. Aur. part. 3. nu. 314. & alij, qui arbitrantur irregularitates censeri semper secretas, & occultas ad effectum dispensationis impetrandæ ab Episcopo, & similiter à Prælato Regulari; donec deductę fuerint ad forum contentiosum, vt superiùs etiam diximus.

2. Possunt dispensare super irregularitate quacumque deducta ad forum contentiosum; si delictum propter quod incursa fuerit, iam finito iudicio fuit punitum: nisi statutis suis prohibeantur. Ratio huius veritatis in promptu est, quia in dicta dispensatione super irregularitate non turbatur tribunal iudicis, quod vitare intendit Tridentinum exceptione illa sess. 24. cap. 6. Nam intentio Concilij fuit, conseruare authoritatem iudicibus. Sed in nostro casu nihil iudicis autoritati derogatur: iam enim functus est officio suo: ergo, &c. Deinde Concilium ideò requirit delictum esse occultum, vt vitetur publicum scandalum: sed hoc cessat per punitionem factam per iudicem, & humiliter toleratam à delinquente. Quod expresse tenent de Episcopis, & consequenter de Prælatis Regularibus Gaspar Hurtado de Irregul. disput. 2. difficul. 20. num. 68. Sebastianus à Bononia tract. de Elect. part. 2. cap. 4. dub. 171. num. 13. Auila de Censuris, part. 7. disput. 10. dub. 7. Sanches in Summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 21. Henriques lib. 14. cap. 7. num. 5. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 2. num. 29. vers. 6. & alij.

3. Possunt dispensare in foro conscientiæ suos subditos in prædictis irregularitatibus, & aliis; licet ipsi Prælati & subditi existant extra territorium. Hæc veritas colligitur ex Sanches lib. 3. de Matrim. disput. 19. num. 7. & sequent. vbi docet; dari duplicem iurisdictionem, aliam scilicet contentiosam, quæ exercetur inter partes litigantes, actorem scilicet, & reum, cum strepitu iustitiæ: & proinde dicitur contentiosa, quia exercetur inter litigantes, quorum alter est inuitus: & ista iurisdictio non potest exerceri à Prælato extra suum territorium, ne turbet Prælatum alterius territorij. Secunda iurisdictio dicitur voluntaria, quæ scilicet non exercetur inter litigantes, nec erga inuitos, sed circa voluntarios & volentes: & ista potest exerceri à Prælato vbique extra territorium, quia exercetur sine strepitu iudicij, & neminem lædit. Et ita censet Suares de Censur. disput. 41. sect. 2. num. 10. Portel in Addit. verbo *Dispensare*, & alij. Notabis hîc, hanc dispensationem posse dari, non petente subdito, nec alio pro illo; quo circa si superior in Capitulo, aut alibi, pronunciet absoluo vos, & dispenso vos, omnes circunstantes, necessitatem habentes, manent absoluti & dispensati. Sic Suares de Legibus lib. 6. cap. 13. & Portel eodem verbo, & alij.

4. Possunt antedicti Prælati super iisdem irregularitatibus à suis confessariis dispensari, eodem modo quo possunt subditos dispensare. Hæc veritas probatur eisdem concessionibus, quibus probauimus suprà, posse absolui à censuris, quæ habent insuper coniunctam facultatem vt possint dispensari super irregularitatibus, quarum vnam, quæ est Iulij II. datam in fauorem Minimorum in medium afferam, ex eorumdem Mari magno desumptam tenoris sequentis, *Fratres quoque vestri, quos pro tempore, vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales Correctores: nec non & vices vestras ge-*

Digitized by Google

rentes, in proprios habuerită Confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cùm expedierit, valeant impertiri, iuxta formam concessionis super absolutione & dispensatione Fratrum eiusdem Ordinis superius vobis factam. Hæc Iulius II. Et licet in dicto priuilegio Minimorum non fiat mentio de superioribus localibus, tamen in aliis priuilegiis superiùs allatis eorumdem superiorum localium etiam expressa fit mentio quoad dispensationem super irregularitate. Et huius sententiæ est Miranda ex doctrina Caietani, & Cordub. ab ipso citati, tom. 2. quæst. 14. art. 7. Sanches lib. 8. de Matrim. disput. 3. num. 6. & sequent. & libro 4. operum Moralium cap. 37. num. 45. & alij. Sic etiam affirmat Sayrus in Thesauro tom. 1. lib. 7. cap. 14. num. 5. Suares de Censuris, disput. 41. sect. 2. num. 2. & alij vt in 3. tract. etiam probauimus in capite de Facultate Prælatorum ad absoluendum à censuris. Plures alias propositiones circa hanc materiam possem hîc apponere, sed quia facilè ex prędictis, & ex illis quæ circa materiam censurarum posuimus, colligi possunt, non ampliùs immorabor.



CAPVT II.

DE FACVLTATIBVS PRÆLATORVM REGVLARIVM AD DISPENSANDVM subditos super pœnis Ecclesiasticis, & Regularibus.

PROPOSITIO I.

GEnerales & Prouinciales, ac etiam quicumque alij Superiores: imò & Confessarij ab eisdem deputati possunt super pœnis proximè positis à iure vel ab homine latis, Papæ ex quacumque causa reseruatis & ante vel post Religionis ingressum incursis Nouitios habentes propositum profitendi, professos & perpetuò donatos facta salutari pœnitentia, semel in vita, in vtroque foro dispensare; cum onere tamen recitandi per annum singulis hebdomadis septem psalmos pœnitentiales.

Fateor hanc materiam difficilem, & à Doctoribus obscurissimè tractatam, ita vt non mediocris sit difficultas ex illorum sententiis distinctè cōcludere, quid sentiant: Conabor tamen illam faciliorem reddere, & distinctiùs explicare. Verùm priusquam meam mentem aperiam, supponendum est 1. Pœnas à sacris Canonibus, Literis Apostolicis, Constitutionibus Regularibus, & aliis eiusmodi impositas, in triplici genere numerari: aliæ enim sunt pœnæ simpliciter spirituales; aliæ simpliciter temporales; & denique aliæ ex iis duabus mixtæ. Illæ, quæ spirituales simpliciter dicuntur, sunt 1. censuræ, & irregularitates Ecclesiasticæ; quę omnes statim incurrũtur post patratum delictum, cui annexæ sunt absque sentẽtia Iudicis, dummodò adsint quinque conditiones, 1. Vt sit actio externa, quoniam internæ cogitationes ab Ecclesia non puniuntur. 2. Vt sit actio completa & absoluta, vt tenet cum aliis Caiet. verb. *Excomm.*

comm. quare qui explodit bombardam contra Clericum, etiam animo interficiendi, si non tangit illum, non est excommunicatus, neque irregularis; sic quando excommunicatur tantùm occidens, non est excommunicatus qui mille infligit vulnera, nisi moriatur. 3. Vt sit principalis causa, & autor illius actionis ob quam infligitur pœna; nisi aliud expresse dicatur; vt tenet Caietanus eodem citato loco cum aliis: quare non incidit in pœnam, qui iuuat, dat consilium vel fauorem, nisi expresse id dicatur. 4. Debet constare certò pœna plectendum actionem huiusmodi fecisse, nam in dubiis potior est conditio possidentis. 5. Vt actio externa non sit occulta, quæ talis dicetur, quando actio non potest sciri; nisi per confessionem perpetrantis, & quando nullus hominum adest cùm perpetratur delictum: vt tenent Vincentius & Angelus, verb. *Homicida*, §.1. Alfonsus à Castro lib.2. de Potestate legis pœnalis, cap. vltimo, & verb. *irregul.* § 8. & alij. 2. Simpliciter spirituales sunt inhabilitates ad sacros Ordines, Beneficia, diuina Officia, & Prælaturas impetrandas & exercendas, cessatio à diuinis, & degradatio, & his similia; ac etiam priuatio officiorum Ordinis Regularis, & inhabilitas ad illa, vt tenet Portel. verb. *Dispensare*, num. 4. Secunda pœna est simpliciter temporalis, quæ est exilium, carcer, condemnatio ad triremes, ad pecuniariam pœnam, & ad cætera huiusmodi: huius autem generis est etiam amissio dignitatis, officij depositio, & similia. Tertia vocatur mixta, quæ est priuatio beneficiorum, vel officiorum Ecclesiasticorum, vel vocis actiuæ vel passiuæ in electionibus, & alia huiusmodi, vt priuatio pensionum, fructuum Beneficij, & similium: de quibus omnibus lege Suarem tom. 4. de Relig. cap. 1. de Sacrament. Pœnitentiæ administratione num. 4. cum sequentibus.

Supponendum 2. huiusmodi pœnas non incurri, licet delictum cui annexæ sunt, perpetretur, nisi sciantur; vt tenet Nauar. cap. 23. num. 47. & cap. 27. num. 16. & num. 274. Filiarchus de Offic. Sacerdot. tom. 1. part. 1. lib. 3. cap. 5. 3. Roderic. 1. parte Summæ, verb. *Ignorantia*, cap. 140. num. 15. & alij: & hanc sententiam probabilem putant Suarez tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. Sanchez lib. 9. de Matrimonio, disput. 32. num. 21. & Diana part. 2. tract. 5. Miscell. qui citat plurimos pro hac sententia. Imò quod maius est, ignorantia vincibilis, & moraliter culpabilis, dummodò non sit crassa, excusat ab illarum pœnarum obligatione, vt docent Portel. in Addit. ad dub. Regul. verb. *Ignorantia*, num. 25. & Sanchez de Matrim. tom. 3. dub. 9. disp. 32. num. 31. citans Suarem.

Supponendum 3. duplicem esse sententiam circa pœnarum huiusmodi obligationem contrahendam: prima asserit, huiusmodi pœnas incurri ipso facto eo tempore, quo crimen, cui annexæ sunt, contrahitur: & sic tenent Roderic. in expositione motus proprij contra mulieres Monast. ingredientes, num. 31. Sorbus in Compend. priuileg. Mendic. verbo, *Ingress. Monast.* num. 10. Sayrus in Claui regia lib. 3. cap. 20. num. 35. Salas de Legib. disp. 15. sect. 2. nu. 29. Vasquez in 2. 2. disp. 248. cap. 2. nu. 22. & alij. Secunda sententia asserit huiusmodi pœnas non incurri, nisi post sententiam Iudicis, etiamsi lex dicat, *ipso iure* aut *ipso facto*, aut *sine declaratione incurras.* Et sic docent Nauar. in Manuali, cap. 23. num. 66. cum Caietan. & Sllnest. Sic etiam Molina de Iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 96. num. 8. Granado in 1. 2. Controuers. 7. tract. 3. punct. disput. & sect. 2. Soza in explic. Bullæ de Largit. Couar. 4. Decret. 2. part. 6. & Sanchez & alij citandi in tract. de Confessariis, cap. 4. Quoniam illud verbum *sine declaratione* debet intelligi de declaratione pœnæ, non verò de declaratione culpæ, quæ semper requiritur facienda per iudicem. Priùs ergo propositiones ponam iuxta primam sententiam, posteà verò alias apponam iuxta posteriorem, quæ mea sententia est, cùm nemo debeat esse executor pœnæ contra seipsum, vt tradunt Doctores: & pœnæ huiusmodi Regulariter debeant explicari pro foro externo, non verò pro interno: vt docet Henriquez tom. 2. lib. 13. cap. 16. num. 3.

His positis propositio probatur ex concess. Eugenij IV. viuæ vocis oraculo facta in qua post datam facultatem prædictis Prælatis & Confessariis ad absoluendum à censuris, & à pœnis Ecclesiasticis à iure, vel ab homine, quauis authoritate, etiam Apostolica, quomodolibet promulgatis, Papæ reseruatis; posteà subiungit. *Nec non cum singulis supra dictis super quibuscunque irregularitatibus & inhabilitatibus quouis modo contractis, in omnibus & singulis etiam sedi prædicta specialiter, & expresse reseruatis,*

(*bigamiæ, homicidij voluntarij, mutilationis membri, casibus dumtaxat exceptis*) *semel similiter possunt dispensare, ac eos habilitare, vt non promoti ad omnes Sacros Ordines, & Missarum celebrationem, promoueri possint, & ipsi promoti in eisdem ministrare valeant: & quod ad quascumque dignitates, administrationes, & officia dicti Ordinis (etsi curam habeant animarum) recipi, illisque præfici, & assumi: Apostolica authoritate valeant, & possint.* Hæc Pontifex. Ac sic tenet, Caiarub. in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Absolut. extraord. quoad fratres*, §. 3. Martin. a S. Iosepho de Autoritate Guardian. verb. *Absoluere*, nu. 7. & alij. Ratio autem illius propositionis est, quia cùm concessionis verba absoluta sint & vniuersalia, sic absolutè & vniuersaliter sunt intelligenda; & cùm illimitata proferantur, nos similiter illimitatè debemus illa recipere: præcipuè cùm in illis modis loquendi generalibus hi duo termini addantur, videlicet, *ex quacunque causa*, & *quouis modo*, quæ multum addunt terminis vniuersalibus prædictæ concessionis, vt superiùs agendo de Censuris & Irregularitatibus diximus.

PROPOSITIO II.

POssunt Generales & Prouinciales dispensare toties, quoties se offert occasio super inhabilitatibus ex nota, aut infamia prouenientibus, & quibuslibet aliis impedimentis & pœnis, ante vel post ingressum in Religionem incursis, quibus prohibetur sacrorum Ordinum receptio, officiorum & dignitatum Ecclesiasticarum adeptio, & possessio.

Hæc propositio probatur ex concessione Gregorij IV. facta Generali Ministrorum infirmorum, quam affert Portel. in dubiis Regulat. verbo *Prælatus ad absoluendum*, nu. 23. citàns Sorbum in addit. ad Compendiũ, & ex concess. Eugenij IV. facta Cirstencienfibus, vt tenet Llamas in 4. parte Methodi, cap. §. 3. cum illa restrictione, dummodò his non sit aliquis nominatim comprehensus. Et huius sententiæ sunt præcitati Doctores, inter quos est Martinus à sancto Iosepho, de Potestate General. num. 10. & de Potest. Prouincial. num. 11. Possuntque iidem iuxtà illos, aliis hanc facultatem committere: requiritur tamen ante dispensationem prædictam pœnitentia, & satisfactio, iuxta Roder. tom. 1. quæst. 20. art. 5. & Portel. citato loco.

PROPOSITIO III.

POssunt prædicti Prælati dispensare in occultis prædictis omnibus pœnis à iure, aut vniuersaliter ab homine latis, Summo Pontifici quomodolibet per sacros Canones, vel extrauagantes reseruatis.

Hæc propositio probatur 1. ex præmissis concessionibus, quæ Prælatis eamdem facultatem concedunt, quam Episcopis, qui illam ex Tridentino possident. Probatur 2. ex priuilegio facto Monialibus S. Claræ, cum quo Regulares participant, relato à Roder. 1. tom. q. 40. art. 2. quo Xistus IV. illis concedit, *Vt possint à suis Confessariis absolui ab omnibus censuris & pœnis*. Probatur 3. ex concessione Pauli III. facta Societati Iesu qua eidem facultatem quoad dictas pœnas impartitur amplissimam. Huius propositionis probationem reperies apud Sorbum, verbo absolutio quoad Sæculares 2. qui affert quinque rationes validissimas, ac tres obiectiones in contrarium dissoluit.

Obiicies, Vrbanum VIII. Bulla quæ incipit *In specula*, reuocare concessionem Pauli II. Ergo in vi illius non poterunt Prælati dispensare super prædictis pœnis. Esto (quod non conceditur) dictam Bullam Pauli esse reuocatam, non tamen proptereà cessat ea facultas, cùm ex aliis, vt dictum est, priuilegiis id possint: imò Mar-

tinus à S. Iosepho cap. 16. de Casib. referuat. in communi, §. 40. sequendo hanc primam sententiam (videlicet quod prædictæ pœnæ ante iudicis sententiam incurrantur) asserit posse quemlibet confessarium Regularem ab Ordinario approbatum in vi prædictæ concessionis dispensare alios Regulares super prædictis pœnis: vt videbitur tract. de Confessariis Regularib. in quo probatur, quòd dicta Bulla Pauli III. non est reuocata.

PROPOSITIO IV.

POssunt ijdemmet Prælati dispensare suos subditos etiam in foro externo super prædictis pœnis, inflictis ob grauia crimina, etiam si à Sede Apostolica fuerint inflictæ, si Papa non sibi reseruat dispensationem, nisi obstent constitutiones Ordinis.

1. Hæc propositio probatur ex eisdem concessionibus, quibus proximè posita propositio probata fuit, quia in cap. *Et si Clerici* de Iudiciis, dicitur, quòd in adulterio, stupro, & aliis minoribus delictis potest. Episcopus dispensare cum Clericis, peracta pœnitentia in pœnis talium delictorum, etiamsi ponantur verba illa, *ipso facto sit perpetuo priuatus*. Et illam sententiam tenent ex legum tenore, quæ huiusmodi pœnas imponunt, quoad Generales & Prouinciales, & eorumdem loca tenentes, Rodet. referens doctissimos Iuristas Salmanricenses eiusdem sententiæ tom. 1. quæst. 24. art. vltimo, & Ioan. de la Cruz de Stat. Relig. lib. 1. de Voto obedientiæ, cap. 6. circa Cens. dub. 15. Concl. 6. Diana tract. 2. de Dub. Regul. resol. 66. Llamas 4. part. Methodi, cap. 3. §. 3. ex priuileg. Eugenij IV. vt ipse asserit, facto Cisterciensibus, & Martinus à S. Ioseph. de Potest. Prouinc. nu. 11.

Verùm absolutè de omnibus prædictis Prælatis intelligenda est propositio; ratio est quia cùm ex priuilegiis eamdem habeant facultatem prædicti omnes Prælati in subditos, quam habent Episcopi in suos, poterunt id, quod Episcopi possunt, & sic dispensare super dictis pœnis. Quod etiam confirmatur ex sententia Suarij tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 2. nu. 7. asserentis *ex vsu, instituto, & consuetudine Ecclesiæ & priuilegiis omnes illos Prælatos habere iurisdictionem Ordinariorum in vtroque prædicto foro*; ac ex consequenti, sicut possunt in foro interiori dispensare super prædictis, poterunt etiam in foro externo, cùm aliundè nulla sit prohibitio, & concessio absolutè pronuncietur; ac proinde sit absolutè intelligenda. Diximus autem prædictos posse dispensare in pœnis ob grauia crimina debitis, quoniam non omnes id prouenientibus ex grauissimis; qualia sunt sodomia, bestialitas, simonia, incestus, & assassinatus, & similia. Nam in vi illorum priuilegiorum non est maior dictorum Prælatorum potestas, quàm Episcoporum.

Hæc omnia conclusa sint iuxta primam sententiam quam probat stylus Romanæ Curiæ, qui secundum quosdam legem facit; nam sacra pœnitentiaria, quæ de deductis ad forum contentiosum non iudicat, in prædictis dispensat, ac similiter Dataria, sacræ Inquisitionis Tribunal, & alia Tribunalia in dictis pœnis etiam dispensant, licet nulla sententia Iudicis interuenerit; quod signum est, curiam Romanam esse illius sententiæ.

Verum alia sententia est probabilior & in praxi apud Minores de Obseruantia, nam illorum constitutiones à Sede Apostolica approbatæ sic habent. *Declaramus, quòd quoties pœna suspensionis, vel priuationis, vel alia quæcumque ipso facto incurrenda imponitur, nullus eâ pœnâ ligatur, quamuis crimen fuerit publicè perpetratum, quo vsque per Prælatum fuerit reus iudicialiter declaratus*, cap. 6. de Correct. delinq. §. 9. Et hanc sententiam sustinent 22. graues Doctores, quos refert citatus in præcedenti proposit. Martinus à S. Iosepho, imò communem Thomistarum, cum S. Thoma 2. 2. quæst. 62. art. 3. tenent Sosa in explicat. mot. prop. de Largit. num. 102. & Sanches lib. 9. oper. Moral. cap. 15. nu. 65.

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

PRælati Regulares locales, Prouinciales, & Generales non possunt dispensare in pœnis huiusmodi, quando à Papa, vel ab aliis supremis Superioribus fuerunt per sententiam impositę.

Hæc propositio ex iure constat cap. *Inferior sedes*, 20. dist. nam cùm sententia Superioris sit veluti lex priuata, & in legem Superioris inferior Prælatus nullam habeat potestatem, concludere necesse est, huiusmodi Prælatos Regulares non posse super illis pœnis per sententiam aliorum Superiorum inflictis dispensare; & ex consequenti, nec Prælatos locales super pœnis inflictis à Prouinciali: nec Prouinciales super pœnis inflictis à Generali dispensare poterunt.

Dices, potest inferior Prælatus dispensare ex iusta causa in lege Superioris, vt colligitur ex lege, *Capitulum*, §. 2. ff. de pœnis & l. *ferè in omnibus*, de Regul. iur. Et ex sacris Canonibus in multis Capitibus, vt tenet expresse Abbas in cap. 3. de Pœnis, & in cap. *Nisi*, de Officio delegati: cui suffragantur Couarru. Iulius Clarus, & Farinacius, necnon D. Antonin. 1. part. titul. 17. §. 20. Sotus in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4. §. *At quo tandem*, & alij: ergo possunt prædicti Prælati in dictis pœnis dispensare. Respondeo ita esse, quòd Superiores illi ex iusta causa possunt dispensare, iudicando & sententiam ferendo super pœnis positis in legibus vniuersalibus vt verbi gratia, moderando pœnas impositas per leges furto, & cæteris huiusmodi criminibus; sed non inde concluditur, quòd similiter id facere valeant in pœnis per sententiam Superioris Iudicis inflictis. Prima ratio diuersitatis est, quia leges pœnales vniuersaliter sunt ius à iudice, vel à partibus, aut à republica acquirendum. At verò pœnæ per sententiam impositæ sunt ius quæsitum, & acquisitum Iudicis, partium & Reipublicæ; & ideò faciliùs in illis conceditur dispensandi facultas, quàm in istis. 2. Ratio est, quoniam dispensandi facultas in pœnis lædit iustitiam, cui ius per iudicem factum est, quod non facit facultas dispensandi in legibus; ideò facultas dispensandi in his conceditur, non in illis. 3. ratio quoniam concessa est facultas dispensandi in legibus pœnalibus superioris, non verò in pœnis inflictis.

PROPOSITIO VI.

PRælati, Generales, Prouinciales, & Locales, possunt dispensare in prædictis pœnis à seipsis per sententiam inflictis; nisi Constitutiones Regulares id prohibeant.

Hæc propositio probatione non indiget, quoniam sicut dicti Prælati iurisdictionem habentes in suos subditos possunt abstinere ab inflictione illarum pœnarum, ita post semel inflictas, possunt illas moderari, & omninò tollere, vt vsus, & praxis demonstrat.

Addidimus, nisi constitutiones prohibeant; quoniam iis prohibentibus non possunt: & ita prohibitum est Prouinciali in Ordine Minorum, ne in huiusmodi pœnis dispenset, nisi priùs habito maioris partis Discretorum Prouinciæ suffragio, & assensu: imò nec etiam Generalis id potest sine consensu huiusmodi. Sic habetur in statutis generalibus eorundem cap. 8. §. 8. his verbis, *conceditur tamen Generali & Prouincialibus ministris, vt in casu speciali, atque ex causa rationabili cum consilio Discretorum Prouinciæ possint commutare pœnas huiusmodi, atque etiam mitigare*, & cap. 6. de Correct. delinq. §. 2. *nulli Ministro ac Commissario, etiam Generalium Prælatorum, liceat dispensare in sententiis, & correctionibus per Definitorum latis; absque maioris partis Patrum eiusdem Definitory consensu, vel facultate eorumdem Generalium Prælatorum ad dispensandum in scriptis concessa; qui contra fecerit, officio priuetur.*

PROPOSITIO VII.

GEnerales, vniuersaliter loquendo, possunt pœnas impositas à Prouincialibus & Superioribus localibus moderari, & pœnitus tollere.

Ratio huius veritatis est, quia sicut in causis physicè subordinatis tota potestas inferioris in superiori residet, sic etiam in moralibus causis tota potestas Prælati inferioris subordinati in Prælato sub ordinante continetur; ergo si Prælati Prouinciales, & Locales, pœnas à se impositas remittere possunt, poterunt etiam & Generales, cùm sint illorum superiores; & sic ex consequenti de Prouincialibus per respectum ad pœnas impositas à superioribus localibus argumentandum est. Sic in eisdem Minorum statutis habetur cap. 6. de Correct. delinq. §. 25. his verbis, *Superiores verò pœnas ab inferioribus impositas non remittant; nisi magna publica vtilitatis ratione, aut alia vrgenti & rationabili de causa, tuncque consulto, matura consideratione adhibita, causis cognitis, ac seriò consideratis, vt sacra Tridentino Synodo cautum est, sess. 25. cap. 18. de reformatione.* Diximus vniuersaliter loquendo, quoniam in aliquibus Ordinibus, Generalium, & Prouincialium facultas dispensandi super huiusmodi pœnis limitata est, vt in præcedenti propositione dictum est.

Obiicies contra præcedenrem sententiam, quòd indè sequeretur, inutilem esse concessionem Pij V. Prælatis Regularibus factam aliaque priuilegia illis concessa ad effectum dispensandi in pœnis; quoniam cùm pœnæ non incurrantur, nisi post sententiam iudicis, & in illis sic incursis, non possint falcem mittere, cùm id per Concil. Trident. expressè prohibeatur, nullum effectum habebit illa concessio, aliaque priuilegia. Ergo cùm Papa nihil inutile censeatur operari, dicendum est, illam sententiam esse prorsus absurdam. Respondetur, Pontifices sæpissimè priuilegia concedere iuxta aliquam probabilem sententiam, quæ inutilia sunt iuxta sententiam contrariam, vt in pluribus manifestum est; ac proindè non esse has concessiones inutiles, cùm iuxta illam sententiam suum sortiantur effectum; licet secundum aliam sententiam inutiles habeantur.

PROPOSITIO VLTIMA.

MVltùm probabile est, quòd prædicti Prælati, imò & Confessarij ab illis deputati, in vi concessionis prędictæ Eugenij IV. de qua mentionem fecimus in prima propositione, possunt semel in vita dispensare Nouitios, Professos, & Donatos super pœnis, ante vel post Religionis ingressum, per sententiam incursis, & Papę reseruatis : nisi obstent constitutiones Regulares.

Probatur hæc propositio ex verbis concessionis Eugen. IV. de qua in prima proposit. in quibus duo reperio, primum quòd Papa concedit præmemoratis Prælatis & Confessariis, *Facultatem absoluendi ab omnibus censuris & pœnis Ecclesiasticis Papa à Iure, vel ab homine, etiam per Constitutiones Conciliorum Generalium, aut per quoscunque processus Apostolicos, vel iuxta ipsius Ordinis Regularia instituta quomodolibet promulgatis, in genere, aut in specie : etiamsi talia essent, propter quæ Sedes Apostolica specialiter & expressè esset meritò consulenda* : quibus nullas censuras & pœnas Ecclesiasticas, etiam per sententiam latas, excipit : Secundum coniungendo sequentia cum præcedentibus, addit *Necnon super quibuscumque irregularitatibus, & inhabilitatibus quouis modo contractis in omnibus & singulis, etiam Sedi prædictæ specialiter, & expressè*

reseruatis, semel similiter possint dispensare, ac eos habilitare. In quibus verbis notandæ sunt tres illæ clausulæ, *quibuscumque, quouismodo, & Sedi prædictæ specialiter, & expressè reseruatis*, quæ ampliant valde dispositionem, & comprehendunt Maiora expressis in priuilegio, iuxta Clement. de re iudicata, verb. *Quamuis*, & iuxta glossam in cap. *Sedes*, de Rescriptis; ergo cùm omnis facultas dispensandi in prædictis pœnis exprimatur, nullæque pœnæ ab illa facultate excipiantur: & illæ clausulæ amplient dispositionem, & maiora expressis comprehendant, nec aliud sit quod possint comprehendere, & ad aliud dispositionem ampliare, quàm ad pœnas per sententiam Pontificis inflictas; inde concluditur, potestatem super illis dispensandi in prædicta facultate contineri. Quod confirmatur ex verbis quæ præcesserant quoad concessionem facultatis ad absoluendum, in quibus ad censuras & pœnas Ecclesiasticas etiam per sententiam latas extendebantur, & statim Papa sine aliqua restrictione, super pœnis Sedi Apostolicæ reseruatis, cum præmemoratis clausulis dispensandi facultatem concedit; quod signum est, Pontificem dictam, vt suprà facultatem, illis terminis concedere. Et hæc de facultate dispensandi in pœnis dicta sufficiant.



CAPVT III.

DE FACVLTATIBVS PRÆDICTORVM PRÆLATORVM AD IRRITANDVM, COMMVTANDUM, & Dispensandum in particularibus, & specialibus votis, & iuramentis subditorum.



XPLICATIS ijs quæ spectant ad facultates Prælatorum in ordine ad tollendas censuras, irregularitates, & pœnas suorum subditorum, nunc operæ pretium est, explicare illas facultates, quas possident ad commutanda eorum subditorum vota, & iuramenta; quæ duo simul coniungimus, quoniam votum & iuramentum pari passu ambulant; & quod de voto asseritur, de iuramento pronuntiandum venit.

PROPOSITIO I.

SVperiores Generales, Prouinciales & locales, eorumque vicesgerentes possunt sine priuilegio pro libro, & absque vlla causa suorum subditorum vota irritare: ac etiam in eorumdem votis dispensare.

Supponendum est 1. quinque modis votum tolli, 1. per interpretationem, 2. per irritationem, 3. per dispensationem 4. per commutationem, 5. per cessationem. Per interpretationem tunc cessat, quando quis euidenter scitse non obligari ob aliquam iustam causam: per irritationem, quando Prælatus, vel alius Superior potestatem habens supra vouentem illud irritat, tollitque obligationem: per dispēsationem tollitur authoritate Prælati, causa rationabili existente, alioquin non valet, dispensatio

facta à Prælatis inferioribus Papæ: per commutationem, mutando ex rationabili causa votum in aliud opus bonum: per cessationem quando votum est ad aliquod determinatum tempus, quo completo, statim votum cessat. De interpretatione, & cessatione voti non agemus in sequentibus propositionibus; sed tantùm de tribus aliis.

Supponendum 2. differentiam maximam reperiri inter facultatem irritandi subditorum vota, commutandi, & dispensandi, 1. enim exercetur per actum dominij, 2. & 3. per actum iurisdictionis. Secunda videlicet facultas commutandi vota differt à 3. quòd concessa à iure ad aliquod votum, commutandum, extenditur etiam ad dispensandum: Vt tradit Ledesma in Summa, 2. part. tract. de Voto lib. 6. c. 12. num. 14 Sanches lib. 4. oper. Moral. cap. 49. num. 28. Verùm quando per priuilegium datur tantum facultas ad commutandum in aliquo voto, illa non extenditur ad dispensandum; at è contrario quando per priuilegium datur facultas ad dispensandum in aliquo voto, illa facultas extenditur ad commutandum in eodem; vt docent Emman. Roder. in exposit. Cruciatæ §. 9. num. 114. Director. Curat. cap. 15. Soto de Iustitia, lib. 7. quæst. 4. art. 3. Saytus in Claui reg. lib. 6. cap. 12. num. 15. Lessius de Iustitia, cap. 40. nu. 108. Suares tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto, cap. 12. num. 10.

Supponendum 3. requiri causas ad dispensandum, quas ad hoc authores recensent, videlicet facilitatem ad vouendum, debilitatem in vouente ad votum adimplendum, necessitatem eiusdem, aut vtilitatem publicam, & priuatam; de qua materia legatur Sanches lib. 4. Oper. moral. cap. 45. Illæ autem causæ sufficiunt ad dispensandum, etiamsi sint dubiæ, vt tradunt Siluester. verb. *Dispensatio*, quæst. 14. num. 20, Palatius in 4. dist. 48. disp. 3. col. 6. Sanchez lib. 4. Summæ, cap. 46. nu. 2. Sa verb. *Dispens.* Suares de Relig. tom. 1. lib. 6. cap. 26. nu. 6. Diana tract. 6. resolut. 82.

Supponendum 4. quòd priuilegia absolutè concessa commutandi, & dispensandi in votis, non debent restringi ad aliquod tempus, sed debent ampliari ad omne tempus, etiam futurum perpetuum, vt constat ex Gloss. in cap. *Quocirca*, verb. *Sed futuri*, de Priuil. quæ docet, quòd verba indefinitè & generaliter expressa in priuilegiis, extenduntur ad futura. Sic Suares tom. 2. de Relig. tract. de Voto, lib. 6. cap. 13. nu. 12. Sanches in Summa, lib. 4. cap. 53. nu. 23. cum sequent.

His suppositis propositio quoad primam partem est vera ex communi sententia Doctorum, & illam tenent Suares tom. 2. de Relig. tract. de Voto, lib. 6. cap. 10. n. 15. & Sanchez lib. 4. oper. moral. cap. 33. nu. 15. Limitanda tamen est, vt prædicti non possint irritare vota subditorum ad strictiorem religionem, secluso priuilegio; quæ limitatio est etiam ex communi sententia Doctorum ex cap. *Licet*, de Rugular. in 6. in quo datur libertas transitas ad strictiorem, petita licentia, licet non obtenta. Sic Lessius lib. 2. de Iust. cap. 40. num. 4. Sanchez lib. 4. Moral. oper. cap. 13. num. 2.

Quoad verò secundam partem propositio probatur ex potestate spirituali quam prædicti Prælati in illos possident. Sic Suares tom. 2. de Relig. tract. de Voto, lib. 6. cap. 10. num. 14. 15. & 16. Nauarr. cap. 12. nu. 25. Et est communis: imò etiam possunt dispensare in voto transeundi ad strictiorem Religionem, quia non est simpliciter votum Religionis; sed strictioris. Ac sic tenent, Ioan. de la Cruz in Epit. lib. 1. dub. 20. concl. 2. cap. 6. Sotus, Nauarr. Anglez, & Henriques citati, & sequuti à Sanchez lib. 4. oper. Moral. cap. 42. nu. 2. Quæ conclusio ad omnia prorsus vota, tribus essentialibus Religionis exceptis, extenditur, vt docent Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 8. Ioan. de la Cruz citatus: imò Iulius PP. II. vt habetur inter viuæ vocis oracula, absoluit Monialem, & consequenter Regulares à votis & iuramentis, & statuit quòd de cætero illarum vota, aut iuramenta si fiant, non valeant, nec obligent ad peccatum mortale. Sic citatus Ioan. de la Cruz. Verùm absque priuilegio absolutos esse ab huiusmodi votis regulares; nisi illa tacitè aut expressè approbarit superior, renent Richard. in 4. distinct. 38. art. 4. q. 1. Angel. verb. votum. 2. q. 3. Rosella teste Siluestro verb. votum, nu. 3. fauent Bonauent. in 4. distinct. 38. art. 1. q. 3. Maior ibi. q. 4. Thomas 2. 2. q. 88. art. 7. ad 35. Antonin. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6.

PROPOSITIO II.

POssunt etiam dispensare in Nouitiorum votis omnibus, in quibus potest Episcopus erga suos subditos.

Probatur propositio ex potestate spirituali quam in illos habent, & ex concessione Eugenij IV. per bullam facta Cisterciensibus, in qua expresse hæc concessio fit, quæ habetur in Compend. priuileg. Mendic. verbo *Dispensatio*, §.27. his verbis, *Vt Abbas, Prior, siue Superior quorumuis Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Obseruantia, possit liberè, & licitè, Apostolica authoritate dispensare cum omnibus & singulis præsentibus & futuris Donatis, Oblatis, & Commissis, id est Nouitijs, dictorum Monasteriorum in omnibus & singulis votis peregrinationis, etiam vltramarinis, & Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Iacobi, & quibusuis aliis votis, etiam si talia sint propter quæ Sedes Apostolica meritò sit consulenda: & ea in alia pietatis Officia commutare, voto Religionis dumtaxat excepto, quamdiu in societate Monasteriorum huiusmodi obseruantia fuerint.* Quæ concessio ab eodem Eugenio Bulla *Etsi quælibet* per respectum ad Nouitios Prælatis S. Benedicti Conuentus Romani facta fuit: ac sic tenent Nauarr. cap. 12. nu. 65. Henriques lib. 7 de Indul. cap.22. num.7. & Ioan. de la Cruz loco citato, concl.3. & Sanchez lib.4. Summæ, cap. 43. Imò possunt dispensare in illos, qui votum emiserunt intrandi in religionem, strictiorem, dummodò intrent in illam religionem: ex dicta concessione Eugenij his verbis, quæ habentur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Dispens.* §.28. concessa Prælatis Congregationis S. Benedicti. *Personas volentes eorum Congregationi sociari, quæ Religionem, locum, Ordinem alium quemcumque, etiam arctiorem vouissent, tali voto non obstante, ad probationem, professionemque recipere: easque authoritate Apostolica ab ipso voto absoluere: & cum ipsis dispensare, dummodò in tali Religione seu Ordine, de quo vouissent, professionem non emiserint: quòd si tamen ante professionem emissam ab ipsa recesserint Congregatione, huiusmodi dispensatio nullius sit roboris, vel momenti.* Et licet ad dispensandum requiratur semper causa rationabilis, sufficit tamen in hoc casu, si dispensandus putet se meliùs in hoc Ordine, quàm in arctiori Deo famulaturum; vt tenet Ioan. de la Cruz loco proximè citato, Martinus à S. Ioseph. de Authorit. Prælat. circa subditos ad dispensandum, nu.7. Quamuis autem Sanches in Summa, lib. 4. cap. 43. num. 20. non probet hanc causam; asserit tamen, hanc facultatem in dictis Prælatis residere in vim concessionis qua facta est facultas dispensandi in votis, exceptis votis peregrinationis vltra duas dietas, id est 20. leucas, vt habetur in Compend priuileg. Mendic. verbo *Dispensatio.* §.16. necnon ex alia constitutione Martini V. facta Benedictinis quæ reperitur in Compend. priuileg. Societ. Iesu verbo *Dispensatio*, §.10. qua Confessarij Regulares possunt dispensare in votis Episcopo reseruatis: ac ex consequenti in iuramentis illorum, vt tenet præcitatus Ioan. de la Cruz. Et hæc veritas non patitur difficultatem, vt ex sequenti propositione magis constabit.

PROPOSITIO III.

POssunt prædicti Prælati dispensare in omnibus iuramentis suorum subditorum, etiam si sint iuramenta de votis essentialibus Religionis obseruandis.

Hæc propositio probatur, quoniam in ijs iuramentis Episcopus subditos dispensare potest, ergo & Prælati Regulares, cùm eandem in suos subditos habeant facultatem; vt etiam tenent præcitati Caietanus, Cruz, & alij.

Ex quibus etiam sequitur, prædictos Prælatos posse suorum subditorum vota commutare,

mutare, cùm possint in illis dispensare, cumque minus sit commutare, quàm dispensare; ex eo quòd per dispensationem tollitur omnino vinculum voti; non sic autem per commutationem; sed obligatio voti mutatur in aliam materiam, ratione cuius minor causa sufficit pro commutatione, atque hæc veritas omni prorsus caret difficultate. Plura adhuc de huiusmodi dispensatione dicemus in tract. de Confessariis cap. de Facultat. ad dispensandum super votis, & iuramentis.

CAPVT IV.

DE FACVLTATE PRÆLATORVM REGVLARIVM AD DISPENSANDVM SVBDITOS IN PRÆCEPTIS Ecclesiæ.

PROPOSITIO VNICA.

POssunt prædicti Prælati dispensare suos subditos in Ecclesiæ præceptis.

Hæc propositio probatur 1. ex concessione Eugenij IV. relata in Compend. Priuileg. Mendic. verb. *Dispensatio*, §.25. his verbis *Eugenius IV. Monachis S. Benedicti obseruantia Italiæ, ne ab eorum quiete distrahantur, & Romanam Curiam pro obtinendis licentiis frequentare cogantur, in omnibus casibus in quibus de iure communi Prælatis & Monachis præfatis authoritas, sententia, seu dispensatio Ordinarij esset necessaria, si ab eodem exempti non essent, Prælatis, Abbatibus, & Prioribus, Rectoribus huiusmodi qui pro tempore fuerunt, vnà cum eorum Conuentibus, de licentia tamen & consensu Capituli Generalis, aut præsidentis cum maiori parte visitatorum, auctoritate Apostolica absque eo, quòd ad Sedem Apostolicam habeant recursum, huiusmodi licentiam, authoritatem & dispensationem indulsit.* Hæc Eugen. Bulla quæ incipit *Regularem vitam*, qua videre est, dictam facultatem impertiri, cum hac tamen limitatione, vt accedat aut assensus Capituli Generalis, aut alter assensus proxime relatus; quocirca probatur 2. ex alia concessione, sine vlla restrictione aut limitatione facta à Pio V. de qua in Superioribus egimus, quà Fratribus Prædicatoribus 1571. die 22. Iulij extendit concessionem factam Episcopis à Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. ad prælatos illius Religionis, & consequenter ad Ordinum aliorum Superiores, qui priuilegiis cum illa Dominicanorum Religione communicant; & proindè vt possint quidquid possunt Episcopi circa suos subditos, siue ex iure communi, siue ex Trid. siue ex quacunque alia facultate: sed Episcopi possunt dispensare suos subditos in præceptis Ecclesiæ instante necessitate, nisi à Papa prohibeantur vt tenent Antonin. part. 1. titul. 17. §. 20. Sotus in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4. §. à quo tandem & distinct. 32. quæst. vnica, art. 3. in fine. Couarruuias in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 7. num. 8. Bonacina de Legibus, disput. 1. quæst. 2. punct. 1 num. 27. Sanches de Matrim. tom. 1. lib. 1. disput. 61. num. 3. Et Doctores quos citat Barbosa de Potestate Episcopi, part. 2. allegat. 23. n. 17. Basil. Pontius, de Matrim. cap. 8. nu. 11. & alij. Ergo & similiter id poterunt prælati Regulares; aliquin non esset sufficienter prouisum Regularibus in iis, quæ

frequenter, & ordinariè occurrunt, peiorisque conditionis essent sæcularibus; cùm ab Episcopis non possent illam dispensationem obtinere, sicut sæculares: Sic docet Suares cum cæteris Doctoribus, tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 12. num. 14. & 17.

Hinc concluditur, Prælatum Regularem in illis casibus, qui frequenter accidunt in legibus Ecclesiæ, & Prælatorum superiorum dispensare posse. Sic Medina 1. 2. quæst. 57. art. 4. Portel. verb. *Prælati potestas*, num. 15. D.Thom. in 4. disput. 13. 21. Martinus à S.Ioseph. de potest. Guard. verb. *Dispensare*, §.1. & Suares loco proximè citato, num. 18. cum aliis, qui optimè asserit num. 19. *Hoc ius esse ius commune Regularium Prælatorum exemptionem concomitans, & Priuilegia Prælatis Regularibus ad dispensandum super his suos subditos à Pontificibus facta, nihil aliud præter ius commune concedere, nisi vt faciliori modo, & ex leuiori causa id facere possint, quàm valerent facere ex solo communi iure.* Plura de hac materia videas apud eundem Suarium loco citato.



CAPVT V.

DE FACVLTATE PRÆLATORVM REGVLARIVM AD DISPENSANDVM SVBDITOS in præceptis Regulæ.

PROPOSITIO I.

NON possunt prædicti Prælati dispensare in votis essentialibus Religionis.

Hæc propositio probatur 1. ex cap. *cùm ad Monasterium*, de Statu Monachorum, vbi in fine sic dicitur, *Nec estimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio paupertatis, sicut & custodia castitatis ad eò est annexa Regulæ Monachi, vt contrà eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* 2. Probatur ex Concilio Trid. sess. 25. de Regular. cap. 1. his verbis, *Cùm compertum sit ab eis, scilicet à Prælatis, non posse ea quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxere.* 3. Probatur ratione, quoniam hæc vota sunt de substantia specifica status & professionis Religionis; sicut ergo ea, quæ ad aliquam speciem pertinent immutari non possunt, sine speciei destructione; sic nec immutari, aut dispensari vota substantialia. Quod confirmatur, ex ratione à Trident. in citato cap. allata. *Sic enim*, ait, *illa quæ bases sunt & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est.* Et in huius propositionis veritate nulla apparet dubitandi ratio. Quid autem possit aliquando in huiusmodi votis essentialibus, dicetur inferiùs in cap. 6.

PROPOSITIO II.

POssunt prædicti Prælati iure communi dispensare in obseruantiis, & obligationibus ipsius Religionis.

Hæc propositio colligitur 1. ex præcedenti; quia si non possunt dispensare in proprietate, cùm sit contra substantiam voti, & tamen habent facultatem dispensandi poterunt in cæteris, quæ non sunt contra substantiam dispensare. 2. Quia vt superiùs probatum est, possunt dispensare in præceptis Ecclesiæ; ergo à fortiori in præceptis Regulæ, cùm minor potestas requiratur in his, quàm in illis. 3. Hæc potestas frequenter necessaria est; ergo debet esse commissa. Ordinario Prælato, alioquin non esset sufficienter prouisum vitæ Regulari. 4. Quia Episcopus potest dispensare cum Clerico Sæculari in obligationibus pertinentibus ad statum Clerici, vel ad officium, vel beneficium eius, ita cum proportione possunt Prælati Regulares dispensare cum subditis in propria eorum Regula; vnde si Episcopus potest dispensare cum Religiosis sibi subditis, & non exemptis in his, quæ spectant ad obseruantiam suæ Regulæ, similiter hæc facultas ratione exemptionis ad Prælatos Regulares in sibi subditos spectabit. Possem in probationem huius propositionis plura priuilegia adducere; verùm abstineo, cùm illa nihil nouum concedant; sed tantùm magis explicent potestatem horum Prælatorum ad tollendos scrupulos; vel certè concedant aliquam circunstantiam peculiarem, ad quam ordinaria potestas non extendebatur, vt verbi gratia, ad dispensandum faciliùs, vel cum minori necessitate, vt cum Suario in simili materia superiùs diximus.

Obiicies contra hanc veritatem, quòd ex dictis sequeretur, posse Prælatum Regularem dispensare in aliis, quę non sunt de substantia Religionis, licet essent de substantia talis Religionis particularis. Hæc obiectio patitur aliquam difficultatem, cui respondebitur, si tria in ordine Regulari distinguamus: primi generis sunt substantialia Religioni, vt sic; secundi generis sunt illa, quæ sunt substantialia Ordini, seu Religioni, vt talis est, vt sunt omnia vota particularia illius Ordinis, & præcepta sub mortali obligatoria: tertium locum occupant accidentaria, videlicet alia omnia, quę in regula continentur, & hunc gradum obligationis non imponunt. His positis, obiectioni respondetur, dicendo, quòd in iis, quæ sunt primi generis, satis fuit probatum, Prælatos non posse dispensare; posse tamen in illis quæ sunt secundi, & tertij generis; quam responsionem videtur probare Trident. cap. 1. de Regul. sess. 25. quando distinguit ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, ab iis, quæ alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta sunt, ad illius essentiam pertinentia; & concludit non posse à dictis Prælatis, ea quæ ad substantiam vitę Regularis pertinent relaxare; ergo significat in aliis omnibus posse, quoniam exceptio firmat Regulam in contrarium. Et ita tenent Roder. tom. 1. quæst. 26. art. 1. qui citat D. Bernardum lib. de Præceptis, & disput. D. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 3. Siluest. verb. *Dispensatio*, quæst. 14. Sotus lib. 1. de Iustit. quæst. 7. art. 3. & lib. 8. quæst. 4. art. 1. dub. 2. quibus addo Angelum in Summa verb. *Dispensatio*. Et hæc responsio confirmatur ex priuileg. Pij II. viuæ vocis oraculo concesso, quo Prælatis Regularibus Ordinis Minorum de Obseruantia circa subditos suos conceditur. *Vt possint condescendere, seu dispensare cum debilibus & infirmis inuditate pedum, & in itineratione pedestri, licet non sit arcta necessitas, vel infirmitas.* Vt legitur in Compend. Priuileg. Mendic. verbo *Dispensatio*, §. 8. quo Fratres Minores licitè vti possunt, quia non est relaxatio Regulæ, sed iuris communis explicatio, vt tenet Collector, & Corduba. Sic etiam Roder. tom. 1. quæst. Regul. quæst. 2. art. 1. & Martinus à S. Iosepho, cap. 27. in Reg. Minorum §. 7. Nec quidquam addit id priuilegium & similia supra ius commune: nisi vt cum minori ratione & faciliori modo fiat dispensatio, vt tenent Corduba loco citato, & Suares loco proximè citato. Hîc tamen aduertas velim 1. hanc propositionem sano modo intelligendam esse, ac moderatione adhibita, nam in quibusdam

Regulis sunt quędam vota & præcepta quæ habent respectum obedientiæ, vel alterius cuiusdam operationis, relatiuæ ad Papam, vel ad protectores, aut ad Superiores, Generales, & alios huiusmodi: & sic certum est, præfatos inferiores Prælatos, in illis non posse dispensare, vt tenet. Martinus à S. Ioseph. loco proximè citato, §. 6. & Suares citato etiam loco, §. 29. Aduerte 2. quòd hæc dispensatio est legitimo, licet Prælati dubitent, si causa dispensationis sit iusta, vt in principio huius capitis supposuimus, & sentiunt Siluest. verb. *Dispensatio*, quæst. 14. num. 10 Sanches in Summa, tom. 1. lib. 4. cap. 45. Diana tract. de Legibus, resolut. 3. D. Thomas 2. 2. qu. 89. art. 9. ad tertium, Soto lib. 8. de Iustit. quæst. 1. art. 99. Asor. lib. 11. Institut. moral. cap. 19. quæst. 17.

Non tamen inde sequitur, quòd habeant facultatem dispensandi in tota Regula aut vniuersaliter & habitualiter in aliquo eius præcepto sic vt non sint ampliùs ad illud obligati: ratio est, quia hoc esset mutare Regulam: ac ipsius naturam destruere, quòd ad solum Pontificem spectat: vt tenet Corduba in cap. 10. Regul. Minor. quæst. 4. conclus. 3. Et Suares eodem citato loco; nec circa hoc dubium existit. Plura alia possent dici de hac dispensandi facultate; quæ, quia respiciunt Hierarchiam Ordinis in secundam partem huius operis tractanda remittimus.



CAPVT VI.

DE FACVLTATE PRÆLATORVM REGVLARIVM IN SVBDITOS

CIRCA EORVMDEM, PROFESSIONEM, ET vota essentialia, per illam emissa, & alia quædam erga subditos exercenda, ac etiam circa noua Monasteria per ipsos ædificanda.



OC *vltimum caput huic tractatus adiicimus, vt notum fiat Antiregularibus quanta, quamque extensa sit illorum Prælatorum Regularium in subditos potestas: cùm non solùm intra Claustri limites claudatur, sed extra illos exeat quotiescumque de subditis illius agitur. Inchoabimus autem illam explicare, dummodò aliquas propositiones quæ ad illius maiorem intelligentiam necessaria sunt, præmiserimus. Sit ergo,*

PROPOSITIO I.

PRofessio valida alicuius Regulæ, seu Religionis tria præcipuè priuilegia operatur in Profitente.

Dixi valida, quoniam inualida nullum prorsus operatur priuilegium: vt autem aliqua professio Regularis sit valida, duodecim communi terrequiruntur conditiones (quarum aliquas inferiùs examinabimus.) Ætas 16. annorum exactè completa. 2. Annus probationis integer, & continuus. 3. Animus profitendi. 4. Quòd liberè sit

emissa, non autem vi, aut metu; nisi iusto, extorta. 5. Quòd sit facta in manu Prę-lati, aut de ipsius licentia in manu alterius. 6. Quòd de consensu maioris partis Capituli. 7. Vt tria vota Religionis essentialia, videlicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis emittantur. 8. Vt fiat in aliqua Religione à Sede Apostolica approbata. 9. Vt profitens nullam admittat conditionem, substantiæ Religionis repugnantem. 10. Vt profitens non habeat aliquod impedimentum, quod in illa Religione sit essentiale. 11. Vt profitens sit mentis capax. 12. Vt sit sui iuris, alteri non astrictus. Dixi etiam quòd tria præcipuè priuilegia operatur, quoniam plura alia, quàm tria in profitente operatur: de quibus vide Sanch. in Summ. tom. 2. lib. 5. cap. & num. 9. vsque ad 35. His positis probatur propositio de quolibet priuilegio separatim.

Primum priuilegium quod operatur in profitente, est plenaria indulgentia à Sixto IV. & Paulo V. bulla quæ incipit, *Romanus Pontifex*, concessa, sicut & in habitus Regularis receptione ab eodem Sixto, Iulio II. & eodem Paulo bulla proximè citata concessa; de qua indulgentia omnes, qui de hac materia agunt. Secundum priuilegium est, quod in profitente plenissimam suorum peccatorum remissionem ex se operatur, ita vt si statim obiret beatitudinem absque vlla pœna in purgatorio luenda consequeretur, sicut qui aqua Baptismali lotus è viuis eripitur. Illud priuilegium multæ probant reuelationes, de quibus S. Athanasius in vita S. Antonij, & S. Anselmus in lib. Similitud. Et ita tenet D. Thom. 22. quæst. vlt. art. 3. ad 3. & ibi Caiet. Siluest. verb. *Relig.* 3. quæst. 25. Nauar. de Indul. notab. 2. num. 17. Roderic. tomo 2. 99. quæst. 87. art. 1. Angel. in Summ. verb. *Religiosus*, num. 46. Corduba in cap. 2. Reg. Minor. quæst. 14. Martin. à S. Ioseph. in idem cap. num. 45. Sanch. tom. lib. & capp. citatis, num. 2. Villal. 2. p. Summæ, tract. 35. diff. 26. num. 1. Miranda in Man. tom. 1. quæst. 25. art. 8. & alij multi. Quapropter illud excellentissimum professionis priuilegium S. Hieron. Epist. 8. & S. Bernard. lib. de Præcepto & dispensat. considerantes professionis Regularis perfectionem, *secundum Baptismum*, apellant; non quòd sit sacramentum; aut quòd sit æqualis sacramento, aut primam gratiam conferat; sed quòd sicut Baptismo omnis pœna præteritis peccatis debita indulgetur: sic in professione; non ex opere operato, sed ex opere operantis excellentissimo, quo profitens se totum Deo per votum solemne consecrat: cuius etiam sublimitas tanta est, vt quamuis plenaria indulgentia quam Pontifices in hoc opere largiuntur; quantum ad effectum conueniat cum peccatorum remissione, nilominus modus quo hæc supradicta plenissima consequitur, excellentior est, quoniam plenaria illa indulgentia, sicut aliæ huiusmodi indulgentiæ, causam proportionatam requirit, & quòd aliquód bonum opus agendum ab illo, qui eam lucraturus est, præstetur; alioquin indulgentia non operatur; aut tantum operatur, quantum apud Deum, aut causa, aut bonum opus valet. At verò peccatorum remissio professioni debita, innititur dignitati, & excellentiæ operis, quæ cum vna sit, & eadem, eundem effectum sortitur, vt Ang. Caiet. Corduba citati, & alij multi tradunt: & licet impediatur per peccatum mortale profitentis, si illo sit innodatus: attamen illo sublato posteà consequitur, vt tenent Barthol. à S. Fausto in Thesaur. Relig. lib. 5. quæst. 515. & Villal. citatus num. 2. Necnon (quod omninò mirabile est) hæc plenissima condonatio obtinetur, quoties professio illa renouatur; vt docet D. Bernardin. in Quadrages. de Euang. æterno, seu tom. 2. serm. 24. art. 1. vbi in principio cum D. Bern. docet quę suprà, & quod ex libertate, largitate, stabilitate Deo in professione datis quod est bonum, quod infinitè appretiamur plusquam omnia, quæ Deus facere posset, quæ infinita sunt, & quod omne bonum à nobis datum & dabit in infinitum præponderat, nascitur illa peccatorum remissio plenissima, qui posteà ad nostrum intentum subiungit, *Hæc siquidem libertas, quod mirabilius, non solùm datur in hora, quà ipsum votum emittitur, sed etiam in omni tempore, quo sibi voluisse placet, & in quo cum hac complacentia voluisse, placet, & in quo cum hac complacentia votum implet: si enim votum in sua emissione addebat quamdam valoris & meriti infinitatem, & hoc per totum tempus sequens replicatur, & multiplicatur; ergo votum continuatum super addit multiplicem infinitatem. Tale quidem votum, & vota iam facta, in sancta Religione approbare, est illud Sacerdotale Officium omnium perfectorum de quo 1. Petri 2. Vos estis genus electum, gens sancta, Regale sacerdotium.* Cuius sententię sunt Armil.

verb. Nouitius, num. 19. Eman. Sa verb. *Relig.* num. 17. Bartholom. à S. Fausto quæst. 317. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tract. 5. c. 10. num. 2. Villal. tom. 2. Summa tract. 35. diff. 16. num. 2. & Martin. à S. Ioseph. loco citato, & alij.

Vltimò in profitente professio operatur priuilegium, vt omnia alia vota in sæculo facta, licèt sint consona Religioni, in ipsam commutentur: etiam si profitens non habeat intentionem illa commutandi. Hoc priuilegium expressè habetur cap. *Scripturæ*, de voto, & voti Redempt. his verbis, *Fractì voti aliquatenùs non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare.* Et sic tenent Caiet. 22. quæst. 88. art. 12. ad 1. & quæst. vlt. art. 3. ad 3. Sanch. tom. 2. Summ. locis citatis num. 38. cum aliis apud ipsum, & num. etiam 48. & Barthol. à S. Fausto quæst. 38. & alij. Ratio est, quia opus professionis acceptabilius est Deo cæteris huiusmodi votis, vt dicto cap. *Scripturæ*, determinatur; estque à Sanctis Patribus, præcipuè à D. Bernard. Serm. 30. super Cant. *martyrum* nuncupatum. Quòd si nullum opus martyrio perfectiùs sit, professione Regulari nullum aliud opus excellentius: Nam sicut lumen stellarum à lumine solis, quod maius est, absorbetur; sic alia vota à voto solemni professionis. Accedit, quòd vota facta in sæculo, emissa sunt, vt media proportionata ad sanctè in illo statu degendum: quo in perfectiorem statum mutato, transeunt in vota illius status: moritur enim Regularis mundo per professionem, & viuit Deo: quò fit, vt cessante præterita vita, cessent etiam omnes obligationes illius vitæ, & vota omnia in eadem facta, ad vitam illam ordinata.

Quodque animaduersione dignum est, hoc priuilegium non solùm extenditur ad prædicta, sed etiam ad vota realia, dummodò non sint intimata parti, vt ab ipsa acceptentur. Idem dicendum est, & eodem modo de iuramentis, siue personalibus, siue realibus; ac sic tenent Roder. tom. 1. QQ. Reg. quæst. 25. Miranda tomo 1. in Manuali, quæst. 25. art. 7. Sanchez citat. num. 43. 44. & 45. Barthol. à S. Fausto, quæst. 304. 305. 306. & Franciscus Luengo in exposit. Regul. Minor. cap. 2. controuers. 5. sect. 5. num. 7. Ex quibus deducitur, quòd hæres obligatus ad vota realia defuncti persoluenda, non eximitur Religionis professione; sed obligatio illa ad hæredem transit; vt tenent Sanch. num. 43. & Francisc. num. 8. proximè citati, ac etiam Barthol. à S. Fausto quæst. 312. Est tamen aduertendum, quòd consideratis exercitijs spiritualibus, ac corporalibus, Nouitiorum, in quibus per annum in probatione exercentur: possunt Prælati, ac etiam Magistri Nouitiorum eorumdem vota realia, non intimata parti, vt supra, commutare in ipsa exercitia: vt tenent præcitati Roder. Miran. & Francisc. qui videntur etiam hanc facultatem absolutè, extendere ad omnia realia, sed improbabiliter. Ac similiter possunt ipsimet Nouitij sua eademmet vota in dicta exercitia, propria auctoritate commutare; vt etiam existimat præcitatus Miranda. Hæc sufficiant de veritate huius propositionis. Nunc ad materiam in hoc capite propositam decidendam veniendum est; quocirca sit.

PROPOSITIO II.

Prælatus Generalis vel Prouincialis Ordinum Regularium potest iure communi suum subditum Regularem dispensare, vt ad laxiorem Ordinem transeat.

Non est dubium, quòd Prælati huiusmodi possint dare licentiam transeundi ad strictiorem, aut etiam æqualem: imò & ad laxiorem; dummodò constitutiones istius laxioris rigidiùs obseruentur, quàm constitutiones strictioris cum iure communi hunc transitum possint facere subditi petita à superiore licet non obtexta licentia, vt habetur cap. *Statuimus* & cap. *mandamus* 19. quæst. 13. & capp. *licet significatum*, & *sanè* de regular. sed difficultas est, nunc possint dare licentiam ad transitum de strictiori, & quoad constitutiones, & earumdem obseruantiam, ad laxiorem quoad constitutiones, & earumdem obseruantiam: nostra autem propositio resoluit affirmatiuè. Quæ probatur ex cap. *Non dubium*, de Regular. & ex Glossa in illud caput, necnon ex

extrau. *viam ambitiosæ* de Regular. sub senem. & ex Marimagno 4. antiquorum, ordinum mandicantium, in quo habetur expreßè quod superiores Regulares possunt illam facultatem concedere. Ac sic tenent Innocent. Hostiensis. Ioannes Andreas, & Abbas; quos referr; & sequitur Nauarr. Consil.56. de Regular. Sic etiam Siluestr verb. *Relig*.4. & verb. *Votum*, 4.q.3.§ 6. Antonin.2. part. tit. 11. cap. 2. §.9. Marcellinus à S. Benedict. verbo *Professio*, & Roder. tomo 3. quæst. 52. art. 4. qui sententiam, suam ad solos Monachales restringendo, asserit hoc posse, non solùm Prælatos præmemoratos; sed etiam Prælatos inferiores; quod vltimum non facilè admitterem, nisi iurisdictione Episcopali pollerent. Et huius sententiæ est Suares loquens tom.3. de Relig. cap. 9. num. 6. iuxta ius antiquum, nec ad hanc dispensationem concedendam iudicat necessarium Capituli consensum, nisi Ordo illius à quo sit dispensatio, hoc habeat in constitutionibus.

Nec obstat 1. veritati nostræ propositionis Decretum cap. 19. sess. 25. Trid. in quo sic habetur, *Nemo etiam Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*, quoniam Concilium non sustulit facultates cum iure communi congruentes, quales sunt, quæ conceduntur iustis de causis, & seruato debito iuris ordine: sed solùm abrogatæ sunt facultates, quæ sine iusta causa dari solent, aut non præcedente iustæ causæ cognitione, & approbatione. Vt tenent Nauar.citat. & Azor.1.p. Instit. Moral. lib.12. cap. 15. quæst. 1. Sayr. & alij infra citandi. Et ostendit Pius V.B. *Quacumque Sacrarum* in qua adhærendo Tridentino Regularibus omnibus facultates, & priuilegia ad receptionem regularium alterius ordinis tollens, apponit expreßè sequentem restrictionem videlicet *præter iuris dispositionem* quàm subsistere decernit; ac propterea iuxtà illam transitum licere demonstrat. Accedit, quòd illud Trident. decretum, non habet clausulam reuocatoriam; ac proinde non tollit illud Prælatorum ius: vbi autem non est receptum, nulla circa hanc facultatem difficultas.

Non obstat 2. cap. *viam ambitiosæ*, extra de Regular. in qua expreßè Mendicantibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, huiusmodi transitus ad non Mendicantes prohibetur. Nam respondetur, Martinum IV. illius constitutionis auctorem voluisse tantùm excludere licentias transitus, fucatis coloribus ex ambitione, & ex certis aliis causis honestati non consonis impetratas: & ita tenet Sayr. decis. 55. de Regular. vbi resoluit, quòd nonobstante prædicto decreto Trident. & iure communi, Generalis, & Superior, Religionis, ad laxiorem etiam Religionem transitum potest concedere; cùm mens, & intentio Trident. non fuerit, iuridicas tollere facultates. Hæc Sayr, post Nauar. consil.56. de Regular. Sic etiam Azor. citatus, & huius sententiæ sunt etiam Reginald. in Praxi fori pœnitent.lib. 18. cap. 19. num. 412.cum sequent. Riccius in Collect. decis.p.3. collect. 621. Ioan. de la Cruz de Statu Relig.lib.1.c.27.dub.3. & Marcellin. à S. Benedict. in Comp. priuileg. Fuliens.verb. *Apostata*, §. 17. in Scholio. Lessius de Iustit. & Iure lib.2. cap. 41. dub. 13.num. 10. Sanches in præcepta Decal. tom.2.lib.2.cap.7.num.68. & Bartholom. de Vecchis disput. 15. dub.5.num. 6.

Quòd si vltimò obiiciatur constitutio Pauli III. à Pio IV. & V. confirmata, quà Religiosis Societatis Iesu transitus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ absolutè prohibetur, vt etiam faciunt multę aliæ constitutiones pluribus aliis Ordinibus factæ: modo eodem quo superlùs Tridentini & Iuris communis decretis responsum est; satisfiet, ac sic respondet Azor, proximè citatus cum alijs etiam citatis, & cum Eman. Sa verb. *Relig*. num. 37. qui suam responsionem colligit ex lib. cap.14.q. 4. ex cap. *Licet* de Regular. in quo sic dicitur, *Huiusmodi priuilegium concessum credit: ne fiat temerè, leuiter, aut cum cœnobij, vel Ordinis prioris incommodo*. Vt etiam expreßè habetur in prohibitione sub censuris facta Fratribus B. Mariæ de Mercede à Calixto III. Bulla quæ incipit, *Super gregem Dominicum*. Non fit autem transitus leuiter, aut temerè, cùm transiens sie viribus deficit, vt Religionis arctioris onera sustinere non valeat; vel sic odiosus suo Ordini existit, vt ex hoc multa cogatur pati: atque has duas rationes aut vnam illarum, vel alias similes ad transitum non temere, aut leuiter factum, Doctores sufficere arbitrantur: dummodò accedat (prout ex iure requiritur, consensus & dispensatio prælati in scriptis data cum causis, quibus

prælatus ad dictam dispensationem concedendam motus fuit: vltimò & consensu prælati illius Conuentus ad quem Regularis transire desiderat. Ille autem transitu cum Conuentus & Ordinis incommodo minimè fit, si prælatus cum ijs, qui ei à consilio sunt, causis transeundi examinatis, & approbatis, dispensationem pro transitu concedat. Quæ omnia intelligenda sunt de omnibus Regularibus, si Militares excipias, vt citatus Marcellin. à S. Benedicto optimè notat. Dices, si hanc facultatem habent Prælati Regulares, cur Greg.13. bulla quæ incipit, *Cùm alias*, eam facultatem fecit præposito Generali Societatis Iesu? respondetur non esse insolitum Pontifici per bullam concedere, quod iure communi concessum est.

Si quæras causas sufficientes ad huiusmodi dispensationem concedendam, respondetur esse multiplices. Prima est, si Regularis ob debilitatem, vel infirmitatem corporis non possit ferre sui Ordinis austeritates, de qua supra. Sic Syluester verb. *Religio*, 4. q.2. Lessius, Azor. Sanches, de Vecchis citati, & Hieron. Rodet. resol. 123.num. 642. Si in suo Ordine odio habeatur à cæteris, & malè tractetur, de qua etiam supra ex citatis Azor.& Sanches.3. Si aliis sit exosus, ex Reginaldo in Praxi fori pœnit. lib. 18. cap.29. num. 414.4. Si propter suam simplicitatem non benè intellexit Regulam & constitutiones, & velit laxiùs viuere. Aut si habens pauperes parentes sua opera indigentes, possitque illos, iuuare in alio Ordine per modos illius Regulæ congruentes, quod non potest in suo: ex multis Doctoribus, & ex citatis Sanche, & Barth. de Vecchis, qui vltimus addit. 5. Videlicet difficultatem grauem, quàm experitur in obseruandis regulæ suæ austeritatibus, cuius occasione transgressionis Regulæ, & Statutorum vehemens periculum immineat. Aduertat autem Lector, quòd si sit aliquis Ordo qui polleat priuilegio Apostolico, quo Prælatis Regularibus prohibeatur cum clausula iuris communis reuocatoria, ne dispensent pro transitu ad laxiorem, tunc dictos Prælatos non posse in illo dispensare.

Plura de hac materia hic congeri possent, quæ Lector apud Doctores videre poterit; & præcipuè apud Rodet. Azot. Mirand. Suarium & alios præcitatos. Nunc nobis progrediendum est ad exminandam facultatem quam ad reclamandum Regularis inualidè professus, possidet: si priùs aliquibus propositionibus decidatur, in quibus casibus professio Regularis, qui habilis est, sit valida, aut inualida.

PROPOSITIO III.

PRofessio Regularis metu, & ante ætatem à iure determinatam emissa, est inualida; & nulla; non tamen in vi Tridentini, vbi receptum est, etsi vbi non est receptum, nulla iudicetur.

Nullo iure statutum habetur in qua ætate ingredi quis possit aliquem ordinem Regularem, inuenimus tamen consuetum fuisse antiquitùs filios ætatis 7. annorum oblatos Monasterijs à Parentibus, vt constat c.20. quæst.1. & cap. *Ad nostram significatum*, &, *cùm simus*, de Regulat. & confirmatur ex SS. Placido, Fausto, & Mauro, & aliis, quorum aliqui 7. alij 12. annos nacti fuerant. confirmatur iterum ex regula S. Benedicti cap.59. in quæ satis apertè signatur quod, etiam ante septimum annum in illo ordinis pueri admittebantur cui conformis est glosa in cap. *Nullus*, de tempot. ordinat. v. intrare, quæ sic habet *Minor 7. annorum potest religionem intrare saltem per oblationem Parentum vel tutorum.* Nec Trident sess. 25. cap.15. de Regular. obest vt optimè notant Nauar. Consil. 30. num.1. de Regul. & Henriq. de Mat.2. p.cap.5. num.8. in fine glos.6. vbi dicit quod post Trident. possunt masculini sexus homines ingredi Monasteria & assumere habitum regularem: si 12. ætatis annum attigerint, sicut de mulieribus idem Tridentinum declarauit, his breuiter obseruatis.

Prima partem propositionis probamus ex Glossa cap. *Puella*, in qua sic pronunciatur, *Datur intelligi, quòd si coacta, habitum virginitatis sumpserint, sine præuaricatione ipsum discrere possunt.* Et ne quis dicat, nostram propositionem valere pro solis Virginibus: eadem causâ, & quæst. idem pro viris determinatur, his verbis, *Sicut*

qui

qui Monasteria elegerunt, à Monasterijs egredi non permittuntur: ita hi qui inuitè, sine iusta offensionis causa sunt intromissi, nisi volentes, non teneantur; quia quod non petunt, non obseruant. Successiuè Tridentinum licet professionem ex metu factam, inualidam non declaret; attamen illam protinus ex iure nullam supponit; cùm cap. 19. sess. 25. Professo ex metu, facultatem faciat reclamandi; quis autem metus dicendus sit sufficere; alij metum eadentem in constantem virum; alij non solùm illum, sed etiam reuerentialem existimant.

Superest in præsenti secundam propositionis partem probare, quæ ex pluribus capitibus Iuris Canonici probari posset, sed pro omnibus sufficiat cap. *Ad nostram noueris*, de Regular. in quo cùm quidam ante ætatem, tunc temporis præscriptam, professionem emisisset, ad Papam Alexand. III. prouocatione facta, sic cuidam Canonico, ad hanc causam terminandam delegato mandat, *Eum ab impetitione prædictorum Eremitarum denuncies absolutum, & eam, quam postquam exiuit, iurauit accipere in vxorem, liberè posse traducere, si alia causa rationabilis non obsistat.*

Prouectiorem ætatem illa quę erat iuris antiqui, videlicet 15. annorum inchoatorum iuxta dictum cap. *Ad nostram*, de Regular. Tridentinum inuexit, cùm 16. annos completos ad validam professionem emittendam postulat; his verbis, *In quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante 16. annum expletum; professio autem anteà facta sit nulla.* Hæc Trident. sess. 25. c. 15. de Regular. quibus nostræ propositionis veritas stabilitur. Et licet hoc decretum iuxta alias dicta non reuocet priuilegia quia clausulam derogatoriam non continet, attamen vsu & consuetudine professio sic facta nulla est: ac sic iudicatur, etiam vbi Tridentinum non est receptum, vt in Gallia. Verùm Portel. verb. *Professionis nulla reclamatio*, num. 21. arbitratur, quòd vbi Trident. non est receptum, professio ante ætatem facta est valida: quod etiam ego existimo, cùm nullo alio iure sit nulla, nec etiam iure Trident. ob defectum dictæ clausulæ reuocatoriæ.

PROPOSITIO IV.

PRofessio venientis à sæculo facta ante annum probationis completum, nulla est in Ordinibus Mendicantium, non autem transeuntis ab vno ad alium ex alijs Ordinibus Regularibus.

Probationis tempus ante professionis emissionem omnibus sæculis, non tamen vniformiter fuit requisitum, Greg. Magnus ad duos annos illud determinatat: Iustinianus Imperator ad tres: Antiqui verò Monachi iuxtà Climacum vlterius illud prorogabant, sicut Clerici regulares societatis IESV illud ad tempus inde terminatum pro libito præpositi generalis quoad vltimam professionem protendunt: Franciscus in suo Minorum regula annum integrum suis nouitiis præscribit, vt etiam Pontifex Innoc. III. Qui eam viuæ vocis oraculo approbauit, & cap. *Ad Apostolicam* de Regular. illud tempus ad probationem præscribens, condidit. Verùm ante hunc annum expletum professio emissa nullitatem antiquo iure nullatenus patiebatur; licèt eodem prohibitum esset ante annum expletum profiteri, vt expressè habetur dicto cap. *Ad Apostolicam*, Quocirca si quis ante dictum tempus expletum profiteretur, peccabat quidem, professio tamen sic emissa valebat; & ita in cap. proximè dicto Innocent. III. præfatus professionem sic factam validam penitùs declarauit. Ac sic tenet Zipæus in suis consultat. consultat. 18.

Successiuè tamen alio antiquo iure nullitas apposita est professioni huiusmodi per Fratres Minores, & Prædicatores emissæ, vt habetur cap. *Non solùm*, de Regular. in 6. & postea ad cæteros Mendicantes extensa, cap. *Constitutionem*, eod. tit. non autem ad non Mendicantes; quocirca vbi non viget Trident. valet professio ante annum emissa apud istos; licet non apud Mendicantes, vt tenent Nauar. lib. 3. Concil. de Regular. Concil. 18. & Portel. verb. *Professio*, num. 21.

Nouo verò iure Tridentini professio Regularis ante annum probationis expletum, nulla declaratur his verbis, in dicta sess. 25. cap. 15. insertis, *Nec qui minore tempore,*

quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem antea facta, sit nulla, &c. Et ita tenent omnes, quorum quidam existimant, illum annum compleri posse extra Conuentum cum licentia superioris: sic Nauarr. Concil. 52. de Regular. num. 4. & Concil. 41. nu. 3. Flamin. de Resignat. lib. 3. c. 13. nu. 12. Roder. tom. 3. qu. 15. art. 8. Beia in Respons. cas. consc. parte 4. casu fin. ac sic declarauit Cardinalium congregatio: nec potest Regularis, profitens nec etiam Conuentus huic iuri cedere, vt optimè notant Beia citatus, & Nauarr. concil. 37. de Regular. qui tamen existimat, professionem Nouitiorum infirmorum ante annum completum valere, vt verè valet ex concess. Pij V. facta Monialibus Bulla quæ incipit, *Summi Sacerdotij cura*: obligari tamen eumdem, si conualuerit ad annum explendum, & iterum profitendum; vt tenent etiam Roder. citatus, Petrus de Ledesma in Sum.

Dixi apud Mendicantes: nam professio non Mendicantis facta ante annum completum, vbi Trident. receptum est, valida existit, cùm dispositio Tridentini clausula reuocatoria careat, quæ necessaria est, vt dispositio Iuris communis reuocetur. Imò apud Augustinienses, vt notat Corduba in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Apostata*, est priuilegium à Iulio II. B. authentica concessum, quo Nouitius illius Ordinis per promotionem ad sacros Ordines fit professus: quod si fauorabile est, gaudent alij Mendicantes, dummodò habeat clausulam iuris communis reuocatoriam, quod ego penitus ignoro: si autem odiosum, nòn fruuntur. Certè vno modo consideratum videtur odiosum, alio fauorabile. Primo mod[illegible]e est, quia per illud aliquando priuaretur Ordo debita experientia Nouitij. 2. verò fauorabile, quia potest aliquando Ordo indigere opera Nouitij, qui professus illam faciliùs & efficaciùs conferret: si autem illud priuilegium valeat, doctiorum relinquo iudicio.

Quoad verò 2. partem probatur propositio ex concessione Leon. X. relata in Comp. priuileg. Mendic. verb. *Nouitius*, §. 23. tenoris sequentis, *Concessit, quòd quando contigerit auctoritate Apostolica concedi aliquibus Fratribus, vel Monialibus diuersarum Religionum, posse transire ad Ordinem Minorum, & Sanctæ Claræ, attento quòd tales tam sunt nutriti in aliis Ordinibus, vndè præsumitur de ieiunijs & aliis asperitatibus Religionis esse instructos; possint facere professionem tanto tempore, ante annum professionis de Iure communi taxatum, quanto Prælato prædicti Ordinis Minorum de consilio Discretorum Fratrum, vel discretarum Monialium respectiuè illius domus, in qua fecerint probationem, visum fuerit; dum tamen Fratres, & Moniales huiusmodi fuerint inter obseruantes suorum Ordinum professi, & nutriti, & ad obseruantes prædicti Ordinis Minorum transire voluerint, & non aliàs.* Sic Pontifex: cuius præfata concessione constat, professionem Regularis vtriusque sexus, ad Minorum aut Sanctæ Claræ Ordinem venientis, ante annum completum probationis, emissam valere; dummodò sequentes conditiones adhibeantur. Prima, vt veniens auctoritate Apostolica accedat. 2. Vt in Ordine à quo discedit, constitutiones Regulares obseruentur. 3. Vt fuerit in proximè dicto Ordine nutritus, & professus. 4. Vt recedat à suo Ordine ea intentione, vt transeat ad Minores, aut Clarissas, quæ suas constitutiones seruens: ac sic tenet Casarubius in Comp. præfato verb. *Nouitius*. Nec illa concessio est Tridentino, aut constitutioni Sixti V. de anno integro in probatione manendo, contraria; quia verba Tridentini, & illius constitutionis, non loquuntur nisi de sæcularibus, vt ea consideranti planum fiet: si autem alij Regulares vtriusque sexus, eodem priuilegio, seruatis præmissis conditionibus gaudeant, valdè sum dubius, nam ex vna parte video, quòd hoc priuilegium videtur concessum Ordini Minorum, & Sanctæ Claræ, ob eminentiam illorum Ordinum, quam plurimi alij Ordines non attingunt: ex alia, videtur quòd propter illam rationem probationis tempus requiratur, & tamen video diminutum: quocircà me doctiorum iudicio submitto.

Obiicies illud priuilegium esse viuæ vocis oraculum, quod vt alia similia oracula reuocatum est: ac propterea non valere. Respondetur ita esse vbi bullæ reuocatoriæ eorumdem publicatæ sunt: secus vbi non sunt publicatę: verùm esto quod nullatenus valeat, valet tamen professio, de qua est quæstio, quia cap. *Non solum* & *Constitutionem* proximè citata nõ loquuntur, nisi de sæcularibus venientibus ad dictos ordines

mendicantes: non autem de aliis regularibus venientibus ad eosdem vt eos legenti fiet manifestum.

Nota tamen, non ita mathematicè illum annum esse interpretandum, vt si desit vna hora, professio non valeat; nam versamur in materia mortali quæ est mortaliter interpretanda; ac proindè valet professio, licèt deficiat dicta hora, aut quid simile; parum enim pro nihilo reputatur in Moralibus: & huius sententiæ est Roder. citatus art. 4 & 5. eamque probat ex variis legibus, sic etiam Marchantius in cap. 2. Reg. Minor. qu. 4. conclus. 1. & alij.

PROPOSITIO V.

Continuitas anni probationis ita est necessaria ad annum probationis, vt si deficiat, Professio Regularis nulla existat: Si priuilegium excludas.

Multipliciter hæc continuitas considerari potest, vel per respectum ad tempus totius anni probationis: vel per respectum ad conuentum, in quo fit probatio: vel respectiuè ad obedientiam Prælati illius conuentus: vel relatiuè ad gestationem habitus Regularis: vel denique per respectum ad asperitatum experientiam. His omnibus positis nostra propositio intelligenda est, de continuitate temporis, quam diximus debere esse talem, vt à momento temporis induitionis habitus Regularis præseueret sine interruptionis, vsque ad momentum inclusiuè, quo finis anno imponitur: probatur ex Trident. loco proximè citato, in quo hæc verba habentur, *Nec qui minore tempore, quàm per annum in probatione steterit, &c.* quæ verba *Per annum*, temporis continuitatem præ se ferunt, vt docent Anchar. Panorm. & alij commentat. in cap. *Ad Apostolicam.* de Regulat. Archidiac. cap. *Cum contumacia* vers. *Per annum.* de Hæret. in 6. Ac sic etiam tenent Cassinens. in Sum. lib. 3. de Regular. c. 5. nu. 15. & Sorbus verb. *Nouitius*, Nauarr. Concil. 15. de Regul. nu. 2. Henriq. in Sum. lib. 13. cap. 4. Flamin. de Resignat. lib. 3. qu. 13. num. 11. & alij. Et sic pluries declarauit congregatio Cardinalium, præcipuè in decreto relato à Barbosa in dictum caput de anno 1597. die 14. tenoris sequentis *Sacra Congregatio censuit, annum probationis ad emittendam professionem in Religione debere esse continuum non interpolatum.* Ita tamen hæc temporis continuitas requiritur, vt aliquam interruptionem leuem patiatur: verbi gratia, si nouitius exeat per aliquot horas, siue ex malitia, siue ex alia causa, retento tamen habitu, & cum intentione redeundi, vt plures graues Doctores huiusmodi continuitatem morali modo interpretentes, existimant, inter quos sunt Galuanus, Concil. 12. nu. 8. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 14. nu. 14. & alij. Iure tamen antiquo non requirebatur continuitas in probatione vt obseruat Zipæus in suis consultat. consultat. 18.

Diximus in propositione, probationem interruptam nullam esse, si priuilegium excludas; nam ex priuilegio Iulij II. facto Minoritis, & relato in Comp. priuileg. Mendic. verb. *Nouitius*, §. 25. Nouitius qui v.g. media parte probationis facta, ad seculum dimisso habitu respexit, posteà rediens ad eundem conuentum, sex aliis, qui supersunt mensibus in probatione peractis, annuente Prælato, profiteri validè potest. Accipe verba priuilegij, bulla quæ incipit, *Hodie à nobis emanauerant*, his verbis: *Et quòd cùm aliqui Fratres, qui annum probationis inceperint, & deinde habitu demisso, ad ipsum Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus, cum tempore posterioris in anno probationis sibi computari, vel non computari posse iuxta discretionem, & determinationem suorum superiorum, eisdem auctoritate & tenore decernimus, & ordinamus.* Hæc Pontifex. Quibus manifestè constat, quòd illa probationis continuitas non arctè est interpretanda apud Regulares, prædicto priuilegio gaudentes.

Excipimus tamen ab illo decreto Tridentini præcitato, quoad continuitatem, & etiam quoad ætatem Milites Hierosolymitanos, licet dicantur Regulares, sub quo non comprehenduntur, vt Sacra Congregatio declarauit in illud Trident. cap. in decreto relato à Barbosa in idem caput: sic etiam definiuit Rota in nouiss. parte 1. decis. 191. ac huius sententiæ sunt Ludouic. Beia in Responsf. cas. consc. parte 4. cap. 28.

Digitized by Google

Gonsal. ad Regul. 8. Cancel. Gloss. 8. à num. 61. Sanches de Matrim. lib. 7. disput. 44. num. 8. quæ verissima est, nisi ille militum ordo fecerit constitutionem huic decreto adhærentem, vt factam recens asserit Flamin. de Resig. lib. 6. quæst. 2. num. 120. Ex quibus omnibus in hac propositione positis constat, continuitatem quoad moram in conuentu, dummodo sit quoad obedientiam, non esse necessariam, nec inualidare professionem.

Notabis tamen, ex constitutione quadam Clem. VIII. inualidas fuisse professiones, non solùm ex defectu continuitatis, sed etiam ex defectu continuæ moræ in conuentu, ad probationem destinato; licèt in alio conuentu eiusdem Ordinis per annum probatio protraheretur: & propereà multas professiones huiusmodi in Italia declaratas fuisse nullas. Verùm propter plurima inconuenientia, quæ ex hac constitutione resultabant, illam moderauit Vrbanus VIII. Bulla quæ incipit, *Religiosos viros*, 2. Aprilis 1631. & sacræ Congregationis Concilij decretum emanatum die 5. Ianuarij 1636. quibus potestas fit sic professo, reclamandi intra quinquennium: ac simul sine alia probatione validè iterum profitendi, cum prohibitione, ne reclamans exeat sine nota Apostasiæ: nec audiri possit, nisi priùs habito à Sede Apostolica, aut à sacra Congregatione mandato.

Attamen illis non obstantibus Doctores existimant, rem manere in statu iuris communis quoad moram in conuentu probationis, vel alio faciendam; tum quia hæ omnes constitutiones vsu non sunt receptæ, tum quia carent clausula derogatoria debita, quocirca si Nouitius ob aduersam valetudinem, vel ad visendos parentes, vel ad recreationem, aut ob aliam huiusmodi causam, de licentia superioris ad domum secularem se transferat; ibique multo tempore permaneat, professio valebit: vt tenent Graff. p. 1. lib. 3. cap. 5. num. 18. Zanard. in Director. Theolog. parte 2. cap. 16. Gratiam. in Discept. num. 1. cap. 166. num. 14. & alij: & sic definitum est à Cardinalibus S. Congregationis pro Monialibus in casu cuiusdam Nouitiæ egressæ ad curandam sanitatem; cuius decretum refert Barbosa in illud cap. Trident. Et hanc sententiam veram esse existimo, etiamsi illicitè, & sine rationabili causa concessa esset licentia à superiore; vt docent Suares de Relig. tomo 3. lib. 5. cap. 14 num. 13 & Diana tract. 2. de Dub. Regul. resol. 84. Et hæc sufficiant, ad ostendendum non esse necessariam in conuentu probationis continuam per annum commorationem, Plura ex occasione alterius difficultatis de hac materia inferiùs dicturus nunc examinare desiderio, si defectus continuitatis quoad gestationem habitus Regularis, & quoad experientiam asperitatum Religionis professionem annullet; quocirca, vt hæ duæ difficultates soluantur, sit.

PROPOSITIO VI.

Defectus receptionis & gestationis habitus Regularis, & experientiæ asperitatum Religionis in anno probationis, non inducit professionis nullitatem.

Veritas huius propositionis quoad primam partem probatur 1. ex cap. *Porrectum nobis*, de Regular. in quo Clemens III. decidit, professionem valere sine habitu Regulari assumpto, factam, his verbis Beluacensi Episcopo directis, *Porrectum nobis ex parte tua petitorium continebat, quòd Canonicus Acherontinus infirmitate grauatus votum, vt fieret Monachus, se asserit emisisse: vnde metuens, ne voto decederet non completo, iunctis manibus tibi se reddidit in Monachum, & in Fratrem, &c. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm Monachum non faciat habitus, sed professio Regularis: ex quo à conuertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate, talis, vt fiat Monachus, vt reddat Domino quæ promisit, erit vtique compellendus.*

Probatur 2. ex multis capitibus eiusdem tituli de Regular. in quibus habetur, quòd ex assumptione habitus regularis professorum quis fiebat professus; ergo susceptio habitus regularis, & ipsius gestatio per annum probationis, non est necessaria

ad validam professionem; ac ex consequenti ex illius defecta non est nulla. Imò expresse dicitur in cap. *Constitutionem*, de Regulat. in 6. quòd aliquando quis potest ingredi religionem (quod plus est quàm fieri Nouitium) absque susceptione habitus Regularis. Quod antea censuerat Gregorius cap. vltimo, distinct. 53. in quo dicit, *Debent in suo habitu per triennium probari*, & distinct. cap. *Multos. Probetur in habitu laico constitutus.*

Probatur 3. ex Regula Basilij qui in illa nullam fecit mentionem de habitu regulari suscipiendo. Nec etiam Benedictus in sua: imò cap. 58. ait, *post Professionem emissam exuendũ esse professum proprijs vestibus, & religionis habitu induendum, & proprij seruentur, vt si inconstans fuerit, illis induatur iterum, & emittatur.*

Quòd si obiicias, in regula Minorum 2. cap. præcipi, Nouitium vestibus religionis induendum; Respondetur hoc ita esse, & peccare mortaliter recipientem, si non induat: non tamen ob huius induitionis defectum, nullitatem induci. Ac sic tenent Abbas in cap. *Super ea*, Regulat. nu. 7. quem sequitur Lopes in lib. 3. tit. 7. punct. Glossa vltima.

Obiicies ex Trident. caput 15. sess. 25. de Regular. in præmissis sæpiùs allegatum, in quo dicitur: *nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit*, ex quo habetur susceptio & gestatio habitus tempore probationis sub pœna nullitatis.

Respondetur 1. ex illo cap. ad summum concludi, quòd susceptio habitus, non verò gestatio continua sit necessaria in probatione ad validam professionem faciendum; non enim aliud illius verba important.

Respondetur 2. nullitatem professionis in illo cap. non induci ex defectu susceptionis habitus; sed tantùm ex defectu continuitatis anni probationis, & ex defectu integritatis illius anni, vt verba ipsa in clausula nullitatis apposita manifestè ostendunt; videlicet, *Professio autem antea facta sit nulla*, quæ verba relatiua sunt ad tempus continuitatis & integritatis anni probationis: non verò ad susceptionem habitus, ad quod interpretes illius capitis verba referenda censent, & non ad susceptionem habitus.

Respondetur 3. quòd licet Tridentinum hoc expresè haberet, non propterea professionem factam absque susceptione habitus tempore probationis nullam existere, vbi illud non est receptum: nec etiam vbi viget; quoniam illud decretum non habet clausulam iuris communis reuocatoriam, quæ necessaria est, vt pluries dictum est, & probatum in tract. de Priuileg. in comm. & sic probata manet prima pars propositionis, quæ sustinetur ab Archang Romano in addit ad priuilegia, pag. 13.

Probatur autem quoad 2. partem 1. Quia, vt superiùs ostensum est, continuatio probationis non interrumpitur per motam extra monasterium, dummodò fiat de licentia superioris: ergo nec per experientiam asperitatum, quæ cum illa mota coniuncta est: non enim qui extra monasterium moratur, asperitates regulæ experitur. 2. Quoniam licet in dicto titulo de Regulat. dicatur, quòd probatio datur ad illas experiendas, tamen in eodem met. tit. habetur, quòd valet professio per assumptionem habitus, absque eo quòd Nouitius obligetur illum gestare tempore probationis, vt dictum est: ergo illa experientia est tantùm accidentalis, & non essentialis ad probationem, ita vt ex defectu illius non valeat professio. 3. Quoniam vel omnes asperitates sunt experiendæ, vel aliquæ: non omnes, quoniam sic essent experiendæ illæ, quæ reperiuntur in infirmis, in viatoribus, & cæteris huiusmodi. Quis autem hoc dixerit? Vel aliquæ dumtaxat sunt experiendæ; sed hoc dici non potest: cùm non maior sit ratio de vna asperitate, quàm de alia. Accedit, quòd, vt docet Sanchez in Somm. tom. 2. lib. 5. c. 4. in prima editione tit. de Regulat. & Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 8. Nouitius, qui per menses decem cum medio moratus est extra conuentum, validè profitetur: imò iuxta citatum Azor. etsi per totum integrum annum moratus sit; sed is non experitur asperitates Religionis, ergo illa experientia non est necessaria ad professionem validam: ergo defectus illius eam non annullat. Quocirca si statim atque Nouitius est ingressus monasterium, in lectum ob morbum incidat, & in eo moretur vsque in diem professionis, poterit validè profiteri: quoniam quantum est ex se, manet in statu probationis in tali Ordine, & sub obedientia illius. Quòd

autem actu probari non possit, est per accidens: nec refert, quòd annus probationis datus sit ad sumendam experientiam, tum quia finis legis non est de substantia legis; tum etiam quia eo casu nouitius satis probatus per infirmitatem, in qua & nouitius religionem, & religio nouitium poterit sufficienter cognoscere. Ac sic ex mente omnium Doctorum tenet Nauarrus consil. 3. num. 5. & post ipsum Suarez de Relig. to. 3. lib. 5. cap. 15. num. 15.

Non tamen reticebo quosdam Doctores Sorbonicos, & alios, in causa professionis cuiusdam Nobilis Diœcesis Petrocorensis apud Fratres Minores Recollectos emissa, censuisse, quòd interruptio experientiæ asperitatum per tres menses apud illos, & alios huiusmodi Regulares, qui asperam vitam degunt probationem interrumpit, siue illa interruptio sit facta ex malitia, siue ex morbo; & ex consequenti professionem nullam efficit. Quam sententiam non possum ob prædictas rationes probare: quocirca si quis in vi istius defectus ab obligatione status regularis liberatus esset, meo iudicio tutus non existeret, quoniam nullus doctor qui scripserit, docet hunc defectum inducere nullitatem; & omnes qui de hac experientia asperitatum scribunt, contrarium existimant.

Sic autem existimare non erit extra rem, quid iudicandum sit de filiis & filiabus authoritate curiæ secularis habitu regulari, ad parentum petitionem exutis num ob id continuitas probationis interrumpatur. Vt autem iudicium legitimè feratur, Sciendum est 10. patrem filiam seu filium se inuito in monasterium ingressum abstrahere non posse l. Deo nobis §. hoc etiam C. de Epis. c. vlt. 19. q. 5. neque enim patria potestas ingressum impedire potest, si patri tantum sit pro ratione voluntas. Sciendum 2. quòd si pater iusta causa moueatur, non cessat energia patriæ potestatis. quare filiam furtim monasterium ingressam petere potest exhiberi l. in prima D. de lib. exhib. Item. docend. & hæ leges ne ratione fundantur, quoniam aliquando, qui non ritè ingrediuntur, sed furtim, insciisque parentibus rectè præsumuntur sollicitati, seducti, circumuenti; & ideo meritò exhibendi. Et multis probat, Zipæus in consultat. canon. lib. 3. tit. de Regular. Consultat. 16. vbi etiam probat. non teneri iudices raptum huiusmodi in loco tuto constituere.

His positis quæstioni respondetur dicendo egressum huiusmodi curiæ sæcularis sententia, & habitu regulari, vel non exutum probationis annum non interrumpere si volens & liberè ingressus est, quoniam 10. se habet exitus ille ex parte nouitij merè passiuè, eo modo quo ille qui fit causa pestis. Ille enim qui è monasterio exiret habitu regulari, vt melius probationis animum non interrumpit, sanetur exitus 2. se habet ex parte religionis etiam passiuè, estque sub obedientia superioris nouitiuos, quæ duo sufficiunt vt probationis annus non interrumpatur.

PROPOSITIO VII.

PRofessus in prædictis casibus nullitatis potest coràm suo superiore, & Ordinario licitè reclamare, vt à suo Ordine sententia ab eisdem lata licitè exeat.

Hæc veritas fundatur 1. in Tridentino sess. 25. cap. 19. in quo sic habetur, *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile*, &c. *non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis: & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coràm superiore suo, & Ordinario.*

Ex quibus habes, illas causas in præcedentibus propositionibus enumeratas esse sufficientes ad reclamandum, nec illas causas debere esse certas, aut euidentes; sed sufficere vt tales prætendantur, & sint probabiles: nec non & superiorem, & Ordinarium esse legitimum & verum iudicem illius reclamationis

Fundatur 2. in iure communi citato in margine ad præfatum Tridenr. cap. *Puellæ*, 20. quæst. 1. & cap. *Cum virum* de Regular. Sed vt verum fatear, illa duo capita non

multum faciunt ad probationem: non primum; quia nullum de hac reclamatione continet verbum; non secundum; quoniam licet in casu coactionis declaret professum posse exire, in quo Clemens III. qui illius capitis est auctor, ad id probandum à contrario sensu adducit constitutionem Leonis, quæ est dictum cap. *Puella*, nullum sum tamen verbum habet de reclamatione coràm superiore & Ordinario. Quidquid tamen sit, iure ordinario procedit superior Regularis cum Ordinario; quòd si ex rescripto, seu vt delegatus procedat, à Senatibus supremis Galliæ processus omnis cassatur; & pronunciatur, vt iure illo communi & ordinario procedatur, vt sæpiùs in Senatu supremo Burdigalensi factitatum legimus: ac etiam in Parisiensi, vt Calendis Decembris 1575. factum fuisse testatur Renat. Chopin. de sacr. Polit. lib. 2. tit. 7. facti rationem afferendo, videlicet quia Concilio Basiliensi est prohibitum in similibus causis ad Papam appellare, sed ad Ordinarios Regni; esset autem ad Papam appellandum, si vt delegatus procederet; cum à delegato ad delegantem iure communi præcipiente sit appellandum.

Fundatur 3. in iure naturali, quod docet, vt quisque coràm suo legitimo iudice quod suum est postulare possit: ergo Regularis potest reclamare coràm suo iudice, cùm quod suum est, videlicet libertatem, petat. Ille autem iudex alius esse non potest, quàm Ordinarius cum Superiore, vterque legitimo titulo iurisdictionem in reclamantem habens: superior, vt illum possidens, & Ordinarius prætendens suum esse: vndè ius superioris maius; ac propterea ordine primus in dicto decreto nominatur; nisi velis dicere, Prælatum Regularem esse solum legitimum iudicem istius causæ, illique additum Ordinarium, vt coniudicem, ne offensus reclamatione subditi eumdem vexaret.

Fundatur 4. in vsu: licèt enim aliqui rescriptum quoad hoc à Papa postulent, non tamen, vt necessarium, sed dumtaxat vt iurisdictionis ordinariæ excitatiuum; & posito, quòd vt necessarium postulent, postulatio non derogat iuri quæsito iurisdictionis Ordinarij, cùm etiam alij reclamantes illud non postulent, sed immediatè ad Ordinarium simul, & superiorem localem recurrant, illius videlicet loci in quo professionem emiserunt: vt etiam Cardinalium Congreg. declarauit die 1. Decembris 1593. teste Sellio in select. Canon. cap. 31. num. 23. Dixi superiorem localem non Religionis ex sententia eiusdem Congreg. Cardin. die 7. Aprilis 1629. quam refert Sellius citatus cap. 18. num. 54. & cap. 80. num. 10. Qui audito Regulari reclamante Diœcesis promotore, & scindico, seu procuratore Monasterij ad hunc effectum electo, cùm alius ad temporalia electus, ad id non sit idoneus, sententiam pro validitate, aut nullitate professionis ferent. Nec dicendum, quòd sufficit ad hunc effectum audire solum Promotorem præfatum; nam sicut necessarium est, hunc audire ad iura Diœcessis sustinenda, sic & necessarium illum audire, ad iura illius Ordinis conseruanda: nec maior de vno est ratio, quàm de alio: ac sic plurimi graues Iurisperiti in facto cuiusdam reclamantis ex Ordine Camelitarum Scalceatorum consulti, determinarunt Burdigalæ anno 645.

Reclamatio autem vbi Tridentinum non est receptum, debet fieri intra tres dies à professione emissa iuxta cap. *Ad nostram noueris*, de Regular. nisi vsus sit contrarius, vt in Gallia: vbi autem receptum est, intra quinquennium à professione; infra tamen biennium per sententiam terminandam, vt docuit sacra congregatio Cardinalium die 6. Martij 1598. per decretum relatum à Gallemard. in sess. 25. cap. 19. Quòd si intrà illud tempus ob perseuerantem causam, motum scilicet, ignorantiam, defectus, & cæterorum huiusmodi, reclamare non valeat: sublato impedimento extra illos tres dies, & extra quinquennium reclamare valebit; vt post multos asserunt Barbosa de Potest. Episc. parte 3. allegat. 104. & in sess. 25. cap. 19. Villal. in Summa tom. 2. tract. 35. diffic. 25. nu. 8. Portel. in dub. Regul. verb. *Professionis nulla reclamatio*, n. 44. & Flores Var. lib. 3. q. 23. nu. 68. qui vltimus expressè dicit, hoc decretum non procedere, quando illud quinquennium cucurrisset tempore inhabili, vtpote durante pupillari ætate, aut durante metu, & eius causa; vt Nauarr. tenet in comment. 4. de Regular. nu. 71. & Suarez tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 4. & 6. qui id etiam asserit in ignorantia inualiditatis, durante toto quinquennio: sicut etiam & ideo Nauarr. consil. 23. de Regular. nu. 3. & 4. quod incipit *Petrutius*. Necnon denique quando

defectus professionis talis est, vt sit euidens, non potuisse toto illo tempore auferri, & consequenter non ratificari professionem. Sic citatus Suarez nu. 7. qui ad hoc duo exempla refert, & sententiam congregationis Cardinalium. Num autem sit similiter in omnibus illis casibus sentiendum, vbi ius antiquum viget: respondetur quòd sic. Quocirca dicendum quòd quando illi tres dies, vbi Tridentinum non viget, tempore inhabili cucurrissent, potest illis elapsis reclamare, & audiri.

Nec vt quis audiri valeat post illum temporis terminum, necessaria est impetratio rescripti Apostolici, licet vsus sit contrarius. Nam stando in iure communi de reclamandi potestate, audiri potest; cùm semper existente causa remaneat illud ius penes professum: quocirca sufficit, vt causam alleget, cur post illum temporis terminum à iure & Tridentino præscriptum, reclamet, illamque probet: vt docet Roder. tom. 3. q. 17. art. 16. cum pluribus aliis. Non poterit tamen reclamare, qui intra illud tempus, aut extra, scienter & liberè professionem ratam habuit; quia tunc per ratihabitionem valida est: secus si ignoranter, aut non liberè illam ratam habuerit: quoniam adhuc remanet nulla, vt optimè cum aliis notat Roderic. in addit. ad Summ. tom. 4. cap. 64. Portel. verb. *Professio nulla*, nu. 20. Sanctarell. Variarum resolut. quæst. 48. nu. 40. cum seqq. & Suarez citatus nu. 3. & 4.

Nec insuper vt quis reclamans audiri possit, necessarium est vt non apostatauerit aut habitum dimiserit: nam Apostata dimisso habitu, eoque reassumpto audiendus, potest audiri, cùm ob id non reddatur inhabilis vllo iure ad reclamandum: sic Barbosa cum magno numero Doctorum, quos citat in cap. 19. Trid. Sess. 25. de Regular.

Nota tamen quod in Gallia sine rescripto Pontificis non proceditur ad audiendum reclamantem; alioquin processus declaratur abusiuus. Ratio iuris-peritorum est, quia sicut in contractibus ciuilibus ob metum, aut alium defectum factis rescindendis requiruntur regis literæ ad reclamandum: sic simpliciter in reclamante aduersùs Professionem, quæ est velut contractus Ciuilis, Pontificis rescriptum requiritur, & sicut iudices Laici licèt ordinarij, non possunt sine illis literis, procedere, sic nec iudices Ecclesiastici in causa nullitatis professionis licet sint ordinarij.

Quæres 1. num possit quis reclamare contra professionem, non quidem verè, & in se nullam; sed sordidè, aut valde inordinatè, quippe blanditiis & munusculis, & aliis indebitis modis parentum, aut Regularium factam? Respondetur, posse reclamare, & professionem illam posse Ordinarium, & superiorem coniunctim procedentes irritare. Nam sicut iudex potest contractum ciuilem sic factum, licet validum, irritum reddere; quidni id poterit Ordinarius cum superiore: quòd autem id possit iudex, constat ex vsu, & Placitis supremorum Senatuum.

Quæres 2. num solus ordinarius, vel solus superior possit ferre sententiam nullitatis, aut validitatis. Respondetur, illud posse in duobus casibus: in primo, quando Ordinarius est etiam superior: vel superior est etiam Ordinarius. Nam Concilium dum vtrumque coniungit, præsupponit vtrumque adesse, vt tenet Barbosa præcitatus num. 11. adest autem vterque, videlicet Ordinarius & superior in vna sola persona, de cuius in hoc negotio interesse solùm agitur. In 2. casu, dum vnus illorum est impeditus, vel mortuus, vel recusat sententiam ferre, tunc alter potest illam solus pronunciare, & facere vt executioni mandetur: vt habetur cap. *Duobus iudicibus*, de Sent. & re iudicata: & cap. *Prudentiam tuam*, de Officio & potest. iudicis deleg. & cap. *Sciscitatus*, cum Glossa de Rescrip. quæ hoc expresè dicit de recusante ferre sententiam, sicut illud caput hoc expresè pronunciat de coniudice mortuo, aut ineuitabilis necessitatis articulo, & in his casibus declarat esse impeditum de facto: de iure autem impeditum dicit, factum seruum, aut infamem, aut aliquod aliud iuris impedimentum incurrisse, quod illum arceat à sententia ferenda. Et hæc dicta intelliguntur, cùm ex delegatione proceditur: si autem iure ordinario, vt diximus in superioribus procedere Ordinarium & Prælatum regularem, id similiter est asserendum, imò si ambo simul & coniunctim procedant, & vnus ferat sententiam in reclamantis fauorem, alter verò non: tenet sententia in fauorem reclamantis, quia agitur de libertate illius, vt constat ex cap. *Ex literis*, de Probationibus, & ex proximè citato cap. *Duobus iudicib.* Ac sic Senatus Tolosanus in causa cuiusdam nobilis Comitissæ

Ordinis S. Claræ in fauorem sententiæ per solum superiorem latæ iudicauit anno 1645. fecitque vt executioni hæc sententia mandata sit.

Quæres 3. num reclamans sit obligatus parere Sententiæ à præmissis iudicibus, vel ab vno illorum latæ? Respondetur distinguendo; vel enim dubius est, vel certus, quòd professio sit nulla: si dubius est, sententiæ parere tenetur, imò & suam professionem ratificare: si autem certus est, licet bona fide illam ab initio fecerit, non tenetur ratificare, quamuis per sententiam cogatur in Religione manere, nec tenetur ad internam votorum, & Regularum obseruantiam, sed tantùm ad externam, & neque ad hanc seclusо scandalo. Item potest relinquere Religionem, dummodò absit vis, iniuria & scandalum: solúmque obligatur ad parendum exteriùs illi sententiæ, & non resistendum per vim. Sic Suarez tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 2. num. 6. cum Nauarro, Lessio, Henrique Sanche, & Eman. Sa asserit hanc sententiam esse communem.

Quæres 4. Si Superior cum Ordinario non potest in Gallia procedere auctoritate Apostolica, quomodo ergo procedet? & si quis ab eorumdem Sententia appellet, ad quem appellatio deuoluetur? Quæsito primo respondet citatus Chopinus debere huiusmodi iudices à principio processus, declarare se non procedere vt iudices delegatos, sed vt Ordinarios. Verùm cum hæc responsio sit Pontifici iniuriosa grauissimi Burdigalenses iurisperiti super 1648. consulti responderunt sufficere si vtentes suis titulis Ordinariis dicant se exequi breue Apostolicum hac forma. *Nos Episcopus aut Officialis & Superioris*, &c. *exequentes Breue Apostolicum sub data*, &c. *quo*, &c. Non audeo tantorum virorum iudicium damnare, licèt non valeam concipere differentiam, quæ intercedit inter hæc duo, videlicet. *Exequi Breue Apostolicum & esse delegatum auctoritate Apostolica.*

Secundo quæsito idem Chopinus respondet ad Archiepiscopum esse appellandum. His tamen duobus respōsis contrarium videmus in Gallia practicari; nam huiusmodi iudices se delegatos sæpe nominant; & etiam ab illis ad Papam sæpe appellatur.

PROPOSITIO VIII.

PRofessio graui defectu, aut impedimento, vt tali habito in Ordine in quo emissa est, tacto, inualida est: potestque ab Abbate, Generali, aut Prouinciali illius Ordinis nulla declarari; ac licèt valida sit, aliquando irritari Ordinariis locorum minimè vocatis.

Hæc propositio quoad primam partem, expresè habetur in materia grauissimorum criminum tectorum Bulla Leonis X. cuius initium est. *Cum sicut nobis*, his terminis, *Quare cum ex taciturnitate delictorum & grauium excessuum huiusmodi vestra religionis & animarum & conscientiarum vestrarum puritatibus vitaque vestra exemplaris norma grauis nonnumquam etiam in Christi fidelibus populis murmuratio de perceptione talium virorum, facinerosorum, scandalosorum*, &c. *Nos itaque vestram Religionem in puritate manere, ac tot murmurationibus & scandalis obuiare, volentes vobis quod omnes & singulos ad vestram Religionem confugientes etiam professos, qui grauissimis & scandalosis delictis notati & diffamati fuerunt, quæ fraudulenter, & dolosè in eorum receptione & professionis emissione (monitione super his per vos præmissa) tacuerunt nonobstante quod iam per vos recepti, & per eos professiones emissæ fuerunt, ne morbida, & infecta pecus Ouile Domini corrumpat, aliisque cedat in exemplum, à domibus & conuentibus vestris, prout conscientia vestra, quàm super hec oneramus, visum fuerit, & iustum, & honestum fore decreueritis expellere, & remouere liberè & licitè possitis & valeatis auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus, pariterque indulgemus. Verum* quia hęc constitutio de solis criminosis loquitur; ideò vniuersalius est probanda. Ac primò quoniam, vt resoluit Nauarrus lib. 3. Conc. tit. de Regul. num. 6. *Professio est in effectu quidem contractus reciprocus, vltrò citróque obligatorius, quo profitens se obligat ad seruiendum secundum Regulam.* Ergo necessarius est ad professionem vtriusque par-

Ii

tis, videlicet tum Prælati & Monasterij, tum etiam ipsius profitentis consensus: ergo illo deficiente, deficit contractus; ac proinde professio: deficit autem in Prælato & Monasterio, si de illo Nouitius rogatus tacuit, quo detecto expulsus fuisset: quocirca citatus Nauarrus num. 12. addit, *Non possunt inde prædicti teneri pro legitimis Fratribus, etiam in foro conscientiæ, cùm consensus non fuerit legitimus ex parte recipientium, eò quòd fuerit præstitus sub conditione falsa.*

Fateor quidem hunc auctorem disputare de casu aliquo particulari Fratrum Minimorum circa Iudæos, Satracenos, Hæreticos, &c. de quibus apud illos, sicut etiã & apud alios statutum est, ne ad professionem admittantur, & admissi expellantur: nihilominus tamen ex casu particulari potest facilè vniuersum concludi. Et quamuis prædictus Nauarrus existimet, prædictum Minimorum statutum esse inualidum, docet tamen eiici posse talem è Religione, propter defectum consensus in recipientibus, qui cùm fuerit conditionatus, nullus est, conditione sine qua deficiente. Quod etiam tenent Portel. in Dubiis Regular. verb. *Professio nulla*, num. 9. & verb. *Nouitij qualitates*, n. 30. Layman. lib. 4. Theol. moral. tract. 5. c. 13. Lessius lib. 2. de Iustitia & iure, cap. 41. num. 106. dub. 14. & alij quos ipsi citant, in eam eunt sententiam.

Nec obstat, hos auctores, si Laymanum & Lessium excipias, loqui de defectibus & impedimentis contagiosis, maximè de morbo Neapolitano & epileptico, cum Sanch. lib. 7. de Matrim. 31. num. 53. quoniam non est dubium, quin eadem sit ratio illorum defectuum, de quibus nostra propositio enunciatur, vt Laymanus & Lessius enunciati sentiunt: quod hic vltimus supra citatus confirmat dub. 7. cùm hæc scribit, *Posset tamen Prælatus aliquem admittere cum protestatione non esse sibi animum admittendi, si habeat hæc, aut illa impedimenta, & tunc professio esset irrita, si tale impedimentum subesset; non quòd impedimentum subsit, sed quòd animus admittendi desit.* Et in hoc Nauarrum sequitur Lessius.

Probatur 2. ex doctrina de contractibus, quæ habet, vt omnis contractus (matrimonio excepto) dolo malo initus, in vi cuius sequitur contractus, qui aliàs non fieret, de iure positiuo nullus sit ij foro conscientiæ, si fraus se teneat ab vno è contrahentibus: vt tenent Siluester verb. *Culpa*, quæst. 7. Rebell. lib. 1. quæst. 6. sect. 2. num. 80. Azor. 3. p. Instit. moral. lib. 6. cap. 10. Salonius 2. 2. quæst. 77. art. 3. num. 1. Salas de Emptione, num. 33. Bonacina disp. 3. quæst. 2. punct. 2. §. 2. proposit. 1. Turrecremata disp. 66. dub. 1. Couatruuias & alij apud Sanch. lib. 1. de Matrim. disput. 64. num. 30. quod probatur leg. *At eleganter*, ff. De dolo. & leg. *Ea voce*, §. De illo, ff. Pro socio, vbi dicitur, *societatem dolo initam esse nullam.* Ergo cùm hic contractus professionis sit dolo malo initus, nullus omnino iudicandus est. Quæ doctrina non solùm valet pro foro conscientiæ; sed etiam pro foro externo: & ex consequenti contractus initus bona fide cum dolo, qui contractum causet in vtroque foro est inualidus, vt docent Molina de Iustit. & Iure, disp. 352. Lessius, & Rebel. & Azor locis superiùs citatis. Turrecr. disp. 55. Antonius Grauic. tom. 2. Variat. cap. 1. de Vendit. num. 24. ff. 172. v. 2. & alij communiter.

3. Propositio probatur, quoniam inuoluntarium propter timorem, amentiam, mentis perturbationem, aut vouentis præcipitationem, iuxtà sensum omnium Doctorum inualidam reddit professionem ex parte profitentis; ergo etiam inuoluntarium efficiet professionem inualidam ex parte recipientium, cùm stet ius pro vtraque parte, magisque militet pro Religione.

4. Probatur, quia impedimentum aut defectus perpetuò impediens obseruantiã instituti Regularis, reddit professionem nullam, iuxtà Sotum, Aragon. quos Sanches citat lib. 4. Oper. moral. cap. 2. vbi hæc verba ex eorumdem sensu pronunciat. *Laborans impedimento aliquo perpetuo admissionis ad Religionem, quod, vel quando vouit, non considerauit, vel postea incurrit, liber est omnino à voto.*

Probatur propositio quoad 3. partem, videlicet quòd Prælati Regulares possint eam declarare nullam. 1. quia non minori pollent potestate iudices Regulares, quã gaudet sæcularis: Iudex autem sæcularis potest contractus nullos declarare tales, ergo & Prælati, qui iudices sunt subditi regularis, possunt professionem illius nullam, vt potè contractum nullum declarare talem. 2. quoniam illi Prælati possunt vota subditorum, si de eorumdem validitate; aut inualiditate dubitatur, nulla aut valida de-

clarare, aut explicare: ac etiam dubia illorum omnia soluere, ex potestate sibi concessa: necnon etiam iure ordinario illud possunt: moneanturque subditi, vt eorumdem determinationi & sententię, tuta conscientia adhæreant, vt latè probat Roder. tom. 1. qq. Regular. quæst. 11. art. 5. Ergo possunt validam aut inualidam subditi professionem declarare; cùm eadem in hoc casu sit ratio. Confirmatur, quoniam potestas Prælatorum Regularium in suos subditos est eadem, vt alibi probatum est, quæ potestas Episcoporum in suos; sed hi possunt suorum matrimonia (si quod dubium occurrat) nulla, aut valida declarare; poterunt igitur Prælati Regulares professionem nullam aut validum declarare; cùm non maior de vnò, quàm de alio appareat ratio; ac sic tenent doctores citati in probatione primæ partis huius propositionis. Et hæc sufficiant probatione secundæ partis propositionis.

Hanc veritatem verbis expressis docet Nauar. lib. 3. Consil. tit. de Regular. Consil. 48. Non dissentit Lessius lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 41. dub. 14. *Potest enim iudicialiter procedere superior* (Inquit Nauar.) *contra Professum ad castigandum eum ob peccatum mortale quod commisit negando defectum, quem sub tali pœna in ingressu tenebatur confiteri: & in pœnam peccati expellere eum à Religione, & habitu priuare.* Lessius verò loco suprà citato causas recensens, propter quas Prælati Regulares possunt subditum regularem expellere; tertiam numerat, videlicet, *Tacuisse impedimentum; quod in illa Religione censetur essentiale, aut valdè graue:* rationem reddit, *quia dolus dedit causam admissioni; ac proindè Monasterium non tenetur eum retinere.* Hanc sententiam docet etiam Suarez tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 4. & Bonac. prædict. tract. quæst. 2. punct. 12. propos. 1. & 2. Quam doctrinam veram esse sentiunt prædicti Doctores, non solùm quando impedimentum est malitiosè tectum; sed etiam quãdo bona fide tectum est: quocirca sic Sanches citatus loquitur num. 6. *Quare nihil refert, siue ex malitia, siue ex ignorantia tectum sit aliquod ex his impedimentis.* Imò hanc sententiam veram iudico, etiam si Prælati hoc impedimentum cognouissent, & cum ea scientia ad professionem admisissent; nam illimet Prælati & alij succedentes possunt talem professionem irritare: & sic professum expellere. Rationem affert citatus Sanches num. 59. quia *male fecisse admittendo non aufert ius Religionis, vt resipiscens Nouitium malè admissum expellat.* Ac sic etiam tenent Gerson. in 2. part. tract. quarumdam quæst. Alphab. 54. lit. 5. 12. 56. Corduba in Reg. D. Francisci cap. 2. quæst. 11. puncto 2. Roder. in Sum. tom. 2. cap. 8. num. 9. conclus. 8.

Denique quoad 5. partem, videlicet quòd Prælati Regulares possint hanc declarationem facere, non vocatis Ordinariis, probatur 1. Quoniam & Monasterium, & Regularis cuius professio inualida est indicanda, ab illorum iurisdictione, penitus exempta sunt; ergo non possunt Iurisdictionis actum, in Monasterium & illius regularem exercere: exercerent autem, si sententiam circà professionis nullitatem, aliter quàm ordinatum est à Tridentino, ferrent; ergo illam ferre non possunt. Ac sic tenet Nauar. in multis suorum Consiliorum locis, tit. de Regul.

Obiicies, Tridentinum cap. 19. sess. 25. sic pronunciare, *Quicumque Regularis prætendat se per vim aut metum ingressum esse Religionem: aut etiam dicat ante ætatem debitam professum esse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa non audiatur,* &c. *nisi causas,* &c. *deduxerit coràm superiore suo, & Ordinario:* Ergo soli Prælati Regulares non possunt professionem nullam declarare: sed tantum coniunctim cum Ordinario.

Respondetur 1. sub illo decreto non comprehendi professum, de quo nostra propositio enunciatur, quandoquidem ille inhabilis est per constitutiones Regulares ad profitendum: at verò professus, de quo Tridentinum agit, ad profitendum est habilis. Sic tenent Rebuff. in tract. de Pacific. possessor. num. 27. Ludo. Lopez Reg. de Trienn. quęst. 2. Salon. lib. 2. §. *Prætor*, num. 30. ff. *Post satis dare*, & Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 7. num. 32. qui ad id probandum multas addunt rationes; quarum vna est illa quæ sequitur: videlicet, quia verba generalia comprehensa sub illis verbis, *Quacumque de causa*, ad personas habiles sunt restringenda, L. *Vt gradat.* v. *Et si lege*, ff. de Munerib. & honorib.

Respondetur 2. ex mente Bonacinæ in tract. de Clausura, quæst. 11. punct. 10. distinct. 4. propos. vnica, dictum decretum non intelligi de huiusmodi professo inha-

bili. qui post quinquennium potest audiri, *alioquin* (ait) *Religio detrimentum pateretur.* Quam rationem etiam affert Sanchez citatus: prædictum autem Tridentini decretum prohibet, vt Professus, de quo loquitur, post quinquennium possit audiri.

PROPOSITIO IX.

INcorrigibilis potest, & debet ab Ordine expelli per Generalem, aut Prouincialem, non autem coniunctim cum Ordinario.

Quoad primam partem huius propositionis, videlicet quòd incorrigibilis possit, & debeat ab Ordine expelli, sciendum est, incorrigibilem esse illum Regularem, de cuius emendatione desperatur. Tribus autem modis euenire potest, quòd sit talis. 1. Quando in criminibus perpetratis perseuerat, vt docent Anthon. cap. *Cùm non ab homine*, num. 22. de Iudiciis, & ibi Abbas num. 30. Maiol. lib. 5. de Irregular. cap. 26. num. 4. Sayrus de Censur. lib. 5. cap. 21. num. 37. Graffis 1. parte Decis. lib. 2. cap. 24. num. 19. & Sanches in Sum. lib. 6. cap. 9. num. 4. cum aliis quos citat, qui cum quibusdam illorum existimat, quòd perseuerantia in delictis considerari debet, tum in delictis eiusdem naturæ, tum in delictis similibus, idest, æquè grauibus. 2. Talis est, quando ter monitus non desistit peccare: vt citati Anton. Abbas, Maiol. Graffis, & Sayrus tenent: ac expressè in Constitut. Minorum de obseruantia determinatum habetur cap. 6. de Correctione, §. 19. 3. Si assignatum pœnitentiæ locum deserat: non autem si pœnitentiam impositam non agat. His positis probatur illa prima pars propositionis.

1. Quoniam bonum commune Religionis præponendum est particulari; igitur cùm vtrumque non potest possideri, minus, id est particulare, postponendum est bono maiori, videlicet communi: hoc autem fieri non potest, nisi ouis morbida alios suo prauo exemplo, & improbitate inficiens expellatur, & caro resecetur; vt docet Hieron. in Epist. ad Galat. cap. 5. & refertur cap. *Resecandæ*, 24. quæst. 3. alioquin illorum exemplo ad similia perpetranda inducerentur, vt experientiá manifestum est.

2. Probatur, quia frangenti fidem, fides frangenda est, vt habetur de Reg. Iuris; ergo Ordo ille non tenetur eum habere pro suo, nec ei seruare pactum de retinendo, qui in scandalum & dedecus sui, est incorrigibilis, & præuaricator voti. Et confirmatur; nam sicut ipse potest exire de Religione deseparabiliter deformata, vt rectè existimat Corduba quæst. 19. in 2. caput Regulæ Minor. ita similiter (vt ait idem met auctor quæst. 21.) Religio non tenetur illi, qui est notabiliter in dedecus, scandalum, & destructionem Religionis.

3. Probatur ex Regulis D. Augustini cap. 20. & D. Benedicti cap. 28. in quibus id expressè habetur; & ex prima Regula D. Francisci, in qua de casu speciali cap. 13. sic dicitur, *Si quis Fratrum Diabolo instigante fornicaretur, habitum, quem ex sua turpitudine amisit, deponat ex toto, & à tota nostra Religione penitus expellatur, & postea pœnitentiam faciat de peccatis.* Hęc Franciscus: quibus ostendit, fornicarium, ac ex consequenti similibus criminibus obnoxium, posse, & debere à Religione eiici.

4. Probatur ex Iure, quod cap. finali de Regular. supponit, hanc eiectionem fieri posse: & cap. *Cùm ad Monasterium*, de Statu Monach. decernit, Monachum proprietarium expellendum.

5. Probatur ex concessionibus Pontificum: nam Innocentius IV. in declaratione Regul. Minorum in 2. tractatu concedit hanc facultatem; quam etiam impartitur bulla inchoata, *Iustis petentium*, & alia quæ incipit, *Paci, & tranquillitati*, & Alexander IV. bulla inchoata, *Iustis petentium*: & Sixtus IV. in Mari magno Minorum, cuius initium, *Regimini*, & multi alij Pontifices, qui illam facultatem supponunt. Ac sic tenent quam plurimi celebres Doctores post DD. Thomam & Bonauent. quos recenset Sanchez in Summa lib. 6. cap. 9. num. 3.

Ex quibus concluditur contra eumdem D. Bonau. c. 14. in Regul. Minor. non solùm illos qui scandalo sunt secularibus, sed etiam qui scandalo sunt Religiosis, posse, & debere eiici, cùm præmissa iura & rationes vniuersaliter ad vtrosque extendantur.

Digitized by Google

Nec obstat 1. cap. *Impudicas*, & cap. *Si quis sacro*, 27. quæst. 1. tum quia illa capita desumpta sunt ex Concil. Prouinciali Triburiensi cap. 6. & ideò vim decreti vniuersalis non habent; tum etiam quia minimè decidunt, numquam posse Regularem eiici, sed ob speciale luxuriæ crimen iubent Moniales in Monasteria & ergastula recludi, vt sceleris sui pœnitentiam agant.

Non obstat 2. cap. finale Regular. quia non loquitur de eiectis in perpetuum, sed tantùm de eiectis per aliquod tempus, vt fieri solitum erat antiquitùs, vt docet citatus Sanchez: & de fugitiuis, vt verba illius capitis ostendunt: & quamuis intelligeretur de eiectis in perpetuum, illi capiti derogatum est per caput superiùs citatum.

Hæc autem nostræ propositionis veritas extenditur ad Moniales, quæ sine dubio eiici possunt, & antiquitùs per aliquod tempus eiiciebantur, vt probant præcitati Canones, & rationes adductæ; sed cùm non constet, quòd aliquando in perpetuum eiectæ fuerint: ideò non consulerem id faciendum, sed priùs præmonendum summum Pontificem, ipsiusque sententiam expectandam, & sequendam iudicarem.

Quoad verò secundam, videlicet quòd Generales & Prouinciales possint ab Ordine eiicere subditum Regularem, probatur. Ac 1. nam ad eos per se spectat facultas, Regularem eiiciendi ad Ordine, ad quos spectat, per se regere, & gubernare Ordinem, & ipsius membra; eaque dum opus est, corrigere, & castigare. Sed illud spectat ad Generales, & Prouinciales; ergo ad eosdem spectat facultas Regularem ab Ordine eiiciendi. Cùm enim, vt supra probatum est, huiusmodi facultas sit in quolibet Ordine, sitque facultas iurisdictionis contentiosæ; ex sequela necessaria eis huiusmodi facultas conuenit; cùm cæteræ facultates iurisdictionis contentiosæ eis conueniant: non verò aliis Prælatis inferioribus.

2. Probatur ex concessionibus Pontificum, inter quos Alexander VI. bulla quæ incipit, *Cùm sicut nobis*, hanc facultatem facit dictis Prælatis Ordin. Minor. cum aliqua restrictione, his verbis, *Cùm sicut nobis nuper exponi fecistis, interdum contingat, in Ordine aliquos Fratres adeò humani generis hoste procurante, in reprobum sensum datos reperiri, vt nulla ex re corrigi, & rectam ad semitam reduci possint: nos attendentes dicto Ordini & conseruationi obseruantiæ vestræ omninò conducere, vt personæ sic incorrigibiles, ne alias corrumpant, & inficiant, à vobis eijciantur, tibi & Generali Vicario pro tempore existenti, per vosmetipsos dumtaxat, & aliis Vicariis Prouincialibus dicti Ordinis, per eos, cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis, Religiosos dicti Ordinis, quos sic incorrigibiles reperieritis, tanquam membra putrida, habitu vestro expoliandi, & à vobis eiiciendi: ac contrà quoscumque eis forsan auxilium, consilium, vel fauorem, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, & quouis quæsito colore, suprà dictis habitus delatione, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis existant, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, procedendi: omniaque alia & similia in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet, & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi: auxiliumque brachij secularis, si opus fuerit, inuocandi, plenam & liberam, & omnimodam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem.* Quibus patet, hanc facultatem concessam esse dictis Prælatis, cum illa tamen restrictione: vt videlicet Prælati Generales sine aliquo, vel aliquibus adiunctis: & Prouinciales cum consensu maioris partis capituli id possint. Cuius concessioni accessere concessiones Sixti IV. Eugenij IV. & Pij IV. Ordini Cassinensi factæ: quibus videlicet concessionibus proximè memoratorum Sixti & Pij, expressè derogatum est prædicto cap. finali de Regular. quo decernebatur, eiectos esse perquirendos, vt docet Iacob. de Graffis lib. Consil. consil. 5. num. 8. & 16. de Regular. Et Marcellinus à S. Benedicto in Compend. priuileg. Fuliens. verbo *Eiectio*. §. 1. & in Schol. §. 3.

Accessit etiam Pij V. an. 1566. Ordini S. Hieron. facta concessio, relata à Sorbo, verb. *Eiicere*, quâ *Capitulum generale aut priuatum potest Fratres delinquentes in casibus, in quibus quis ad mortem damnatur, aut in aliis delictis grauibus, aut grauissimis, velati inobedientia, contumacia, seu incorrigibilitatis, vsque ad priuationem habitus inclusiuè punire, & castigare.* Imò idemmet Pius an. 1567. statuit, quòd Capit. gener. non expectato, per solum Priorem Generalem prædicta damnatio, & relegatio possit fieri perpetuò, vel ad tempus, &c. Dummodò hæc omnia faciat de consilio Seniorum; vt habetur in Compend. dictæ Congreg. per Garsiam compilato, & ex dicto Comp. Fuliensium.

Ex præmissis concessionibus, & aliis quæ in Compendiis priuilegiorum diuersorum Ordinum referuntur, colligitur, quòd vt quis à Monasterio eiiciatur, & habitu priuetur, quatuor sunt necessaria. Primò, vt eiectio fiat propter crimina supra dicta. 2. Vt fiat à Capitulo generali, vel à Generali de consilio Seniorum: vel à Prouinciali in capitulo Prouinciali. 3. Vt eiectio fiat seruatis seruandis (id est) causa cognita auctoritate iudiciaria per Sententiam diffinitiuam: vt docent Archidiac. in c. *Peruenit*, 27. q. 1. Nauarrus Concil. 50. de Regular. Graffis parte 1. Decis. lib. 3. cap. 5. nu. 82. & lib. Conciliorum, consil. de Regular. nu. 19. Quartò, quòd Prælati eiicientes possunt censuris cogere illos, qui eorum facultatem quoad hunc actum impediunt. 5. Quòd possunt sic eiectum habitum reassumentem censuris vsque ad denunciationem inclusiuè cogere; ad hoc etiam adhibito, si necesse esset, auxilio brachij secularis.

Nec obiicias 1. quòd sic eiicere crudele est; nam respondebitur, quòd misericordia Prælatorum indulgentium potiùs crudelis dicenda est, vt ait D. Bonauentura quæst. 14. super Regul. Minorum: *Crudelis est miseratio, vnde plures, & meliores grauiter offenduntur: sicut qui furem liberaret, vnde pauperes expoliarentur: maximè cùm tales longo vsu tupefacti rarissimè vtrè, & perseuerantes emendentur; & facilis remissio altiùs audaciam præbeat delinquendi.*

Non obiicias 2. Decretum congregationis Cardinalium explicationi Trident. præpositæ, quo hæc potestas reuocatur his verbis, *in posterum nemo Regularium eiiciatur à Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis; sed peccantes à superioribus ignominia & carcere castigentur; & acriùs, si ipsis visum fuerit, pro modo delictorum puniantur.* Nam responsio in promptu est; per hoc decretum non reuocari prædicta priuilegia, vt notant collector priuileg. Congreg. Clericorum Regularium, scilicet Theatinorum, & collector priuileg. Fuliensium verb. *Eiicere*; quod etiam vsus docet, quo plurimi Regulares incorrigibiles eiiciuntur.

Non obiicias 3. citatum caput finale de Regular. quod quatuor statuit. 1. Vt præsidentes capitulis, seu Abbates, seu Priores, quærant annuatim suos Religiosos fugitiuos, aut eiectos. 2. Vt Prælati Regulares per censuras cogantur recipere huiusmodi Religiosos. 3. Vt si non possint in Monasterio à quo eiecti sunt, recludi, in alio, vel in ergastulo recludantur; & talibus vitæ necessaria ministrentur. Vltimum, vt si nolint redire, à Prælatis excommunicentur, & faciant per Episcopum eos tales denunciare. Quibus manifestum est, eiectos esse reuocandos, & si non possint morari in Monasterio, prouisionem de necessariis ad vitam illis deberi. Respondetur, totum illud caput intelligi de eiectis iniustè, vel defectu potestatis dimittentis, vel defectu causæ, vel ordinis iuridici substantialis seruati: secùs autem de iustè eiectis per Sententiam diffinitiuam rectè, & ritè latam. Ac sic tenent Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 36. & lib. 3. Concil. tit. de Regular. in 1. edit. consil. 51. Roderic. qq. Reg. tomo 1. quæst. 30. Azor. lib. 17. Instit. Moral. cap. 16. quæst. 2. & cap. 17. qu. 2. Respondetur 2. cum Sanche in Summ. lib. 6. cap. 9. num. 18. & aliis, quos tacito nomine citat idem Azor citatus lib. 12. cap. 17. qu. 1. totum illud decretum, cùm sit iuris humani, consuetudine abrogatum fuisse; neque enim Religionum, seu Ordinum præfecti Religiosos eiectos quotannis perquirunt, neque reducunt, neque repetunt: quare ex vi illius decreti non tenentur Prælati quærere, nec reuocare eiectos, sed seruanda sunt quoad hoc statuta Ordinum, & ius naturale, quod solos iniustè eiectos restitui dictat: & sic quærendi sunt, & ad pristinum statum restituendi, ac ego huius sum sententiæ; cùm caput illud de iustè eiectis non possit intelligi (vt legenti fiet manifestum.) Accedit 3. responsio, quòd licèt decretum illius capitis esset in viridi obseruantia, & sic obligaret prædictos Prælatos: interpretandum esset in casu, in quo reuocatio hæc eiectorum non afferret aliis scandalum & periculum; possentque commodè detineri, & corrigi; quod vix fieri potest, vt experientia docet: nam desperata eorum correctione, imminentique prædicto periculo præferendum est huic bono, commune Ordinis seu Religionis bonum. Sicque docent Antoninus 3. parte tit. 16. cap. 5. §. 5. Siluest. verb. *Apostas.* num. 10. qu. 6. Armilla, Cordubia, Laceb. de Graffis & Rodericus, quos refert Sanchez citatus nu. 19.

Postulabis 1. num solus Generalis, aut solus Prouincialis absque aliorum consilio possit Regularem eiicere. Respondetur, quòd stando in iure communi, & concessio-

nibus Apostolicis, id possunt etiam validè: nulla enim clausula adhibetur, quæ factum irritet, nec quæ ius commune abroget. Si autem licitè, id iudicandum ex tenore earumdem concessionum, in quo non video verbum quod in conscientia obliget; quocirca Nauar. in comment. 3. de Regular. nu. 32. quem sequitur Marcellin. à S. Benedicto citatus verb. *Condemnare*, §. 2. in Scholio ait, quòd Generalis id procul dubio potest, aut etiam Capitulum generale, adde etiam quod id possit Prouincialis, aut Capitulum Prouinciale, cùm ius hanc facultatem tribuat soli Generali: & Prouincialis in sua Prouincia Generalis habeat potestatem, vt alibi docuimus, & ratio militet pro ambobus, maximè cùm hæc facultas eidem Prouinciali ex iure naturali competat: quia est suæ Religionis caput in Prouincia quam regit, sicut Generalis in vniuersa Religione. Et sicut ad caput spectat, ea quæ in corpore superflua & nociua sunt, præscindere, sic ad caput politicum ea, quæ in corpore politico talia sunt. Excipe tamen illum Generalem & Prouincialem quibus per constitutiones Regulares hæc eiectio facienda vetatur, cum clausula nullitatis, vt in Ordine Minorum de Obseruantia, in quo prohibitum est Generali & Prouinciali vllam pœnam grauem infligere sine consensu maioris partis Diffinitorij, sub pœna nullitatis, & priuationis actû legitimorum in illo, qui sine hac forma castigat: quæ nullitas non sortitur effectum, nisi post sententiam iudicis, sicut etiam, & pœna, vt ex eisdem met patet. Ratio nostræ sententiæ est, quia illa circumstantia non est in constitutionibus Apostolicis apposita ad eiectionem illam validè faciendam, sed tãtùm ad illam consultiùs exequendam, vt alibi diximus de facultate ad absoluendum à manus violentæ iniectione: vel ad summùm apposita est ad eamdem licitè faciendam. Verùm licet hæc sententia quoad Prouincialem mihi videatur satis probabilis, non tamen consulerem eiectionem per illum faciendam, nisi adhibito Capituli Prouincialis consensu. Scio equidẽ decretum Congregationis Concil. Trident. iussu Vrbani VIII. editum, vt refertur à Barbosa in tract. de Constitution. & Decretis decernere, solum Generalem id posse in Capitulis, aut Congregationibus generalibus, & extra id tempus cùm vrget necessitas, de consilio sex Patrum. Sed cùm sit tantùm Congregat. Cardin. decretum, vim legis non habet, quæ destruat priuilegium, vt vsus contrarius demonstrat.

Postulabis 2. si in peccato apostasiæ, requiratur quarta, & in aliis delictis, ac etiam apostasiæ castigatio præcedere debeat eiectionem; ita vt sit nulla, aut illicita, si non præcesserit quartæ apostasię, & trinæ apostasiæ, & delictorum huiusmodi castigatio, & per annum in carcere inclusio, iuxta præfatum decretum Congregationis, iussu Vrbani VIII. emanatum.

Respondetur 1. quoad apostasiam non requiri quartam ex iure Ecclesiastico: sed tantùm in quibusdam Ordinibus ex eorumdem statutis, vt in Ordine Minorum de Obseruantia cap. & 5. sup. cit. in quo sic legitur, *Si verò quis adeò suæ salutis oblitus, & Satanæ potestati traditus, quartò apostatauerit, is velut incorrigibilis Religionis habitu perpetuò priuetur.* Respondetur 2. castigationem tum apostasiæ, tum aliorum delictorum pręcedentium, debere præcedere eiectionem: nam monitionem requisitam diximus in principio huius propositionis, vt quis incorrigibilis dicatur: correctionem autem per pœnitentiã impositam monitionem intelligimus; & illam vt necessariã bis sacra congregatio determinauit, videlicet die 21. Septembris 1624. & die 13. Nouembris 1632. licet, vt diximus, non sit necessarium, vt pœnitentia ab eiiciendo impleta sit.

Verumtamen si certò constaret de aliquo sic peruersè disposito, vt quacumque pœnitentia imposita, etiam excutioni mandata, non propterea emendando: vel constaret de illius ineptitudine ad agendam pœnitentiam, & ad carceris pœnãm sustinendam, & aliundè perseuerentia ipsius in delictis Ordini in quo professionem emisit, non mediocriter noceret, posset Prælatus absque monitione prædicta illum eiicire; ac proptereà nõ obseruare ea, quæ in duobus prædictis decretis ante eiectionẽ obseruanda mandantur, inter quæ vnum est, quòd incorrigibilis per annum in carcere, in ieiunio, & pœnitentia priùs manserit. Ratio est, quia nec Ecclesia, nec Pontifex, illud quod nihil prodest minimè præcipiunt; illa autem incarceratio, & alia pœnitentia huiusmodi Regulari, de quo est sermo, in hoc casu nihil penitus prodesse dignoscitur: imò aliquando est illi in obseruabilis, quam proptereà Prælatis Regularibus, subdito ante eiectionem imponere, non præcipitur. Confirmatur à simili; nã

sicut Prouincialis Minorum non tenetur examinare venientem ad illum Ordinem de fide Catholica, &c. si sciat certò Catholicum, licet ex iure Canonico in secundo capite Regulæ eorumdem, illi sub mortali huiusmodi examen præcipiatur (quoniam in illo casu illud examen esset superuacaneum) sic etiam de ante dicta forma in hoc casu seruanda iudicandum est, & à fortiori, cùm de obligatione illam obseruandi sub mortali, vel sub pœna nullitatis, minimè constet.

Postulabis 3. quis prouidebit iustè eiectis, maximè Sacerdotibus de vitæ necessariis, præcipuè illis Societatis Iesu, qui non ob grauia crimina, sed ob quosdam defectus, qui in eadem graues censentur, in vi suarum constitutionum à Sede Apostolica approbatarum eiiciuntur. Respondetur 1. Religionem eiicientem nullatenus ad id obligari; quoniam in anno probationis hæc pœna propter crimina, & defectus huiusmodi luenda illis proponitur, eique profitentes se submittunt, sicut cæteris aliis pœnis, & obligationibus in cõstitutionibus regularibus contentis, ac proindè quãdo infligitur non fit iniuria, cùm scientes & volentes eam acceptarint. Deinde Pontifices regulas, & constitutiones earumdem absolutè approbant, nec vllam mentionem faciunt de obligatione prouidendi eiectis, quod signum est, eam obligationem, haud esse Ordinibus & Prælatis earumdem impositam. Accedit, quòd sicut eiectio eis imponitur vt pœna, sic etiam priuatio administrationis necessariorum ad vitam.

Vltimò quoniam Prælati prædicti præscindunt a se, suoque Ordine illos eiectos; ac proinde ab obligatione eos alendi se vendicant: ac sic tenent Paulus Consil. 76. nu. 1. vol. 1. Surdus de Aliment. 7. quæst. 35. num. 1. quos refert Sanches citatus num. 20. Nec citatum caput finale de Regular. responsioni nostræ aduersatur; cùm non agat de perpetuò eiectis, vt suprà dictum est, sed tantùm de eiectis ad tempus. Eiectis autẽ iniustè non dubium est, quin prouidere debeant, cùm eos ad Monasteriũ reuocare teneantur: sicut & apostatas, ac fugitiuos, ac ex consequenti eis de necessarijs prouidere. Respondetur 2. Episcopum etiam non teneri prouidere de necessariis, nisi ea ratione qua cæteris pauperibus obligatur; nulla enim quoad hoc est ratio obligationis specialis, eò vel maximè, quòd Religiosis non sit ignominiosũ mendicare. Sic citatus Sãchez num. 14. Et hæc sufficiãt pro probatione secũdæ partis propositionis.

Nunc ad probationem vltimæ partis est veniendum, videlicet Episcopum non posse simul cum Prælatis Regularibus ad eiectionem Regularis concurrere, quod manifestum est ex plenissima exemptione Regularis ab Episcopi iurisdictione, quã omnes actus iuridici, inter quos est inflictio pœnę, Episcopo interdicuntur. Nec obiicias, Episcopum concurrere tanquam iudicem ad declarationem validitatis, aut inualiditatis professionis Regularis reclamantis; ac proinde debere etiam concurrere ad eiectionem. Nam respondetur, diuersam esse in his duabus facultatibus rationem: illa enim Episcopo à iure expresè concessa est, & quamuis non esset sic concessa, rationabiliter colligeretur est dubio, num reclamãs sit subditus Episcopo, an non? Hęc autem nullo iure reperitur Episcopo concessa, imò contrarium in iure habetur; cùm eiiciendus sit verè professus, & Episcopus nullum ius in verè professum possideat. Vltimò vsus ab antiquis temporibus vsque ad hæc eiiciendi regularem absque Episcopi consultatione, & declarandi professionem validam, aut inualidam vnà cum Episcopo, satis ostendit, diuersitatem rationis in his duabus facultatibus intercedere.

Ex quibus omnibus colligitur, dictis Prælatis Regularibus inesse facultatem eiiciendi Regularem incorrigibilem, independenter ab Ordinatio: nec teneri illi sic eiecto prouidere de necessariis ad vitam; ac propterea non posse ab Ordinario ad id cogi, cùm nulla in eos, in hoc casu polleat iurisdictione.

Hic autem notabis incorrigibilem eiectum non posse audire confessiones: nec prędicare sine peccato: posseque prælatos eiicientes proximè dicta munia obeuntẽ excommunicatione ferire: nihilominus facultate transeundi ad alium ordinem illi ab eisdem concessa, sic transeunti potestas prædicta munia obeundi similiter concessa censetur. Accipe verba Innocent. IV. B. *Iustis petentium desideriis* his terminis enunciata. *Ne prædictis, quos ab ordine pro suis culpis per vos expelli contigerit, vel egressi fuerint suo proprio motu, prædicare, seu confessiones audire, seu docere præsumant: nisi de vestra vel vestra licentia ad alium transierint ordinem, districtius inhibemus. Quod si fortè contra inhibitionem aliud fuerit temerè attentatum, liceat vobis in ipsos excommunicationis*

sententiam

sententiam promulgare. Hæc autem licentia transeundi non potest dari ad ordines militares, vt patet ex compend. priuileg. mendic. verb. eiicere, & maximè ex Mari magno Minimorum.

PROPOSITIO X.

POssunt prædicti Prælati, cùm opus est, Monialibus è monasterio egressum independenter ab Ordinariis permittere.

Casus plurimos enumerent Doctores, in quibus Moniales è suis Monasteriis de licentia eorum ad quos spectat, exire possunt. Controuertitur autem non de Monialibus immediatè Papæ, aut Ordinariis subiectis, sed de aliis regimini Prælatorum Regularium suppositis, num de sola licentia suorum Prælatorum Regularium in illis casibus exire valeant: & propositio est, quòd possint. Probaturque r. ex eo, quòd illi Prælati omnimodam potestatem, & iurisdictionem in Moniales sibi subditas possident, sicut Episcopi in suas; sed hæ de Ordinarij solius licentia exire possunt: ergo & aliæ de solius Prælati Regularis licentia: quoniam vt alibi docuimus, priuilegia absolutè Regularibus facta ad aliquid agendum independenter ab Ordinariorum consensu executioni mandari possunt. Priuilegia autem ad effectum exitus sunt absolutè concessa, vt ex priuilegiis cuiusque Ordinis constat, in quibus omnis iurisdictio in Moniales dictis Prælatis absolutè conceditur: illamque sic concessam euidenter supponit Pius V. bulla sæpiùs citata incipiente. *Etsi Mendicantium:* in qua postquam Pontifex asseruit, Moniales huiusmodi esse, *Messem alienam ab Ordinariis: nec in illorum Monasteria ingredi posse, nec dare licentiam ad ingrediendum*; posteà subiungit, *Nec etiam se intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum Monialium, & correctionibus, &c. sed omnia ista, & alia necessaria ad correctionem; & gubernationem Monialium huiusmodi, & eorum Generalibus, ac Ministris & Prouincialibus, vel aliis earum superioribus omninò relinquantur: nec vllo modo in præmissis, & aliis Moniales huiusmodi tangentibus Ordinarij prædicti per se, vel alios se intromittant.* Hæc Pontifex. Quibus constat, Ordinarios nullo pacto nullave ratione se posse ingerere in correctione, & gubernatione Monialium, & aliis easdem tangentibus. Quis autem non videat, dare licentiam ad Monialium exitum, esse actum gubernationis, vel correctionis, aut superioritatis? quo frui non possunt Ordinarij: ergo soli Prælati Regulares illa facultate potiuntur, possuntque absque assensu Ordinariorum Monialibus exeundi licentiam concedere. Et confirmatur ex Vrbano IV. qui interpretans Regulam Monialium Sanctæ Claræ quoad clausuram, & dispensationem illius, sic fatur. *Et propter huiusmodi necessitatis euidentiam, nulla eis concedatur licentia, vel facultas extra prædictam clausuram vlteriùs exeundi; nisi forte de mandato, aut auctoritate Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, cui à Sede Apostolica generaliter fuerit iste Ordo commissus.* Ergo de mandato aut ordine Cardinalis protectoris cui cura illarum à Papa commissa est, possunt Moniales illæ exire. Nam absurdum esset dicere, quòd dictus Cardinalis sine Episcopi licentia id non posset: tota autem facultas protectoris extensa est per Pontificem Benedictum XII. ad Prouinciales, multò magis ad Generales, vt patet ex supplemento Ordinis fol. 72. & ex Casarubio in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Clausura Monial.* Ergo illi soli absque assensu Ordinariorum hanc licentiam concedere possunt. Et confirmatur iterum ex Trident. sess. 25. cap. 5. in quo sic dicitur, *Dare autem tantùm Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis;* quibus verbis concludo, Episcopum posse concedere licentiam exeundi Monialibus sibi subditis, & superiorem Regul. sibi pariter subditis: cùm eadem sit ratio facultatis dandi licentiam ad exitum, & facultatis dandi licentiam ad ingressum Monasterij Monialium; quam ex Trid. potest solus Episcopus sibi subditis Monialibus, & superior sibi subditis concedere.

Nec obstat r. constitutio Pij V. inchoata *Circa pastoralis*, quâ Pontifex requirit Episcopi consensum in scriptis ad cuiuslibet Monialis exitum: sicut etiam declaratio Cardinalium à Roderico proximè citando allata. Quoniam per non vsum

hęc constitutio, sicut & Cardinal. declaratio in pluribus partibus non est recepta; deinde non debet intelligi de illis Monialibus quæ subditæ sunt Prælatis Regularibus; sed de illis, in quas Ordinarij iurisdictione potiuntur; & de immediatè Papæ subiectis: ac si de omnibus intelligeretur, non procederet prohibitio exitus Monialium, cùm occurrit causa legitima: vt resoluit Marcellinus a sancto Benedicto in Compend. priuileg. Fuliensium verb. *Concil. Trident.* §. 24. in Scholast. post Nauarr. lib. 3. Concil. tit. de Regular. consil. 48. Sic etiam tenent Roder. tomo 1. qq. Regul. quęst. 99. art. 6. idem Nauarr. consil. 6. de Statu Monach. & Comment. 4. de Regular. in 6. ad vers. 3. Quibus adiunge Mirand. de Sacris Monial. quæst. 3. articul. 6. conclus. 1. Suar. de Religion. tom. 4. lib. 1. cap. 9. num. 13. Bonac. de Clausura, & pœnis eam violantibus impositis, quæst. 1. puncto 8. num. 2. Lezana in Summ. qq. Regular. cap. 25. num. 21. Tambur. de Iure Abbatiss. dispur. 21. quæst. 6. Azor. Inst. Moral. pag. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. Sanch. in Præcep. Decal. lib. 6. cap. 15. nu. 28.

Nonobstat 2. illud Trident. cap. 5. sess. 25. de Regular. videlicet, *Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breue tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda*: Quoniam citatus Nauarr. & alij illud interpretantur de subditis immediatè Papæ, aut Ordinario; non autem de Monialibus subditis Regularibus Prælatis, cùm in eodem capite subdatur, *Dare autem tantùm Episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis*: & quoad hanc clausulam non reuocat priuilegia, quæ tamen immediatè post clausulam præcedentem reuocauerat. Nec obstat reuocatio priuilegiorum apposita præfatæ bullæ Pij V. quoniam quoad hoc non reuocat Tridentini facultatem in proxima clausula concessam, cùm Pontifex dicat, se velle adhærere Tridentino, vt præcitati Roderici & Nauarr. sentiunt. Vbi autem Tridentinum non viget, obiectio nullam vim haber.

Num autem moniales illæ quę in fundatione habent, vt è monasterio exire possint, nunc ab eodem exire valeant? Respondeo quod vbi Tridentinum & præfatæ bullæ non sunt receptæ, possunt licitè exire. Sunt etiam vbi Tridentinum est Receptum; quoniam, hoc non derogat fundationibus, ac propterea existimo Prælatos non debere illis inuitis etiam nouitiis eam seruandam præcipere. Vbi autem Bulla Pij V. recepta est exire nullatenus possunt, quoniam expresse comprehendit eas, quæ in fundatione habent vt possint è Monasterio exire. Et num. 20. voueatur à monialibus clausura? Respondetur non voueri sed tantum ab eis obseruari vt præceptum sicut latè probat Zipæus in consultat. can. lib. 3. de Regular. consul. 14.

Num 3. Præcepto clausuræ possit adici pœna nullitatis professionis, & aliæ? Respondeo non posse, nisi à Papa, nam sicut nullus Prælatus potest pœnas nullitatis matrimonio carnali imponere, sic nec matrimonio spirituali professioni scilicet religiosæ; ita Sanches de matrimonio. lib. 7. disp. 1. posse tamen alios prælatos illum pœnam indirectè imponere auferendo potestatem præfecta admittendi ad professionem cum tali defectu, quo interueniente professio facta, defectu consensus efficitur nulla sic idem Sanches oper. moral. lib. 3. cap. 4. n. 71.

PROPOSITIO XI.

INgressus in Monialium monasteria aliquando illicitus est, aliquando verò licitus: independens autem ab Ordinario, si monasteria ab illorum iurisdictione sint exempta.

Vt hæc propositio explicetur & probetur, notandum est primò, nomine monasterij, claustrum, domum & officinas interiores ex Innocentij IV. declaratione intelligi: non verò alia loca ad quæ sæculares conuenire solent, ex declaratione Nicolai III.

2. Monasterium Monialium sic nuncuperi, dum in illo tres aut quatuor Moniales post votorum solemnium emissionem regulariter viuunt, siue seruent clausuram, siue

non, quæ communi vocabulo Moniales dicuntur: vt expresè declarauit idem Nicolaus cap. *Exijt*, de Verborum signif. vers. *Nomine Monasterij*; in quo refutat opinionem aliquorum antiquorum, qui nomine Monacharum solas inclusas pauperes intelligebant.

3. Illam Monialium habitationem in qua Ecclesia, aut oratorium non est ritè erectum pro celebratione missæ, vel in qua nō est declarata clausura à legitimo earumdem Prælato; licèt plures Moniales in ea morentur, non esse Monasterium: vt tenent Portel. in Dub. regular. verb. *Monasterium*, in addit. §. 1. Sorbus verb. *Ingredi*, num. 11. & alij teste Coriolano p. 2. cas. 3. quæst. 2. nu. 29. adducente decretum Congregat. Cardinal. editum 1584. Sic etiam censet Bonacina de clausura, quæst. 4. punct. 1. proposit. 1. Ex quibus aduerto cum citato Portel, tria esse de essentia Monasterij, primum, Vt sint tres aut 4. Moniales, quarum vna sit præfecta. 2. Quòd inibi sit Ecclesia, vel oratorium. 3. Quòd sit clausura declarata à Prælato legitimo.

Notandum est 4. & vltimò huiusmodi ingressum minimè fuisse antiquitùs prohibitum, sed permissum omnibus; imò & Monachis & Monialibus, sicut & egressum, dummodò fieret de licentia suorum superiorum: & quod mirabile est, Monachi & Moniales in eisdem Monasteriis conuiuebant, quæ propterea monasteria dupla nuncupabantur. Crescente autem hominum malitia, & plurimis ex huiusmodi cohabitatione exortis scandalis, in sacra vniuersali Synodo 7. cap. 2. relato cap. *Diffinimus*, 18. quæst. 2. sic conclusum est, *Diffinimus minimè duplex monasterium fieri, quia scandalum id, & offendiculum multis efficitur: si verò aliqui cum cognatis mundo renunciare & monasticam vitam sectari voluerint, debent quidem viri, virorum adire cœnobium, feminæ verò mulierum ingredi Monasterium: in hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus fuerunt dupla secundum regulam sancti Patris nostri Basilij, & secundum perceptionem eius ita formentur, vt non habitent in vno monasterio Monachi; & Monacha: adulterium enim intercipit cohabitationem, si habeat aditum Monachus ad Monacham; & vel Monacha ad Monachum secreto, singulariter ad collocutionem.* Et paulò post, *Non cubet monachus in mulierum monasterio; nec singulariter cum monacha conuiuat.*

Sed cùm per illam Concilij diffinitionem ingressus in monasteria, & egressus monialium non esset prohibitus, Gregorius IX. confirmando Regulam S. Claræ à B. Francisco editam, in qua huiusmodi prohibitio continetur, *Vniuersis Christi fidelibus prohibuit, ne intrent in monasteria S. Claræ, nisi in casibus expressis in dicta Regula, alioquin contrarium præsumentes sententiam excommunicationis incurrunt.* Successiuè Bonifacius VIII. debitè informatus de dissolutione quæ in ingressus monasteriorum Monialium per vniuersam Ecclesiam reperiebatur, ad eandem clausuram antè Monialibus S. Claræ præscriptam, omnes Moniales obligauit bulla inchoata, *Periculoso*, de Statu Regular. in 6. in qua & Monialibus è suis monasteriis egressum, & aliis vtriusque sexus tum sæcularibus, tum regularibus in eadem monasteria ingressum prohibuit. Quam constitutionem, vt ab vniuersa Ecclesia obseruandam, Tridentinum cap. 5. sess. 25. de Regular. inseruit; & addidit excommunicationem latæ sententiæ, ab iis qui eam non obseruarent, incurrendam. Cui Pius V. adhærendo bullam, quæ incipit *Circa Pastoralis officij*, edidit, vt multiplicatis monitionibus & præceptis ingressus huiusmodi proscriberetur.

Priuatas alias prohibitiones ad huiusmodi ingressum, præcipue in monasteria monialium S. Dominici; & Conceptionis, quæ habent adiunctam excommunicationem, reperies in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Ingredi*, quas omitto, vt tandem veniam ad constitutionem Gregorij XIII. quâ ingrediens in monasteria virorum ac mulierum prætextu licentiarum à Sede Apostolica, aut ab Episcopis, vel ab aliis Prælatis obtentarum, ipso facto excommunicatur. His positis.

Probatur propositio quoad 1. partem, videlicet, quòd ille ingressus est illicitus: ac 1. talis est, cùm quis ingreditur in monasteria S. Claræ, S. Dominici, & Conceptionis; estque subiectus excommunicationi latæ sententiæ, vt suprà notatum est, si fiat sine legitima facultate. Illicitus est 2. & excommunicationi subiacet, vbi Tridentinum est receptum, si quis in quælibet monialium monasteria ingrediatur; constat hoc ex suprà notatis. 3. Est etiam illicitus, dum quis ingreditur in monasteria mulie-

rum, aut cum mulier in monasteria virorum, aut mulierum prætextu prædictarum licentiarum ingreditur, & excommunicationi addicti sunt.

Quoad verò secundam partem 1. ingressus non est illicitus sub excommunicatione, vbi Tridentinum, & dicta bulla Pij V. illius Concilij caput præmissum interpretantis, & altera eiusdem Pontificis inchoata *Circa Pastoralis*, & Bulla Gregorij XIII. inchoata, *Deo sacris*, id ipsum etiam confirmantis, & innouantis, non sunt recepta; non sunt autem receptæ hæ duæ bullæ vbi Tridentinum non est receptum, quia illud dumtaxat supponunt, & innouant. Dixi non esse illicitum sub excommunicatione: nam quatenus à cap. *Periculosa*, est prohibitus; illicitus est tantùm venialiter, non letaliter, vbi illud caput à Bonifacio conditum est receptum; vt optimè post Suarium, quem citat, aduertit Sanches in Summa cap. 17. nu. 9.

Præterea etiam licitus est in locis, in quibus prædicta Gregorij XIII. bulla non est recepta, si fiat prætextu licentiarum antea (vt suprà dictum est) obtentarum: & vbi recepta est, si quis non prætextu licentiarum, sed alio motiuo ingrediatur, vt tenet Sanchez in Summa lib. 6. cap. 16. & multi alij; quoniam hæc bulla non excommunicat, nisi ingredientes hoc prætextu; esset tamen illicitus aliunde nempe cap. *periculoso* citato & Trident. & aliis bullis, vbi receptæ sunt. Si autem hæc bulla, Greg. & aliæ prædictæ sint receptæ, an nõ videantur archiuia Episcopatuum, & interrogentur seniores & doctores: nam vsus varius est, cùm in quibusdam locis & Moniales leui de causa è claustris egrediantur; & simili de causa ad eadem pateat ingressus: & in aliis ingressus & egressus sit admodum difficilis, & non nisi graui de causa concedatur.

2. Licitus est huiusmodi ingressus in locis in quibus Moniales morantur, si desit aliqua ex conditionibus, quæ naturam monasterij constituunt: qua propter licitus est ingressus in domos Monialium, in quibus non est (vt suprà) declarata clausura: quemadmodum huiusmodi ingressum, etiam mulierum in virorum monasteria, excusant Portel, Sorbus Coriolanus & Bonacina præcitati. Licitus est etiam ingressus in eadem monasteria, si in eisdem non sint oratoria, aut Ecclesiæ ritè erectæ. Licitus denique est ingressus in monasteria, in quibus non morantur ordinariè nisi duæ Moniales; vel si morantes sint plurimæ virgines, quæ votum, sed non solemne emiserunt. Ratio omnium horum est; quia (vt superiùs notatum est) vel hæ domus non sunt monasteria, vel morantes non sunt moniales, seu monachæ.

Nec obiicias Gregorium IX. explicando regulam Minorum declarasse, per monasteria intelligi quælibet cœnobia: Cœnobium autem non est monasterium, sed habitatio monialium, siue monasterium sit, siue non: nam respondetur, Gregorium per illud verbum voluisse omnia monasteria propriè dicta intelligi, vt manifestè cõstat ex verbis illius. Cùm enim ab illo quæreretur num prohibitum esset Minoribus ingredi cætera monasteria Monialium, sicut illis prohibitum erat ingredi monasteria pauperum inclusarum, respondit, ingressum in omnia Monialium omnium monasteria, seu cœnobia esse illis prohibitum. 3. Licitus est idem ingressus præcipuè regularibus in quibusdam casibus ex multis priuilegiis eisdem concessis, insertis in Compendio priuileg. Mendic. & aliis compend. priuileg. verb. *Ingredi Monasteria*; quæ hic adducere esset superuacaneum. Ex quibus aliqui enumerant sex casus, in quibus hic ingressus est illis licitus; alij septem, alij denique plures: qui tamen compendiosè ad tria capita reducuntur; de qua materia vide Sanchem in Summa lib. 6. cap. 16. nu. 42. & seqq. Primum est *Vera necessitas*, vt pote ad incendium extinguendũ, latrones expellendos, hostes, & quasuis violentias propulsandas, phræneticam continendam, infirmæ per obsequium necessarium succurrendum; & ad alias huiusmodi consimiles necessitates, in quibus etiam, velut ex rei natura, ille ingressus licitus est.

Secundum genus est, *Grauis vtilitas*, vtpote pro opere exercendo, quod extra monasterium commodè exerceri non potest; idque locum habet in quocumque opere ædificij, resarcimenti, plantationis arborum, quod regulares, æquè bene ac artifices sæculares, facere possunt: dummodò absit dolus; & hæc facere debent deputati Monialium obsequiis, vt confessarius, capellanus, & socius. Sic Portel. verb. *Clausura*, num. 13. Hieron. Roder. resolut. 26. nu. 23. qui addunt, quòd Prælatus inferior, videlicet localis, de licentia prælati superioris, etiam virtuali, potest deputare vnum fratrem aptum ad aliquod opus faciendum intra clausuram.

Tertium genus est, *Congrua sacramentorum, & sacramentalium administratio,* cuius occasione potest ingredi ille, cui competit audire confessiones infirmarum decumbentium, Eucharistiam, & Extremam-vnctionem ministrare, exorcismos adhibere, sepulturam facere, & aliquas benedictiones, quæ extra claustrum fieri non possunt. Item potest Prælatus regularis, aut Monialium confessarius ingredi ad missam coràm infirma celebrandam, quando multo tempore ob infirmitatem audire nō potuit; modò rectò vadat, & reuertatur absoluta missa sine diuerticulo, nec loquatur. Sic Roderic.tom.3.QQ.RR.q.4.art.3.Hieron.Roder.resol.25.nu.20. & resol.26.nu.21. Potest etiam similiter ingredi, quotiescumque Moniales cōmunicare tenentur ex præcepto regulæ, siue ex alia rationabili, seu pia causa Eucharistia eis ministratur, & adest aliqua Monialis, quæ absque salutis corporeæ dispendio ad cratem venire non valet. Et denique quoties infirma dixerit se indigere Pœnitentiæ sacramento, nullo etiam expectato mortis periculo; vel necessitate extrema. Sic citatus Roder. tom.1.q.47. art. 4. Sanchez tom. 3. Summæ l. 6. c. 16. n. 45. & 46. Miranda de Sacris Monial. q.22. art. 17. & 18. Hieron. Roder. resol. 26. n. 22. & Portel. verb. *Clausura Monial.* nu. 9.

Item potest confessarius ingredi in dicta monasteria ad renouandum Eucharistiæ sacramentum in interiori Ecclesia repositum; quia cùm Moniales sub cura Generalis ministri Minoritarum ex concessione Clementis VII. prout habetur in compend. priuileg. Mendic. verb. *Eucharistia.* §. 2. hoc priuilegio potiantur, vtique ex eadem cōcessione ad illud renouandum facultate ingrediendi cōfessarius gaudet, nonobstante decreto SS. Congreg. de die 7. Martij 1612. relato à Barbosa in Collect. verb. *Moniales.* Cuius veritatem probat vsus Capucinarum, seu Clarissarum vrbis Romæ, teste, & ita sentiente Archang. Roman. de Priuileg. lib. 3. verbo *Eucharistia,* sententiam magni facio: quippe qui scripserit Romæ sedente Vrbano VIII. eiusque scripta à Vicegerente, à Magistro S. Palatij, & à pluribus doctoribus diuersorum Ordinum regularium in eadem vrbe commorantium approbata, & eorumdem consilio aucta & correcta fuerunt, vt ipse in frontispicio sui operis asserit.

Hùc etiam spectat ingressus cōfessarij, vel eo absente socij sacerdotis, vt adsit agonisanti: ac etiam ingressus superioris ad visitationem faciendam; capitulum celebrādum, admonitionem officio competentem habendam; siue etiam concionem, vbi exteriùs haberi non potest. Sic citati Rodericus, Miranda & Corduba in cap. 11. Regulæ Minor. q. 2. punct. 2. nu. 7. Non minùs hùc spectat (quidquid aliqui dicant in contrarium) priuilegium à Leone X. concessum Prælatis Minorum, vt videlicet possint dare licentiam prædicatoribus subditis ingrediendi clausuram Monasteriorum S. Claræ ad faciendam concionem de Calenda: dummodò ingredientes sint & senes, & vitę exemplaris; vt habetur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Ingredi*, nu. 33. Atque hoc priuilegio gaudent cæteri Prælati Regulares per respectum ad Moniales sibi subditas. Nec obiicias, hunc ingressum subiici saltem peccato veniali, propter cap. *Periculoso* præcitatum, quod prædicti Pontifices confirmant, & innouant; nam respondetur illam innouationem & confirmationem esse sublatam pluribus priuilegiorum Regularium ex certa scientia confirmationibus; ac propterea illud priuilegium stare. Ac sic tenet Corduba in cap. 11. Reg. Minorum quæst. 2. punct. 2. casu 5.

Hùc denique pertinet ingressus in monasteria subdita prælatis, aut personis sæcularibus, & alia prælatis regularibus alterius Ordinis subdita; quando videlicet ab iisdem Prælatis, aut aliis quibuscumque curam monialium habētibus vocantur, vt secum intrent, vel vt soli intrent; facturi in monasteriis nomine eorumdem, quæ ipsi per se, aut per subditos facere possunt ex concessione Leonis X. in Compend. priuileg. Mendic. verb. citato, & alibi relata. Excipe tamen ab hoc priuilegio monasteria S. Claræ, in quæ alij regulares præter Minoritas, etiam vocati, ingredi non possunt sine lepra excommunicationis, quam ex constitutione Apostolica incurrunt: contrariam tamen sententiam, vbi viget Tridentinum, tenet Sanches citatus num. 20.

Obiicies, hæc omnia concessa fuisse per Leonem X. nunc autem esse reuocata per Tridentinum sess. 26. cap. 5. & per pium V. Bulla, cuius initium *Regularium personarum*, & per Gregorium XIII. bulla inchoata, *Vbi gratia.* Respondetur, Trident. non reuocare, cùm ex declaratione prefata Pij V. non comprehendat Mendicantes, nec habeat clausulam reuocatoriam huius priuilegij, ad derogationem necessariam.

Digitized by Google

Quod similiter dicendum foret ad caput 7. eiusdem sess. si quis illud opponeret, quod etiam responderur de prædictis bullis Pij & Gregorij: non enim realia, sed personalia, seu certis generibus personarum concessa priuilegia reuocat. Sic citatus Roder. tom. 1. quæst. 47. art. 8. & alij. Requiritur tamen ad hunc ingressum, vt subditus ingrediens à suo Prælato licentiam obtinuerit: sic eadem concessione habetur.

Num autem sæcularis ingrediens incurrat has censuras? Respondetur incurrere, nisi sit Rex, aut Regina, aut filius, vel filia Regis, aut fundator & fundatrix: qui omnes cum decenti comitatu ingredi possunt licitè in monasteria Monialium, ac etiam virorum: vt decisum fuit, quoad fundatores & fundatrices à Doctoribus Sorbonensibus in hac materia consultis. Quoad verò Reges & Reginas, filios & filias eorumdem, tenet Sanches in Summa lib. 6. cap. 17. num. 5. & 6. Certior tamen hæc sententia est quoad fundatores & fundatrices in Ordine Minimorum, qui hanc facultatem habent ex sua regula, cui derogare Greg. XIII. noluit, vt ipsemet declarauit teste Sanche proximè citato nu. 7. post Roder. & Passarell.

Hic autem aduertas tria quoad huiusmodi ingressum. Primum, quòd ingrediens licitè non tenetur finito negotio, aut opere, statim exire, sed potest aliquantulum ibi licitè morari, etiam quadam curiositate videndi officinas & interiora domus; dummodò absit dolus, seu aliqua deprauata intentio. Sic vterque Roder. Miranda, Portel. Sanches, Casarub. Corduba & Ortiz: imò si ingressus ibi moraretur intentione praua, licitè contra votum castitatis peccaret; non tamen contra prohibitionem Ecclesiæ, nec Minorita contra præceptum suæ Regulæ ingressum vetans, vt optimè notant Zerola in Praxi Episcop. verb. *Moniales*, & Sanches lib. 6. Oper. cap. 16. n. 63. Secundum quòd licèt ingrediens ad ministranda dicta sacraméta ex Vrbano IV. & Gregorio IX. relatis à Roder. proximè citato art. 4. debeat cum socio indui alba, stola, & manipulo, vel saltem superpelliceo; non tamen ad id sub peccato obligatur: vt cum eodem sentiunt alij. Tertium te aduertere desidero, quòd non omnis ingressus in dicta monasteria absque priuilegio factus subiicitur excommunicationi; nam ille qui bona fide factus est, videlicet causa iusta, vel licentia ad ingrediendum existimata (licet à parte rei non sic se habeat) non est damnandus, nec moniales ad eundem ingressum similiter consentientes. Sic Roder. QQ. RR. tom. 10. quæst. 47. art. 2. Villalob. 2. p. tract. 33. dist. 46. num. 6. Portel in Dub. Reg. verb. *Clausura Monial.* num. 7. Hier. Roder. resol. 26. n. 18. & Miranda de sac. Monial. post Nauar. quæst. 2. art. 11. concl. 2. imò addit citatus Sanches num. 81. quòd huiusmodi ingressus virtute prædictarum licentiarum à Greg. XIII. reuocatarum (factus ex ignorantia prædicti Gregorij Decreti, quantumcumque culpabili, & crassa) nisi adeò esset crassa, vt reputaretur ingens temeritas, non subiicitur præfatæ excommunicationi.

Tertia pars propositionis probatur ex declaratione præfata Pij. V. in qua postquam pronunciauit, Episcopum posse dare licentiam ad ingrediendum in Monasteria sibi subdita, postea addit, *In quibus, in casibus necessariis dare licentiam possint, & non in aliis Monasteriis, ita vt in præfatis Monasteriis, quæ Ordinariis ipsis pleno iure non sub sunt, ipsi Ordinarij illa ingredi non possunt.* In quibus vides non posse Episcopum illa monasteria ingredi, nec ad ingrediendum posse dare licentiam.

Quis autem ad ingrediendum dare licentiam possit? certum est, Prælatum huiusmodi monasteriorum id posse; ac ingredi in illa, in quibus alij de ipsius licentia possunt, vt citatus Sanches num. 2. docet ex verbis bullæ Gregorij XIII. inchoatæ, *Dubiis quæ emergunt.* Num autem Præfectæ earumdem id possint? sententiam ex vtraque parte probabilem refert Sanches, negatiuam tamen loco superiùs citato cap. 16. n. & 22. sustinet.

Notabis hic sub finem 1. Minoritas non posse vti priuilegiis ad ingrediendum monialium Monasteria generaliter concessis aliis Regularibus, & sæcularibus; quia ex eorum Regula requirit vt ipsis specialiter concedantur.

Secundò, quòd vti non possunt licentia concessa ab Innocent. IV. ingrediendi in Monasteria Monialium, exceptis Monasteriis earum quæ antiquitus vocabantur inclusæ, Quia hęc licentia est expositio Regulæ, Quæ reprobata fuit ab Nicolao III. decretali. *Exiit qui seminat*, de verb. signif. in 6. quæ transiuit in ius canonicam; cum sit in iure cõmuni inserta. Nec obiicias Greg. X. concessisse vt Minoritas possent illa

expositione in hoc casu vti de licentia Ministri generalis;nam hæc concessio videtur esse dispensatiua Regulæ,vt docent auctores compendiorum priuileg. Minoritarum, postquam concessionem Nicolaus III. præfatus dictam decretalem condidit.

PROPOSITIO XII.

PRæmemorati Regulares Prælati possunt erigere Monasteria, seu Conuentus, absque Episcopi Diœcesani licentia; & de illius consensu idem possunt, nullius alterius, siue Regularis, siue sæcularis consensu requisito.

Quòd olim fuerit prohibitum Regularibus Mendicantibus Conuentus, & Monasteria sine Sedis Apostolicæ facultate erigere, constat ex cap. *Cum ex eo*, de Excess. Prælat.in 6. Verùm post Bonifacium huius constitutionis conditorem,alij Pontifices, cum clausula illius prohibitionis reuocatoria facultatem erigendi Conuentus Prælatis prædictis cõcesserunt: inter quos est Xistius IV. in mari magno Fratrum Prædicatorum, in quo expressè inhibetur Ordinariis, ne impediant dictos Fratres, quo minus nouos Cõuentus ædificent. Successiuè Iulius II. prout refertur in Compendio priuileg. Mendic. verb. *Ædificare*, §.10. & in bulla quæ incipit, *Exponi nobis fecisti*, in qua post narratam concessionem factam Fratribus Minoribus, videlicet quòd si à Principe, Duce, Marchione, aut Comite, vt aliquam domum dicti Ordinis ædificarent, requisiti, domum huiusmodi pro vsu & habitatione perpetua Fratrum recipere possent, &c. exorto dubio super quibusdam verbis in hac concessione positis, sic pronunciat, *Volumus,& auctoritate Apostolica decernimus, quòd litera prædicta valeant: prædictisque Fratribus suffragentur (constitutione Bonifacij prædecessoru prædicti non obstante) in omnibus & per omnia, perinde ac si in eis non verba, videlicet, quòd Fratres prædicti Ordinis vocati à populo possint ædificare domos pro vsu,& habitatione perpetua Fratrum prædicti Ordinis, nonobstante eadem constitutione Bonifacij prædicti: sed verba, quòd prohibetur vniuersis Prælatis, & aliis per priuilegia dicti Ordinis; ne prohibeant quòd Fratres euocati à populo ad ciuitates, vel villas accedere audeant, & ibi pro suis vsibus possint construere ædificia, Ecclesias, seu Oratoria: nec in accedentes Fratres, vel construentes, vel receptatores eorum, sententias excommunicationis ferre præsumant, apposita fuissent, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus.* Hæc Pontifex. Quibus absolutè hæc facultas Prælatis Regularibus conceditur erigendi conuentus; ac proinde independenter ab Ordinatio, vt in simili alibi probatum est: & ex prohibitione præ inserta impediendi huiusmodi erectiones, facta Ordinariis euidenter colligitur. Expressiùs hanc facultatem idem Iulius Fratribus Minimis concessit, vt habetur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Ædificare*, §.20. His verbis, *Vt domos, seu Ecclesias, loca,& Oratoria quæcumque pro eorum perpetuis vsu, & habitatione possint construere, & ædificare, seu construi, & ædificari facere, absque alia desuper facienda noua constitutione Apostolica,* &c. *Ac ne Prælati Ecclesiastici quicumque cuiuscumque nobilitatis existant, in aliquo damnificare, molestare, perturbare; nec inquietare nullatenus audeant, sub excommunicationis latæ sententia pœna conseruatores inhibere possint.*

Nec obiicias, Tridentinum sess. vlt. de Regular. cap. 3. quoniam vbi non est receptum, nihil penitùs operatur; vbi autem viget, non destruit hoc priuilegium, cùm careat clausula reuocatoria eiusdem.

Accedit, quòd post Trident. Gregorius XIII. concessit hanc facultatem Societati Iesu, quam ante à Paulus III. eidem etiam concesserat, vt habetur in eiusdem Societatis priuilegiis verb. *Ædificia*: & post Gregorium Sixtus V. bulla quæ incipit, *Super specula*, Congregationi Fuliens. eamdem facultatem fecit: his verbis, *Ipsique sic missi in regnis, rebuspublicis, & dominiis prædictis: ac quibuscumque eorum ciuitatibus, terris, atque locis, aliisque mundi partibus, quacumque tam virorum, quàm mulierum Monasteria, Prioratus, præposituras & decanatus: ac alia nuncupanda loca Congregationis Fuliensis etiam nuncupanda, eiusdem Cisterciensis Ordinis, pro totidem Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, Decanis, Conuentibus, & aliis superioribus & personis eiusdem*

Congregationis, qui inibi diuinis laudibus & obsequiis insistere ac iuxta Regularia Congregationis sic reformata instituta, viuere debeant; fundare, erigere, & instituere, ac etiam iam per alios eiusdem, vel alterius cuiuscumque Ordinis fundata, & erecta, ex eorum ad quos spectat, & spectabit, concessione Diœcesanorum locorum, vel quorumuis aliorum licentia desuper minimè requisita, nec expectata. Hæc Sixtus. Successiuè Paulus V. vt in præfato Compend. Fuliens. refertur pro eadem Congregatione prædicti Sixti facultatem confirmando, *Inhibuit, & mandauit omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, aliis Ecclesiasticis Prælatis, & locorum Ordinariis, ac quibusuis potestatibus Ecclesiasticis & secularibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, Romano Pontifici reseruata, ne Regulares illius Congregationis super ædificatione Monasteriorum suorum quomodolibet molestent, aut in aliquo perturbent.* Et huius sententiæ est Marcellin. à Sancto Benedicto verb. ædificare & plures alij: fuitque hæc facultas in praxi in quibusdam locis, etiam in Gallia, vt in ciuitatibus Valentiæ & Engolismę, & aliis. Et quamuis non esset in vsu, non tamen propterea cessaret priuilegium; multa enim licent, quæ non semper conueniunt, inter quæ hoc priuilegium numerandum est.

Quòd autem de sola licentia Ordinarij vbique locorum possint ædificare conuentus, &c. nullo aliarum personarum cuiusuis Ordinis, etiam Regularium, requisito consensu (nonobstante constitutione Clem. VIII. quæ incipit, *Quoniam ad institutum*, subdata die 25. Iulij 1601.) constat ex constitutione Pauli V. relata in §. 2. Cōpendij citati Fuliens. Cōstat denique ex Bulla Pauli V. proximè dicti in fauorem reformatorum de Obseruantia Discalceatorum nuncupatorum, cum expressa clausula ante dictæ Clement. VIII. dispositionis derogatoria, quam posteà facultatem Greg. XV. ad reformatos eiusdem instituti vltra montes degentes extendit. Pauli constitutio incipit. *Ad vberes spirituales*, Greg. autem Bulla inchoat, *Alias fælic. record.* Verùm Gregorius XV. decretum Tridentini, & constitutionem præfatam Clement. VIII. per decretum à sacra Congregat. emanatum quod incipit, *Cùm aliàs*, in Augusti 1622. statuit, *Monasteria noua non posse institui, nisi in quolibet illorum, duodecim Religiosi ex redditibus & consuetis eleemosynis sustentari valerent, & cum consensu aliorum Conuentuum infra quatuor millaria existentium, ac vocatis & auditis Regularibus illorum Conuentuum, eisdemque consentientibus, nisi aliàs Ordinariis locorum constaret, Religiosos Monasterij sic erigendi, absque detrimento in Monasteriis, anteà in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè & congruè manu teneri, & ali posse.* Sic refert Lauret. de Franch. de Controuers. inter Episc. & Regular. § 100. cum sequent. Peyrin. de Priuileg. Regular. tom. 2. circa constit. 6. Greg. XV. Lezana in Summ. quæst. Regular. tom. 10. cap. 9. num. 35.

Denique Vrbanus VIII. huius Pontificis constitutioni Bulla inchoata, *Romanus Pontifex*, sub data 28. Augusti 1624. relata à Lauret. citato pag. 103. superaddidit prohibitionem finiendi cępta Monasteria, nō obseruatis prædictis Clement. & Gregor. constitutionibus. Illius Bullę Vrbani meminere Ioan. Mar. Nouarius in Lucer. Regular. verb. *Monaster.* num. 5. & Ioan. Anton. Nouar. eius frater in Summ. bullar. tit. de Monaster. ædificat. super bulla Vrbani VIII. Verùm idem met Vrbanus VIII. Idibus Maij 1625. priuilegia Dominicanorum restituit, ac ex consequenti possunt Regulares circa ædificationem Conuentuum quod antè Clem. VIII. poterant. Quod vsus in Gallia contrarius prædictis constitutionibus Clem. Greg. & Vrbani ostendit, cùm huiusmodi Monasteria aliqua, solius Episcopi licentia, aliquando etiam ipso contradicente ædificentur. Hæc dicta sint de nouis conuentibus ædificandis; nam de veteribus iam factis recipiendis nulla est quoad hoc difficultas; possunt enim Regulares eiusdem Ordinis: imò & diuersi illos accipere absque aliorum Regularium, ac etiam Ordinarij consensu; quoniam hæc acceptio nullo iure prohibetur: nam Tridentinum, quod hanc prohibitionem facit, loquitur tantùm de nouis conuentibus ædificandis, ne Monasteria nimis multiplicarentur, non intendit tamen per hoc decretum impedire conseruationem aut restaurationem factorum: ac sic declarasse S. Congregationem Cardinal. asserit Marcellin. à S. Benedicto verb. *Ædificia*, §. 2. in Scholio. Et merito cum Iuris communis sit vt domicilium sibi vnusquisque vbi lubet constituere possit. L. 3. 4. 6. 11. §. fin. L. 17. §. patris D. ad municip. dummodo

ei

ei interdictum non sit L. 31. eod. interdici autem ei non potest, qui sua culpa vacat, vt nulla quidem pœna? nisi in culpa alicuius reis locum habet. Sic Zipæus in consultat. canonic. lib. 5. consult. 5. vbi plura.

Notabis hîc optime lector, quòd omnia pacta quæ Regulares in suorum Conuentuum constructione cum Episcopis, & aliis contraria suæ Regulæ, priuilegiis & iuri communi, sine consensu Generalis vel capituli Generalis ineunt, sunt penitus irrita, & nulla, vt Honorius IV. in Minoritarum fauorem declarauit bulla inchoata, *Religionis fauor*.

PROPOSITIO XIII.

IN construendis Conuentibus non obseruatur spatium Cannarum antiquitùs præscriptum: obseruari tamen debet, cùm Fratres Minorum repugnant.

Supponendum est 1. Clementem IV. prohibuisse Fratribus Prædicatoribus, Augustiniensibus, Carmelitanis & Monialibus sanctæ Claræ, aliorumque Ordinum aut aliorum quorumcumque; ne aliquod Monasterium, Ecclesiam, aut Oratorium ædificare, seu construere præsumerent, infrà spatium trecentarum Cannarum, ab Ecclesiis Fratrum Minorum mensurandarum per aërem, si aliàs rectè mensurari dispositio loci non permitteret: quod etiam de translatione Monasteriorum, & Ecclesiarum eorumdem, ac etiam Ecclesiarum sæcularium voluit intelligi.

Supponendum 2. Quòd idem Clemens pro Fratribus Prædicatoribus, sicut & pro aliis Mendicantibus, reduxit illud spatium ad 140. cannas. Quod in lite intercdictos Fratres Minores Ciuitatis Burdigalæ ex vna, & Fratres Prædicatores ex altera partibus, dclata ad Pontificem occasione ædificati Conuentus dictorum Minorum; cuius hortus viculo dumtaxat diuidebatur, ab horto Conuentus Fratrum Prædicatorum, declarauit bulla, cuius originale est in dicto Conuentu, qui iam ad Recollectos spectat, illud spatium mensurandum esse à Ianua antiquæ Ecclesię, ad alteram recens ædificatæ, licet aliunde horti essent contigui.

Supponendum 3. Quòd Innocentius IV. concessit Carthusianis, ne vlli Regulares possent ædificare, nisi infrà dimidiam leucam à terminis possessionum eorum.

His positis propositio probatur 1. ex reuocatione præmissarum concessionum per contrarias concessiones, nam Pius IV. vt habetur in priuileg. Societatis Iesu pag. 77. & in Compend. priuileg. eiusdem, verb. *Ædificia*, eidem Societati concessit, vt illius Prælati, *Possint construere ædificia intra 140. cannas à conuentibus aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, nonobstantibus eorumdem priuilegiis. Mandatur Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis in dignitate constitutis, vt per se, vel alium, seu alios, quoties pro parte alicuius illius Societatis fuerint requisiti, priuilegij huiusmodi literas solemniter publicantes, faciant illius Societatis personas contentis in eisdem gaudere: non permittentes eos super his, aut eorum aliquem, per quorumuis Ordinum Religiosos, aut alias personas, etiam si Pontificali, seu Regali auctoritate fungantur, quouis quæsito colore, quomodolibet molestari.* Hæc præfatus Pontifex. Quæ in authenticis instrumentis, sicut & cętera eiusdem Societatis priuilegia in Archiuiis Domus professæ Burdigalæ seruantur. Et licèt hoc priuilegium fuerit reuocatum in causa Domus Toletanæ per Pium V. fuit tamen in eademmet causa reualidatum à Greg. XIII. vt refertur in Compend. proximè citato, verb. eodem, §. 1. Bulla quę incipit, *Saluatoris Domini nostri Iesu Christi*, cum clausula derogatoria priuilegij Mendicantium per respectum ad dictam Societatem.

Probatur 2. ex vsu qui talis est, vt distantia illius spatij 300. aut 140. cannarum in ædificandis domibus Regularibus, oppositionibus in contrarium nonobstantibus, nullatenùs obseruetur; vt iampridem aduertit Sorbus in Compend. verb. *ædificare*, qui notat etiam à Sede Apostolica iuxtà illum vsum decisum fuisse. Et huius sententiæ est etiam Marcell. à S. Bened. eodem verb. quorum sententię stare necesse est ratione vsus, licèt reuera probabilius sit, imò certum subsistere priuilegium Minori

Digitized by Google

quoad spatium 300. cannarum; cùm motu proprio, & ex certa scientia, post emanatum priuilegium eiusdem Societatis, priuilegia Minorum fuerint per Sixtum V. & Clem. VIII. confirmata: necnon etiam per Paulum V. licet non ex certa scientia, sed æquiualenter, cum clausulis reuocatoriis omnium contrariorum, vt alibi ostendimus: ac ex consequenti subsistere hoc priuilegium. Nec obstant vsus & Sedis Apostolicæ decisiones prædictæ: nam vsus contrarius nō tollit Regularium priuilegium, vt al[illegible] diximus, nec etiam decisiones Sedis Apostolicæ, in causis particularibus, cùm iu[illegible]tà iuris Regulas, *Res inter alios acta, aliis nocere non debeat*; quocirca iudicando rem ex priuilegiis, Regulares Societatis Iesu si post confirmationes proximè dictas, non impetrauerint dicti sui priuilegij confirmationem debitam, quæ ad meam notitiam minimè peruenit, non possunt ædificare suas domos, nisi cum illa distantia à Fratrum Minorum domibus.

Petes 1. num alij Regulares priuilegio illo Minimorum, & priuilegio Societatis gaudeant. Respondetur, gaudere illo Societatis Iesu, si sit in suo robore: non autem illo Minorum, quoniam, vt in bulla proximè citanda videre est, summa Minorum paupertas causa fuit illius priuilegij, quæ non reperitur in Regularibus aliorum Ordinum.

Petes 2. quid dicendum de priuilegio Fratrum Prædicatorum & Carmelitarum, quod arctat spatium illarum cannarum ad 140. num priuilegium Minorum in vi illius sit reductum ad 140. cannas?

Respondetur, illam coarctationem non debere nocere Minoritis: nam priuilegiorum communicatio non in damnum, sed in fauorem Minoritarum, sicut & aliorum concessa est, vt expressè in hac materia declarauit Iulius II. Bulla quæ incipit, *Exponi nobis nuper fecisti.* Quocirca remanet illud priuilegium Minorum in integro, licet etiam aliud in fauorem Fratrum Prædicatorum subsistat, quo gaudere possunt contra Regulares Religiosi Societatis Iesu, sicut etiam Carmelitani; cum priuilegia eorumdem fuerint confirmata. Et sic in hac materia priuilegiorum Regularium diuersi ordinis inter se pugnantium iudico: meum tamen iudicium aliis doctoribus submitto: & lectorem ad ea quæ diximus in tract. de Priuileg. in communi remitto, & ad Ioan. Lomede in tract. de Exempt. inibi citatum, qui de hac materia egregiè agit. Possent hîc multa alia adiici de facultatibus Regularium, erga subditos, vt quod habeant facultatem visitantes Monasteria, concedendi eisdem indulgentiam plenariam & cætera huiusmodi: sed his prætermissis vnum dicam pro coronide huius tractatus, Quod dicti Prælati Regulares, qui iurisdictione Spirituali, & temporali in vtroque foro in subditos potiuntur, habent facultatem iudicandi & terminandi causas omnes, ciuiles, & criminales tum subditorum, tum aliorum; qui in iudicio eorumdem consenserunt, dummodò huiusmodi causæ ad forum Ecclesiasticum pertineant. Sic Leo X. Ianuarij 1515. Monasterio S. Antonini Oppidi S. Antonini, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini concessit Bulla quæ incipit *Superni dispositione rectoris*, cuius autenticum in eodem Monasterio seruatur: accipe verba ex illa desumpta, *vt ipse prior per se, & per suos Vicarios, seu Officiales, tam inter subditos suos, & dicti oppidi incolas, quam quoscumque alios ipsius Prioris aut Officialium iudicio seu potestati se submittentes, de quibuscumque causis Ciuilibus etiam matrimonialibus, ac criminalibus, & mixtis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus cognoscere, lites & controuersias audire, illasque decidere, & sententialiter definire; ac partibus iustitiam ministrare, & fine debito terminare: sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias Ecclesiasticas censuras & pœnas contra præfatos subditos, ac alios extraneos proferre: & eosdem à censuris prædictis à iure vel ab homine latis: etiam ob leuem manuum in Clericos iniectionem, ex qua mors, aut membri mutilatio non consequatur: necnon à reatu periurij, ac aliis quibusuis excessibus, criminibus & delictis in casibus Episcopalibus absoluere: & cum illorum reis in eisdem casibus de super dispensare*, &c. Quid clarius?

Dixi si pleno iure seu iurisdictione temporali & spirituali in vtroque foro suos subditos possideant; quoniam reliqui Prælati, qui hoc iure suos subditos non possident, illo priuilegio non potiuntur, quoniam huiusmodi non habent Vicarios aut Officiales, seu Officiarios ad causas ventilandas & iudicandas, constitutos.

Hæc de priuilegiis concessis Prælatis Regularibus in Hierarchia iurisdictionis,

summatim in his duobus tractatibus dicta sufficiant. Quibus euidenter ostenditur, eosdem non absque graui iniuria à dicta Hierarchia excludi; cùm non tantùm simili; imò & maiori in suos subditos iurisdictione, quàm Episcopi in suos pollere dignoscantur.



TRACTATVS V.

DE

CONFESSARIIS REGVLARIBVS,

ET PRIVILEGIIS EISDEM CONCESSIS.

PROOEMIVM.



ON sufficiebat paterna Summorum Pontificum liberalitati Prælatis Regularibus in ordine ad fœlicem suorum subditorum directionem effusè benefecisse, vt in præcedentibus tractatibus plenè ostensum est: supererat subditorum Regularium in Ecclesiam obsequium & meritum beneficio compensandum: compensauit, & equidem abundè. Nam, vt reliquos taceam, sic se in Sacerdotes regulares audiendis confeßionibus deputatos ad absoluendum in foro conscientiæ à censuris, & casibus sibi reseruatis; necnon ad dispensandum similiter à pœnis, iuramentis & votis, sibi etiam reseruatis, effudit: vt ex eorum omnium ingenti numero pauca suæ eminentis, & supremæ iurisdictionis, sibi reseruasse videatur. Cuius rei veritatem perfectè agnoscet Lector in decursu huius Tractatus, in quo (Deo iuuante) ostendetur eorumdem Sacerdotum ad illud, aliaque ministeria Ecclesiastica exercenda idoneitas: quâ facultate instituendi sint Confessarij, quid iure poßint, quidve ex priuilegiis. Ac omnes huius sæculi obiectiones, haud nouæ; sed veteres, aduersus eorumdem facultates, olim à pluribus Pontificibus condemnatæ, breui sermone soluentur.

CAPVT I.

DE IDONEITATE

DEQVE INSTITVTIONE REGVLARIVM AD CONFESSIONES

sæcularium audiendas.

PROPOSITIO I.

Regulares ſunt habiles ad miniſteria Eccleſiaſtica exercenda.

Hanc veritatem optimè probat magnus ille Cardinalis Oſtienſis Petrus Damiani, qui viuebat anno 1060. in ſuo Apologetico Monachorum aduersùs quoſdam Canonicos illius temporis, ſi ipſius opus eſt, ex eo quòd Monachi Eccleſiam fundarunt, rexerunt, & ab erroribus purgarunt: quòd in Conciliis diſputent, & doceant: quòd vitam ducant Apoſtolicam: quòd Pontifices & Epiſcopi antiquiores, erant Monachi, miniſtrantes ſacramenta; & quòd Monachi conſecrantur, ſicut clerici: quòd habitus illorum eſt Apoſtolorum, & Prophetarum habitus. Verùm quoniam eius verba ſunt admodum emphatica; ideò illa hìc inſeram, quibus introducit Monachos Clericis, ac Canonicis ſic loquentes. *Multùm Fratres chariſſimi ſi digni eſtis audire miramur quomodo, vel ob quam cauſam conamini nos à conſortio, & vnitate vniuerſalis Eccleſia ſeparare; cùm conſtet à Monachis, non à Canonicis, vniuerſalem Eccleſiam fundatam, gubernatam, & à diuerſo errore cribratam. Apoſtoli nempe Fundatores, & Rectores Eccleſiarum, noſtro, non veſtro more viuebant, vt Lucas Euangeliſta in Actibus Apoſtolorum refert, & Philo diſertiſſimus Iudæorum in libris, quos in laudem noſtrorum conſcripſit, primitiuos Chriſtianos Monachos, non Canonicos vocat, & habitacula eorum Monaſteria nuncupat; ac quamplurima dicit laudabilia egiſſe, & conſcripſiſſe. Certè noſtri, non veſtri Ordinis Moyſes & Elias fuere, qui Eremum incoluere: noſtri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saül ſæpe cantauit: longum eſt paginas veteris Teſtamenti reuoluere; veniamus ad Nouum, quòd ſuprà reliquimus. Apoſtolos certè & ſucceſſores eorum, ſi irreuerberatis oculis paginas noui inſtrumenti percipitis, Monachico, non Canonico more viuere inuenietis, eiſque poteſtatem ligandi, atque ſoluendi conceſſam à Domino procul dubio reperietis. Quòd ſi ita eſt: imò quia ita eſt, cur nos ab hoc priuilegio ſeparare conamini? Neſcitis quia quibus dicit Apoſtolus, mortui enim eſtis ſcilicet mundo, eiſdem dixit in alia epiſtola, neſcitis quia Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia, ergo ſi ſicut vos dicitis mundo mortui ſumus, ſcilicet vitiis & peccatis, non erubeſcimus; quia idem Apoſtolus dicit, ſi commorimur, & conregnabimus: & iterum, ſi autem mortui ſumus, cum Chriſto, credimus, quia ſimul reſurgemus cum ipſo. Itemque mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Et in alio loco, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Sed ne turbarentur, qui ſe toties mortuos audiſſent, ait, neſcitis quia Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia: ecce noſtra libertas? quare, quia idem Apoſtolus dicit, vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Væ ergo nobis & vobis, ſi mortui non fuerimus mundo: ſi igitur mortui ſumus mundo, & viuimus Deo, probabimus vos per omnia eſſe mentitos, quia dicitis, nos ob hoc quòd mortui ſumus mundo, non poſſe diſpenſare Ec-*

clesiastica. Sed quid vos extollitis? recolite principia nostra & vestra, & ex auctoritate Patrum, cui plus competat, collyriato lumine periudicet, Subinde cap. 4. sic prosequitur, *Contra vos itaque multùm canquerimur quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere, à Monachis nullomodo communionem esse recipiendam: insuper etiam suscipientes excommunicauit, & in opprobrium nostrum, imò in condemnationem suam & illorum, recommunicare precepit.* Et post aliqua verba addit, *Manifestè ostendimus, antecessoribus nostris præ omnibus Clericis hæc sacramenta licita fuisse contingere, & dispensare, sicut in vita B. Martini legitur, quòd de vino à quodam Anachoreta consecrato, à maximis & venerabilibus viris pro benedictione expectabatur, ante cuius fores sæpe & Episcopi & Comites benedictionis gratiâ pernoctarunt. Telesphorus denique Apostolicus ex Anachoretis fuisse comprobatur: Dionysius etiam & Adeodatus, ac Stephanus nuper defunctus ex Monachis fuisse leguntur, qui tamen Apostolicam sedem gloriosissimè gubernauerunt. Gregorius ex Monasterio raptus, ac violenter infulatus, non solùm suas protulit, sed etiam dispositiones aliorum meliorare studuit. Num etiam Martinum Turonensem amittendum putatis? Cui astanti sacramento diuino globus igneus apparuit: forsan ex istorum manibus, qui Monachi fuerant percipere sacramenta diuina quisquam insanus prohibuit. Absit: facessat ergo insana & proterua doctrina, & Sanctorum Patrum sequatur auctoritas, quæ etiam ex cuiuscumque sacerdotis manibus sacramenta diuina non solùm percipere, sed etiam dedignantes suscipere ab Ecclesia separat, si tamen Sacerdotes rectæ fidei fuerint. Sufficiunt ista contradicentibus.* Vltimò denique cap. 2. probationi suæ finem imponendo sic arguit, *Sed quia nimis periculosum est obmutescere velle, introducimus & alios testes, Basilium scilicet, Athanasium, & B. Augustinum: necnon & Hieronymum sacræ legis interpretem, Marianum quoque Rauennatem Episcopum, & Augustinum Anglorum præsulem, quos nulli dubium est, Monachos fuisse. Numquidnam Romani præsules, quos prædiximus, vel isti quos nunc retulimus, quia Monachi fuerunt, minùs laudabiles habiti sunt? Non vtique; forsan Episcopos, Presbyteros, Diaconos non ordinarunt, quis insanus audeat dicere? An forsitan pœnitentiam criminosis non imposuerunt, & absolutionem, vt competebat benignissimè non addidere, vtique facere non potuerunt? Nunc igitur requirite sancta octo Concilia, & maximè sextum & septimum Concilium, ibique inuenietis Monachis licitum fuisse disputare absque vllo scrupulo in conspectu Concilij super omnes qui aderant. Sed iam sufficiant, veniamus ad consecrationem, quam dispensante Deo per Episcopos accepimus; Numquid nos aliter quàm Canonici consecramur? Quis insipiens audeat dicere? nemo: nam vtrisque in commune benedictionem à Domino infundi Episcopus obnixè deposcit; & dum consecrat, sigillatim obnixè deposcit cunctis Sacerdotibus, dicens, consecrentur Domino manus istæ, vt quidquid benedixerint benedicta sint, & quidquid consecrauerint, consecrata sint: Ecce communis benedictio; vnde ergo diuortium? Longum est ista prosequi: videamus nostrorum vestrorumque vestimentorum figuram: agite, vtrum Propheta & Apostoli nostro, an vestro vestitu vsi sint, forsitan dicetis nostro; & vbi est illud quod de Elia legitur, vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus: & de ipso & similibus Paulus dicit, circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis: & de Ioanne Baptista, Ioannes Euangelista, zona, inquit pellicea circa lumbos eius: Petro quoque Angelus imperat: præcinge te, & calcea te caligas tuas: de Pauli quoque zona Agabus dixit, virum cuius hæc zona est, Iudæi in Hierusalem alligabunt, & tradent in manus Gentium. Horum ergo Patrum indumenta nullatenus nominatim Scriptura poneret, nisi eis priuatim vsi fuissent. Quod si vobis dubium videtur; saltem vestrorum Patrum testimonio aurem accommodate: legite collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreuiare studuit, & si nobis credere non vultis, saltem illius literis credite: nam nos eo doctore hanc paginam exarauimus.* Hæc Petrus Damiani. Quibus manifestè ostendit, Regulares non esse ad ministeria Ecclesiastica exercenda incapaces, sed maximè habiles.

Verùm nostra propositio aliis probationum mediis firmanda est. 1. decisionibus summorum Pontificum: ac præcipuè Gregorij cap. 24. 16. quæst. 1. à quo, vt credere est, prædictus Cardinalis suæ præfatæ probationis fundamentum præcipuè sumpserat, sic deffinientis. *Ex authoritate huius decreti, quod Apostolico moderamine, & pietatis officio à nobis constitutum est, Sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pæ-*

Digitized by Google

nitentiam imponere, atque peccata soluere. Quod caput Glossa explicans, ait: quòd aliqui dicebant, Monachos, qui sacerdotes erant, non posse exercere officia, sicut cæteros sacerdotes: vnde Gregorius super hac re consultus dicitur, sic respondisse, *Cùm ipsi teneant figuram Apostolorum, ita licèt eis exercere officia diuina, sicut Apostolis licuit, & sicut cæteris sacerdotibus licet.* Hæc Glossa. Quâ fultus sententia, aliorùmque Pontificum, & Patrum decretis, Bonifacius vt habetur in eadem quęst. t. cap. 25. Monachos ad prædicta ministeria non inhabiles, imò maximè habiles, esse declarat, *Quia aliis*, inquit, *sunt meliores.* Insuper illorum ausus qui Monachis notam inhabilitatis inurebant, nefandos appellat verbis sequentibus, in proximè citata quæst. insertis, *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudis, quam dilectionis inflammati, asserentes Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potentia indignos, neque Christianitatem largiri: neque absoluere posse per Sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem, sed omnino labuntur.* Hæc Pontifex. Qui, ne temerè in hac re pronunciasse videretur, rationes in medium adducendo, sic prosequitur suæ sententiæ propositum, *Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodò: quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis, non solùm Monachis; sed etiam Canonicis, maximopere imperatur. Nos verò Sanctorum institutis, exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, soluendiq; Officium Deo operante dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari.* Quid clarius his verbis, quid expressius oraculo summi Pontificis? qui tamen haud contentus hoc firmissimum tulisse decretum, vt errorem contrarium prorsùs euerteret, hæc tandem aduertenda superaddit: *Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros, Sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodò præcipimus, vt ab huiuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum: quia quantò quisque est celsior, tantò in his est potentior.* Vbi sic habet Glossa optimè concludendo, *His omnibus authoritatibus perspicuè demonstratur, Monachos posse pœnitentiam dare, baptizare, & cætera sacerdotalia officia licitè administrare.*

Probatur 2. testimoniis Sanctorum Patrum; ac in primis occurrit Hieronymi testimonium ad Rusticum monachum, epist. 4. *Sic viue in Monasterio, vt clericus esse merearis*: & infrà; *Sic multo tempore disce, quæ post modum doceas, quòd si populus, vel Episcopus te in clericum elegerit, age ea quæ clerici sunt.* Et eadem Epistola; *Si clericatus te titillat, discas quod possis docere, & rationabilem Christi hostiam offeras, ne miles antequam tyro, ne priùs magister sit, quàm discipulus.*

Occurrit 2. illud Augustini ad Eudoxium Epist. 81. *Vos autem Fratres exhortamur in Domino, vt propositum vestrum custodiatis, & vsque in finem perseueretis; ac si quam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis; sed miti corde Deo obtemperetis. cum mansuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias, nec vestrum etiam necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inueniretis.* Hæc August. qui eadem sentiens quæ Hieronymus, ostendit monachos, seu regulares esse habiles ad actiones hierarchicas exercendas.

Probatur 3. Quoniam cùm verum sit, lucere tantùm, vanum esse; ardere tantùm, parum; lucere & ardere simul, perfectum esse, iuxta D. Bernardum serm. de Nat. B. Ioannis Baptistę, neminem arbitror non affirmare, Regulares, si simul ac semel luceant & ardeant, ad huiusmodi ministeria esse admodum habiles. Quòd autem luceant, infinita ferè ab eisdem edita volumina in sacram Scripturam, necnon in vtramque Theologiam, & in alias omnes scientias satis testantur. Hoc etiam personant tot ac tanta in vniuerso terrarum Orbe erecta collegia: idem enunciant vbique innumeri propè Doctores, quos sacræ Religiones Ecclesiæ pepererunt, qui Europã, Asiã, Africam, & vtramque Indiam, aliasque Orbis partes remotissimas collustrarunt, & proprio lumine, infidelitatis vel ignorantiæ tenebras depulerunt. Nec Regulares, qui hoc æuo vitam degunt, sua luce carent; cùm in plurimis Ordinibus vir regularis, nisi luceat, vt nouum quid & insolitum habeatur.

Quòd autem ardeant pari charitatis affectu, euolue prisca Patrum monumenta, templa ingredere, inspice marmora, & viros sanctissimos qui in variis Ordinibus, tan-

Digitized by Google

quam magna luminaria in firmamento cœli elucent, numera, si potes, certè vbique zeli ignes accensos percipies. Denique si ad veterum Religiosorum facta sequenda vestigia, tot ac tantę virtutum coronæ, non satis animos impellunt, moueant te saltem innumeri Regularium chori, qui verbo & exemplo tot lucernas ardentes exhibent hodie fidelium cordibus; quot virtutum radiis coruscant, & quot mirabiles pietatis effectus in immensum producunt, ad firmandam fidelium salutem. Quorum idoneitatem agnoscens Romana Ecclesia, primis sæculis illos in suburbiis suis & intra mœnia suscepit, quam postea imitata Ecclesia Mediolanensis illos propè muros suæ ciuitatis posuit, vt testatur Augustinus de moribus Ecclesiæ cap.33. & post ipsum Baronius, qui ad annum Christi 328. idoneitatem illam in omnibus sæculis probatã agnoscens, licet ex congregatione Oratorij sæcularibus sacerdotibus non impensè regularibus affectis composita oriundus eodem citato loco pronunciat, *Monachismum fuisse seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum*, quod longe ante illum, Petrum Damiani & alios, testatur D. Athanas. qu. 3. florebat sęculo Epist. ad Dracontium Monachum, quem hortatur vt Episcopatum suscipiat, quam piis sęcularibus, ac etiam omnibus regularibus legendam consulo: sicut & Baronium citato loco, vt videant, quod regulares, non solum his sæculis, sed etiam primis & omnibus sæculis fuerunt idonei ad ministeria Ecclesiastica exercenda.

Hac igitur structa & posita veritate, iudicet prudens Lector, quàm sapienter egerit Ecclesia, diuino afflata numine, vocando Regulares in partem operis Apostolici ad Christi vineam excolendam; cùm manifestum sit ex præmissis rationibus, illos esse operarios maximè habiles ad actionum hierachicarum ministerium exercẽdum: imò ex decisione Bonifacij esse multò aliis habiliores, eo quòd meliores. Vnde iure meritò summi Pontifices innumera ferè priuilegia Regularibus contulere, vt vberiori fructu Ecclesiæ per eos horrea abundarent. Sed huius propositionis primæ veritas magis enitescet, si sequentem contrà illam obiectiones oppositas diluerimus.

Dicet ergo aliquis, Regulares ad Ecclesiastica ministeria non esse habiles, ex eo quòd illis ratio sui status, & authoritas Iuris Canonici prorsùs repugnet, vt patet ex cap. *Placuit*, desumpto ex Nicæna Synodo: & ex cap. *Nemo potest*, causa 16. q. 1. in quibus dicitur, quòd Monachus solitariam vitam ducere debet, ac propterea illi prohibetur, ne Sacramentum ministret; & quòd Monasterij districtionem, & Ecclesiasticum ministerium, quilibet simul tenere non potest.

Respondeo, ab illa iniuria Regulares modò vindicare facillimum esset, si diceretur 1. cum Glossa Lancelotii in illud cap. *Placuit*, dictum caput in prima & secunda Nicæna Synodo minimè reperiri, proindéque falsitatis argui; cùm in neutro generali Concilio Nicæno locum habeat 2. Sicum alia Glossa, quæ communis nuncupatur, assereretur cap. *Nemo*, non intelligi de Monachis, sed de Clericis sæcularibus qui Monasteriis præesse volebant; nec tamen priores Ecclesias relinquere, sed nec habitum ipsorum Monachorum recipere; de quibus cap. *Peruenit*, 2. causa 18. q. 2. loquitur, & determinat, hoc non posse fieri.

Verùm supponamus quòd cap. *Placuit*, habeatur in aliqua Nicœna Synodo, & quod cap. *Nemo*, de Monachis intelligatur; non propterea poterit in modo legitimo ratiocinandi hæc nostræ propositionis contradictio elici. 1. Quia latiùs patet nomen regularis quàm monachi: hoc enim ex cap. *Placuit*, 1. & 2. illi tantùm conuenit, qui singularis est, vel vnus tristis: at vero nomen regularis tam ad monachum, quàm ad alios Ordines regulares extenditur, qui per institutiones regulares à sede Apostolica approbatas ad salutem animarum, & ad sacramenta ministranda diriguntur: sicut Ordines Dominicanorum, Minorum, Augustiniensium, Carmelitarum, Minimorum, Societatis Iesu, Seruorum B. Mariæ, & aliorum. Vnde infertur, quòd quamuis monachus ex natura sui status dicendus esset inhabilis ad prædicta ministeria (quod tamen falsum esse suprà demonstrauimus) non proptereà alij Regulares censendi essent inhabiles: nec obiectio valeret: cùm ex vna propositione particulari: alia vniuersalis vera non sequatur. Respondeo 2. quòd non potest ex illis duobus capitibus elici, quòd omnes Regulares sint inhabiles ad illa ministeria exercenda, quoniam secundùm Glossam à communi Glossa relatam cap. *Placuit*, sic debet intelligi; quod nullus Sacerdos, siue Monachus, siue alter, possit iniungere pœnitentias, nisi ab Episcopo

sit ei animarum cura commissa. Et hæc Glossa cõformis est determinationi Alexandri II. in Concilio, vt ex cap. *Qui verò*, citatæ quæstionis 1. manifestum est. Prætereà Glossa in cap. *Nemo*, asserit; quod si quis voluerit hoc caput de Monachis intelligere, debet illud sic interpretari; Monachus cùm præficitur Ecclesiæ, non renetur seruare districtam regulam vt priùs, scilicet in ieiuniis, & orationibus, & vigiliis; absque recessu tamen à Monachali proposito; vt in cap. *de Monachis*, quod est immediatè post præfatum caput *Nemo*, deffinit Innocentius. Auget hanc veritatẽ praxis antiqua Ecclesiæ; quæ & laicos & Monachos non solum ad illa exercitia vocabat; Sed etiam ad Episcopatũ & quamuis postea Ecclesia prohibuerit laicis & Monachis ad Episcopatum immediatè ascendere; hoc tamen factum fuit non absolute; sed cum addito, videlicet, nisi priùs essent sacerdotali charactere insigniti. Vnde valdè mirandum est quod antiregulares negent habilitatem in Monachis ad officia Ecclesiastica exercenda & existiment laïcos sæculares habiles ad quæcumque officia Ecclesiastica, Episcopalia exercenda etiam hæc de hac propositione sufficiant.

Superest vt oculos aperiant Regularium hostes & tantorum testium nube victi, fugiant pontificiæ sententiæ fulmen, & concludant cum Glossa eodem loco, quòd Monachi possunt pœnitentiam dare, baptizare, & cætera Sacerdotalia officia licitè administrare, & præcipuè Regulares Mendicantes, quorum omnium instituta ab Ecclesia sunt approbata, quę ordinantur ad salutem animarum sæcularium per actiones hierarchicas procurandam, ac ex consequenti Regulares Mendicantes ex sua institutione, authoritate, & approbatione Ecclesiæ, quæ veritatis est regula, existunt habiles ad huiusmodi actiones exercendas; sed cùm hæc habilitas non sufficiat, ad alia quæ illos idoneos ad huiusmodi officia ministranda efficiunt, progrediendum est.

PROPOSITIO II.

IVrisdictio (quæ soli Summo Pontifici iure diuino absoluta & independens competit) in ministro sacramenti Pœnitentiæ ad absoluendos omnes fideles tam in foro interno, quàm externo requiritur.

Prima pars huius propositionis de fide est, diffinita sess. 14. cap. 7. Trident. ratione autem probatur, quia sententia aliter non profertur, quàm obligando per modũ imperij, quo vrgetur impositæ, aut imponendæ pœnitentiæ executio, quæ obligatio imponi tantùm potest à superiore subditis. At habere subditos est iurisdictione ornatum esse; nam iurisdictio est potestas gubernandi, regendi, & puniendi subditos, non alienos; ergo sine ea Pœnitentiæ sacramentum ministrari validè non potest. Hęc ratio confirmatur ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnit. in quo Innocent. III. illius conditor scribit, absolutionem nullam esse, nisi datam à proprio Sacerdote, aut ab alio de eius licentia: & ex cap. *Si Episcopus*, de Pœnitent. & remiss. in 6. in quo habetur, nulla consuetudine, aut præscriptione fieri posse, vt quis sine superioris facultate possit sibi eligere confessarium; quoniam præter superiorem, aut alium ab eo delegatum, iure diuino ad absoluendum nullus habeat iurisdictionem. Ab hac tamen regula excipiendi sunt tres casus, in quibus ex perpetua Ecclesiæ consuetudine quilibet Sacerdos iurisdictionem possidet. Primus est, quãdo pœnitens venialia tantùm absolutioni subiicit. 2. Quando subiicit mortalia remissa. 3. In mortis articulo.

Pars 2. propositionis probatur, quoniam ex proximè citato Trident. constat, nullum ius possidere Episcopos & Sacerdotes, extrà mortis articulum, in casibus quos sibi Papa reseruat: quod proculdubio falsum esset, si suam à Deo immediatè potestatem obtinerent, non verò à Papa; nec posset illos impedire, sicut non potest in aliis, quæ iure diuino possident, verbi gratiâ, ne validè ordinent, aut consecrent, &c. Et confirmatur ex illa doctrina quam alibi tradidimus, quòd omnis iurisdictio pendet à Papa; Papæ autem à solo Deo immediatè, licèt eligatur ab hominibus: qui in hoc nihil aliud operantur, quàm designare illum, cui immediatè Deus dat iurisdictionem; sicut

sicut cùm quis habet facultatem eligendi confessarium, eligendo non dat ei iurisdictionem; sed tantùm designat illum, cui Papa, aut alius superior, à quo pendet, dat statim iurisdictionem. Ergo si omnis iurisdictio à Papa pendet, is vtique independentem habebit ad absoluendum; cùm hæc sit vna species iurisdictionis, quæ sub genere comprehendatur.

Obiicies, in ordinatione Sacerdotis datur illi potestas ad absoluendos à peccatis omnes pœnitentes, per hæc verba, *Quorum remiseritis*, ergo ex potestate Ordinis, quam in ordinatione accipiunt, habent potestatem iurisdictionis in omnes pœnitentes, ac ex consequenti sicut illa eidem iure diuino annexa & independens, ita & hæc.

Antequam huic obiectioni respondeamus, quædam de potestate Ordinis & Iurisdictionis dicere abs re non erit: quod fiet, si notaueris ordinationem sacramentalem triplicem effectum in ordinato producere. 1. est character. 2. potestas sacrum aliquod ministerium exercendi in Ecclesia. 3. gratia sanctificans in Ordine ad auxilia ministerio exercendo conuenientia. De 2. effectu hic tantùm agimus, qui potestas ordinis vocatur: estque duplex, quarum vna vocatur iuris, alia facti; illa confertur per ordinationes sacerdotio inferiores, estque ad faciendum licitè: non autem validè, quasi reipsa sine illis non possit quispiam Euangelium recitare, & sacerdoti ministrare cum pompa & celebritate speciali, aut sacra vasa attrectare, &c. Potestas verò consectandi corpus & sanguinem Christi, & remittendi peccata per sacramenta Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis, collata per sacerdotalem ordinationem; necnon potestas confirmandi & ordinandi data per Episcopalem, est potestas facti, & non tantùm iuris: quia sine illa fieri nequit, id quod per illam fieri potest validè: communis autem illis est nomenclatura potestatis Ordinis.

Differt autem illa potestas Ordinis à potestate iurisdictionis; Primò, quia illa confertur per ordinationem, seu sacramentum Ordinis: potestas verò iurisdictionis minimè, sed per externam quandam concessionem, id est, per beneficij collationem, aut aliis certis modis: potestque tota esse etiam in eo, qui nondum ordinatus est, vt alibi diximus: potestque illam aliis communicare. 2. Quia Sacerdotes omnes quantum ad potestatem Ordinis, quoad absolutionem à peccatis, æquales sunt. Nam licet possit ab Episcopo ministrari, illius dignitas per accidens se habet ad hoc ministerium: vnde modus illam communicandi communis est omnibus Sacerdotibus per hæc verba; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Potestas autem iurisdictionis non est æqualis in omnibus, nec inuariabilis vt illa nec eodem modo omnibus communicatur. 3. Potestas Ordinis, potest esse sine subiecta materia: non verò potestas iurisdictionis, quæ non est sine certa & determinata materia, quæ vel est vniuersa Ecclesia, vt respectu Pontificis, vel aliqua ipsius pars, vt Diœcesis respectu Episcopi, & Parœchia respectu Parochi. 4. Potestas Ordinis non potest delegari, neque adimi, secùs de potestate iurisdictionis.

His, de duabus illis potestatibus iuxtà communem doctrinam suppositis, argumento respondebitur, dicendo, quod Sacerdoti confertur iurisdictio confusa, remota, indeterminata, & imperfecta, se extendens ex Christi institutione ad omnium fidelium peccata remittenda, iuxtà verbum Christi, *Quorum remiseritis*; sed quæ per se in actum exire non potest postmodum autem completur & perficitur, subditis ei attributis per Christum, aut Ecclesiam, vt optime Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 1. & Nauar. in cap. *Placuit*, de pœnit. distinct. 5. num. 45. & 48.

Quòd si 1. instabis frustra esse potestatem absoluendi sine iurisdictione, ergo aut nulla illi datur, cùm ordinatur, aut datur ad absoluendum sufficiens. Respondebitur negando antecedens, & consequentiam quoniam per hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum*, Sacerdoti potestas in peccata tribuitur, sed incompleta: perficitúrque ab Ecclesia sub ministratione materiæ subditorum, quos, hôc ipso, quod quis fit Episcopus aut Parochus, accipit iurisdictionem in eos necessariam, quæ etsi iure communi sit debita, procedit tamen ab ipso per tacitum eius, aut expressum consensum.

Quòd si 2. instabis, inde sequi nullam iurisdictionem sacerdoti ab Ecclesia competere ad absoluendum; nam si cùm ordinatur, fit iudex, tanta sanè auctoritate ad absoluendum pollet, quanta ad id est opus; reliqua ergo est nulla, quæ ei ab Ecclesia

Mm

communicatur. Respondebitur negando consequentiam, vti falsam; ad hoc enim vt absolutio valeat, ab eo dari debet, qui iurisdictionem perfectam habet, non confusam: cùm illa in personas certas & determinatas cadat, videlicet hanc aut illam, &c. Hæc autem in aliquam, aut omnes in communi: vnde sequitur, quòd cùm perfecta iurisdictio oriatur ab Ecclesia, confusa verò ab Ordine, malè concluditur, sacerdotem ab eadem nihil accipere, vnde eius absolutio possit esse vtilis, & fructuosa pœnitenti. Ac per hæc patet: sacerdoti præter potestatem ordinis necessariam esse potestatem iurisdictionis ad absoluendum, eamque à Papa conferri, qui ab alio quàm à Deo suam iurisdictionem nequaquam accepit. Sic Diuus Thomas in 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. quæstiunc. 4 Sotus ibidem dist. 18. quæst. 4. art. 2. Finellus de Casibus reseruatis c. 2. Suarez disput. 16. sect. 3. & alij.

PROPOSITIO III.

POtest Papa toto Orbe concedere facultatem audiendi Confessiones sæcularium, & eos absoluendi, ac ex consequenti delegare ad hoc ministerium Regulares.

Hæc propositio satis constat ex dictis in præcedenti propositione, & ex probatis in tract. de Priuileg. vbi ostensum est, Papam posse concedere priuilegia, ac proinde hanc facultatem, cùm sit priuilegium. Verumtamen, vt clariùs hæc veritas elucescat, & quorumdam peruicax audacia retundatur, ampliore probatione vtemur: ac primùm ducemus argumentum ex eo, quod Papa est caput Ecclesiæ, cui, quidquid est fidelium, vbique submittitur, dum totius corporis caput designatur, habetque omnimodam potestatem, & influxum in Ecclesiam vniuersalem, sicut caput in membra: fuitque sub titulo *Capitis Ecclesiæ Vniuersalis* cognitus in Concilio Calcedonensi in epist. ad Leonem, & ab Episcopis in 6. Synodo act. 18. *Pater omnium vniuersalis Diœceseon primus & summus Pontifex* proclamatus, vt in tract. de priuilegiis probatum est. Quocirca non immerito nomen vniuersalis Pastoris sibi tribuit, vt Sixtus I. epist. 2. & Leo I. epist. 60. imo & Adrianus Papa apud Constantinum conqueritur in Concilio Niceno II. act. 2. quòd aliquis ex suis familiaribus Tarasium hoc titulo honorauerat, illi prohibendo, & aliis sub inobedientiæ pœna, ne imposterum id fieret, his verbis: *Si quis eum vniuersalem nuncupauerit, sciat se orthodoxæ fidei alienum esse, & nostræ sanctæ Ecclesiæ rebellem.*

Ex quibus optimè concluditur, quòd si Papa est caput Ecclesiæ Dei, & vniuersalis illius Pastor, absque dubio in omnes totius Orbis Christianos influere, ac illos pascere potest per verbi Dei prædicationem, ac sacramentorum ministerium: cúmque sit Ordinarius ad illa ministeria exercenda, quos voluerit, poterit delegare. Quod optimè nouerat Clemens IV. qui in constitutione quæ incipit; *Quidam temerè*, in fauorem Minoritarum edita, post taxatum quorumdam errorem, qui impudenter præsumebant assetere, quòd dicti Minoritæ de licentia, vel commissione, aut concessione Romani Pontificis, seu Legatorum Apostolicæ sedis, vel Ordinariorum, locorum, sine sacerdotum Parochialium licentia & assensu non poterant liberè prædicare populis, audire Confessiones, absoluere confitentes, ac pœnitentias iniungere salutares: sic decidit; *Nos igitur volentes assertionem tam temerariam, & eius causam penitus confutare, ac elucidare in omnibus veritatem, deliberatione prouida declaremus quòd si vobis detur licentia, committatur, seu concedatur à Legatis prædictæ sedis, aut Ordinariis locorum: necdum à Romano Pontifice (de quo procul dubio esset erroneum dubitare, an in omnes sine alicuius consensu, imò inuitis quibuslibet, huiusmodi posset concedere potestatem) populis legatis, & Ordinariis eisdem subiectis, liberè prædicare, audire Confessiones, absoluere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus iniungere salutares, aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu nullatenùs requisito.* Sic Pontifex.

Secundum argumentum in probationem propositionis eruitur ex D. Thoma, epist.

15. cap. 4. vbi ait, *Ostendendum est, quòd aliqui ex commissione Episcoporum possunt prædicare, aut Confessiones audire in parochiis sacerdotum:* nam extra de Offic. iudic. ordin. cap. *Inter cætera*, dicitur, *Præcipimus tam in Cathedralibus, quàm in Conuentualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi coadiutores & cooperatores habeant, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in Confessionibus audiendis, & pœnitentiis iniungendis, & cæteris quæ pertinent ad salutem animarum.* Ex quo patet, quòd Clerici Conuentualium Ecclesiarum alicuius Diœcesis, qui non sunt parochiales sacerdotes, possunt prædicare, & confessiones audire authoritate Episcopi: & ex consequenti multò magis Papa potest dare hanc authoritatem.

Tertium argumentum sumitur ex eo, quòd nulla Regula Monastica, & Religiosa prohibet huius facultatis concessionem sibi à Papa fieri: ergo cùm aliunde nō prohibeatur, Papa poterit hanc facultatem concedere Regularibus.

Accedit præmissis rationibus quarta ratio, videlicet quòd maioris potestatis est Legationis officium exercere, Episcopos confirmare, & de iis Ecclesiis prouidere, quàm prædicare, & confessiones audire. Sed primum inuenitur Religiosis à sede Apostolica commissum: quis ergo dubitabit, quin secundum etiam committi possit: Et certè hanc veritatem vsus nascentis Ecclesiæ confirmat: expeditque, ac quodammodo necessarium est, vt Regulares audiendi confessiones facultatem habeant pro animarum salute, tum ob paucitatem sacerdotum sæcularium, & aliquorum imperitiam, tum ob familiaritatem & odium contra Parochos, aliosque sacerdotes sæculares sæpius conceptum: & propter alia huiusmodi, quæ sæculares retrahunt à confessionibus coràm parochis, & aliis sacerdotibus faciendis.

Quibus omnibus sufficienter constat, Pontificem hanc facultatem concedere posse Regularibus; imò expedire, vt eam concedat: quocirca hæc sententia ita certa est, vt contrariam, quæ est Ioannis de Poliaco, & aliorum aliquorum, vt erroneam, temerariam, ac propemodùm hæreticam, sicut etiam alibi diximus, æquissimi iudices definiant. Inter quos Clemens IV. in sua constitut. proximè relata, quæ incipit, *Quidem temerè asseuerant, Regulares de licentia, vel concessione summi Pontificis, sine Parochialium sacerdotum licentia & assensu non posse confessiones audire:* & mox addit, *de Romano Pontifice proculdubio erroneum est dubitare, an in omnes sine alicuius consensu, imò inuitis quibuslibet, concedere possit absoluendi potestatem*, vt superiùs dictum est. Hunc subsequitur Ioannes XXII. in extrauag. quæ incipit *Vas electionis*, de Hæreticis, adhibito Cardinalium, & clarissimorum Theologorum consilio, in qua condemnat omnes & singulos Ioannis de Poliaco articulos, *tanquam falsos, erroneos, & à doctrina sacra deuios*, inter quos vnus erat, videlicet, *sæculares confessos Fratribus habentibus licentiam generalem, teneri eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, quem dicebat esse Curatum: & stante statuto omnis vtriusque sexus, à Romano Pontifice dari non posse facultatem generalem, quin Parochiani teneantur omnia peccata semel in anno rursus exponere Parocho:* quo, authoritate Apostolica confutato, affirmat Pontifex, *contrariam doctrinam veram esse, atque Catholicam; scilicet quòd confessi Fratribus prædictis, non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quàm si ea confessi fuissent proprio sacerdoti.* Successit vltimò his duobus Pontificibus (vt reliquos taceam) Sixtus IV. in constit. quæ incipit, *Dum attenta meditatione*, 1476. in qua refert & damnat alios quoque prædictis affines articulos ab Eugenio IV. eadem Apostolica authoritate damnatos, vtpote similiter falsos, erroneos, & sacris Canonibus penitùs aduersantes: eorumque authores tanquam in fide suspectos, & hæreticos esse pronunciat, qui nimirum, *Vt fideles à Regularibus auocarent, palam agebant, confessionem factam præsentatis seu approbatis Regularibus, dubiam esse, & incertam, atque adeò parochianos suis tantùm sacerdotibus curam animarum habentibus confiteri posse sub pœna peccati mortalis: Curatum denique licentiam concedentem magis dispensare super statuto omnis vtriusque sexus, quàm ipsum Papam delegantem.* Accedit prædictis Pontificum censuris illa Synodi Treuirensis 1582. quæ temeritatis etiam quosdā Parochos damnat, qui in die Paschæ inhibebant parochianis sub pœna excommunicationis, ne corpus Christi reciperent, nisi fuissent sibi, vel ab eis potestatem habentibus confessi. Rationem censuræ affert Synodus, *Quia quamplurimi sacerdotes atque Regulares habent potestatem à sanctissimo Domino nostro Papa, seu à Domino Episcopo Treuirensi audiendi.*

Omnes, peccata sua confiteri volentes, vt refert Bacchetus lib. 2. Decretorum Ecclesiæ Gallicanę, tit. 7. de Pœnit.

Neque censuram imminuit Sixtus IV. anno 1478. dum in extrauag. quæ incipit, *Vices illius*, de Treuga & pace, præcepit, vt Mendicantes desistant prædicare, quòd Parochiani nō sint obligati in Paschate proprio sacerdoti confiteri; nam hoc per opportunè statuit ad confirmandam mutuā charitatem inter curatos & regulares, subiungendo, *per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censentur exclusi, quò minùs secundum iuris communis, & priuilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.* Quibus verbis perpetuum silentiam omnibus imponit, certosque fecit fideles, quocumque tempore, etiam Paschali, Dei, & Ecclesiæ se satisfacere præcepto, siue confiteātur Parochis, à iure propriis Sacerdotibus nuncupatis: siue etiam ab eodem iure delegatis Regularibus, vt latiùs in sequenti propositione, & aliis examinabitur, & probabitur.

PROPOSITIO IV.

SAcerdos Regularis habet à Sede Apostolica facultatem audiendi omni tempore sæcularium confessiones.

Ad hanc propositionem stabiliendam sufficeret sola vis consuetudinis immemorabilis, absoluendi sæculares quolibet anni tempore, cùm vetustas pro lege habeatur, l. 1. de Aq. pluu. arcen. eùm titulum suæ possessionis immemorabilis regulariter nemo docere teneatur, l. Cogi. de Petitione hæred. Attamen quia nemo prohibetur pluribus exceptionibus vti, cap. *Nullus*, de Reg. iur. in 6. illam conclusionem, tam ex priuilegiis in iure communi insertis, quàm ex aliis extra ius extantibus probare conabor.

1. Ex extrauag. *Super cathedram*, in causa coram Bonifacio VIII. illius auctore inter Fratres Prædicatores, & Minores ex vna parte; & prælatos, ac Rectores ex altera ventilata, in qua sic pronunciat: *Statuimus etiam, & ordinamus authoritate prædicta, vt,* &c. *Magistri, Prioris, Prouinciales, Prædicatorum, aut eorum Vicarij, & Generales, & Prouinciales Ministri, & Custodes Minorum Ordinum prædictorum, ad præsentiam Prælatorum,* &c. *se conferant per se, vel per Fratres petituri; vt Fratres qui ad hoc electi fuerint, in eorum Ciuitatibus & Diœcesibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium, audire liberè valeant: & huiusmodi confitentibus, prout secundum Deum expedire cognouerint, pœnitentias salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impendere, de licentia, gratia, beneplacito eorumdem,* &c. *Et si eisdem Prælati petitam licentiam confessionum audiendarum concesserint, illam Prælati, Magistri & alij, cum gratiarum recipiant actione: dictæque personæ electæ commissum sibi officium exequentur,* &c. Et post aliqua prosequitur his verbis. *Si verò iidem Prælati præfatis Fratribus ad confessiones, vt præmittitur, audiendas, electis huiusmodi exibere licentiām recusarint: nos ex nunc ipsis vt confessiones sibi confiteri volentium liberè licitèque audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis.* Ex quibus manifestē colligitur, prædictos Regulares habuisse anteà facultatem audiendi confessiones sæcularium, atque etiam de nouo illam eis concedi; quæ cùm limitata non sit ad certum aliquod tempus, absolutè, & absque restrictione temporis Paschalis, aut non Paschalis est interpretanda: quia priuilegium Principis, quod nullis exceptionibus limitatur, latè interpretandum est.

Probatur 2. ex Extrauag. Benedicti XI. quæ incipit, *inter cunctas*, de priuilegiis, quâ Regularibus Dominicanis, & Minoritis, & cæteris consequenter Regularibus qui eorum gaudent priuilegiis, concedit, vt possint authoritate Apostolica audire sæcularium confessiones absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prelatorum: sic enim inibi loquitur. *Electi igitur ab eisdem Fratribus ad audiendas confessiones; & pœnitentias iniungendas, liberè authoritate Apostolica, absque licentia Diœcesanorum, &*

aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis sua peccata confiteri volentes; non Religiosos, qui secundum statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis ne confiteantur aliis prohibentur, absoluant, ipsisque pœnitentias salutares iniungant. Ex quibus videre est, Pontificem prædictis Regularibus audiendi confessiones omnium (confessionibus Regularium dumtaxat exceptis) facultatem absolutè concedere.

Probatur 3. eadem conclusio adhuc ex ipsa Extrauag. *Inter cunctas*, in qua Pontifex Sacerdotem Regularem, quoad sacramenti pœnitentiæ administrationem, parem Parocho facit, his verbis; *Per hoc autem non intendimus, quòd sæpe dicti Fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in confessionibus audiendis, & pœnitentiis iniungendis, quàm parochiales Sacerdotes noscuntur habere.* Ex quibus sic conficio argumentũ; Parochialis Sacerdos habet facultatem omni tempore audiendi parochianorum confessiones; ergo similiter & Sacerdotes Regulares, cùm parem à iure habeant facultatem. Quod equidem anteà Bonifacius VIII. statuerat in dicta Extrauag. *Super cathedram*, his verbis: *Per eiusmodi autem confessionem nequaquam intendimus personis, seu Fratribus ipsis taliter deputatis potestatem in hoc impendere ampliorem: quàm in eo Curatis, & parœcialibus sacerdotibus est à iure concessa; nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam duxerint faciendam.*

Nec obiiciendum est, extrauagantem Benedicti à Clementina *Dudum*, de Sepulturis, fuisse reuocatam; quoniam hoc factum non fuit, imò confirmata fuit, & dumtaxat statutum, quòd sacerdotes regulares, qui per illam non tenebantur se præsentare Episcopo, sed poterant absque vlla præsentatione audire confessiones, se præsentare tenentur, vt inferiùs ex Suario, & aliis probabitur. In cæteris autem à dicta Clementina iure conciliario, vniuersali & perpetuo confirmata est illa sententia, quâ regularis sacerdos in eodem ordine potestatis delegatæ, quoad audiendas confessiones, tam extra; quàm intra suum conuentum constituitur, quo Parochus iure ordinario in sua parochia. Hæc etiam fuit mens Bonifacij VIII. in dicta Decretali *Super cathedram*, relata, & confirmata ab eodem Clemente, vt cernere est in dicta Clementina. Quibus successiuè Ioannes XXII. subsequutus in lite coram ipso per Archiepiscopum, capitulum Cathedralis, Rectorum, & aliorum quorumdam ciuitatis Burdigalensis, ex vna; & Dominicanos, Minoritas, Augustinianos & Carmelitas ex altera partibus, delatas sententiando Commissariis ad hoc deputatis, extrauag. *Frequentes*, de Iudiciis, mandat, vt extrauag. *Super cathedram*, quoad omnia eiuscapitula faciant obseruari: his verbis, *Facientes Decretalem prædictam quoad omnia eius capitula, prout iacent, firmiter obseruari.* Eandem confirmauit Calixtus III. in fauorem fratrum Prædicatorum bulla inchoata, *Inter cætera quæ nostræ Pastorali curæ competunt:* in qua etiam refert à Ioanne XXII. Nicolao V. & Eugenio IV. fuisse confirmatam, & innouatam, quæ reperitur inserta in Compend. priuileg. præfatorum Fratrum. Plures alias bullas dictam extrauag. confirmantes hic possem afferre, & bullam Leonis X. in Concilio Lateran. inchoatam, *Cum intra mentis arcana:* Iulij III. duas inchoatas, *In sacra Petri sede*, & *Sincera deuotionis affectu*: quæ duæ bullæ in dicto Compendio authenticæ reperiuntur. Vltimam Pauli V. de anno 1612. die verò 11. Octobris, in qua expresè cum omnibus aliis priuilegiis priuilegia à Bonifacio VIII. concessa confirmat. Sed his omissis redeo ad ius commune.

Probatur ergo 4. ex extrauag. Sixti IV. quæ incipit, *Vices illius*, de pace & treuga, in qua non solùm facultas audiendi confessiones confirmata fuit, verùm etiam per illam constat, quòd eorumdem Regularium priuilegia fundentur in iure communi, videlicet in cap. *Omnis vtriusque sexus*, vt infra probabitur. Accipe verba satis expressa dictæ extrauag. *Per hæc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quò minùs secundum iuris communis, & priuilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.* Ex quibus præcipuè deducitur, regulares posse audire sæcularium confessiones licitè & validè, etiam tempore Paschali; cùm eorum facultas ad audiendas confessiones in cap. *Omnis vtriusque sexus*, fundetur.

Sed vt nunc aliam partem aggrediamus, ex confessionibus extra ius communeva-

gantibus probabimus, ac primò ex bulla Eugenij IV. quæ incipit, *Sacra religionis*, quâ Mendicantibus eandem facultatem facit, quoad confessiones andiendas, quam Romæ minoribus pœnitentiariis, qui magnis admodum priuilegiis gaudent; maximè vt possint quolibet anni tempore, etiam Paschali, audire sæcularium confessiones, vt ex vsu manifestum est. Illud autem priuilegium ad hoc priùs concessum esse dignoscitur, vt omnibus pateat, quòd Papa in vniuerso orbe Regulares approbaros in suos Pœnitentiarios instituit; scilicet vt fidelibus & infidelibus vbique auxilium necessarium impendant. Sequitur Nicolaus V. qui in concessione quæ incipit, *Deuotioni vestræ*, Mendicantibus sic loquitur, *Audiendi in confessionibus omnes quarumcumque Diœceseon, & in omni tempore præterquam in die Resurrectionis Domini, sacratissimi corporis Domini communionem, dandi facultatem authoritate Apostolica concedimus.* Quid clarius?

Denique huic accedit constitutio Pij V. quæ inchoatò, *Etsi Mendicantium*, in qua Pontifex declarando cap. 15. sess. 23. Concilij Tridentini sic loquitur, *quod verò in sess. 23. cap. 15. circa confessiones à Regularibus non audiendas statuitur, etiam hoc dictorum Ordinum Fratres à præfatis suis Generalibus, vel ministris Prouincialibus ad audiendas confessiones vtriusque sexus Christi fidelium approbatos (vt præmittitur) minimè comprehendat: ita vt à confessionibus audiendis, tam intrà eorum Ecclesias, & domos, quàm extra minimè prohibeantur: super hoc literas fœl. recor. Pauli IV. Papæ etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem Fratribus Mendicantibus Regularis Obseruantiæ posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & Monasteria sua, & vbilibet audire, & approbando, & de nouo concedendo.*

In qua constitutione tria præstat Pontifex, 1. Declarat non comprehendi Mendicantes sub præfato Tridentini decreto. 2. Non posse regulares prohiberi, quin intra & extra domos suas, & Ecclesias confessiones audiant. 3. Approbat, & de nouo concedit, quòd dicti Mendicantes audiant confessiones personarum sæcularium, etiam infirmarum, siue intra, siue extra domos suas, & vbilibet: quæ omnia verba cùm nullam ferant determinationem temporis, ad omne tempus extendanda sunt, iuxta regulas Iuris, nec ampliùs de hac veritate dubitandum est, cùm sæpiùs transierit in rem iudicatam in causis super hac ad summum Pontificem toties deuolutis.

Probatur 5. per vnam dumtaxat ex innumeris super hac materia Sententiis à sede Apostolica emanatis, quæ est Clementis VIII. in causas inter Archiepiscopum Cameracensem, & Episcopum Atrebatensem ex vna, & Regulares ex altera partibus, sub data die 22. Decembris 1592. de qua infrà: qua hanc facultatem Regularibus concessam esse expressè declarat. Idem sanxerunt sæpiùs Eminentissimi sacræ congregationis Cardinales Tridentini interpretes: quorum vnam aut alteram sententiam hic referam: primam in causa inter Regulares Societatis Iesu, & quosdam Canonicos Diœcesis Lingonensis publicatam ab illius Episcopo die 22. Septemb. 1624. tenoris sequentis, *Oratores semel approbati ad confessiones sæcularium audiendas, possunt omnium confessiones audire, etiam infirmorum, quolibet anni tempore, etiam Paschali, absque quòd Parochi & Canonicorum licentia habeatur.*

Secunda Sententia inter Archiepiscopum Burdigalensem, & Regulares eiusdem Ciuitatis, quâ fuit disertè & authenticè declaratum, præfatum Archiepiscopum prohibere non posse Regularibus, vt confessiones sæcularium audiant tempore Paschali. Huius decreti verba sic accipe: *Instantibus Regularibus Ciuitatis Burdigalensis die 9. Iulij. ann. 1644. sacra congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Trident. interpretum post maturam discussionem censuit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus priuilegia Apostolica, vt à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè administrare non valeant personis sæcularibus sacramentum confessionis.* Quæ Sententia ab Innocentio X. expressè per Bullam sub data die 7. Februarij anni 1645. confirmata fuit.

Huic declarationi quispiam fortasse opponeret duo, 1. Quòd dictus Archiepiscopus non fuerit auditus. 2. Quòd hoc decretum nullum effectum pariat, cùm non constet Regulares habere priuilegia. Ad primum respondeo, credibile prorsùs esse illum fuisse auditum; cùm ad hoc per appellationem fuerit prouocatus; quòd si verè

non fuerit auditus, nonne ipsi imputandum est, quòd causa ceciderit, cùm per ipsum steterit: Adde, quòd vix probabile sit, ipsum habuisse rationes nouas sacræ congregationi & Pontifici incognitas, & non alias sæpe discussas. Ad secundum respondeo plus quàm satis, dicendo; ridiculum fore tantorum Iudicum incusare decretum: imò temerarium; malè enim statuissent circà querelam Regularium, quâ conquerebantur se molestari à dicto Archiepiscopo in possessione priuilegij audiendi confessiones sæcularium tempore Paschali, si de præfato priuilegio eis non probè constaret. Cùm ergo de sacræ Congregationis, Iudicum & Pontificis probitate nefas sit dubitare decretum hoc meliori sensu ac mente interpretandum est, alioquin puerile & ineptum esset; quod etiam cogitare nefas est. Cùm ergo constet ex illo, Regulares habere priuilegia Apostolica, dicat quis, si potest, quinam sunt illi qui ea possideant, si ij non sunt ad quorum instantiam decretum datum est.

Probatur 6. ex communi Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Galliæ sensu, qui illam veritatem in suis statutis Synodalibus inseruerunt, ac inter alios Andegauensis 1252. Carnotensis 1526. Senonensis 1528. Parisiensis 1557. Remensis 1581. Burdigalensis 1582. Bituricensis 1584. Aquensis 1585. quorum duos audiamus, 1. Lingonensem. *Mandamus Ecclesiarum Rectoribus, quòd diebus Quadragesima Dominicis habeatur illud statutum, Omnis vtriusque sexus publicare, & exponere suis parochianis, sobriè tamen loquendo, subiungendo quòd Mendicantes nobis præsentati, possunt audire confessiones libere.* 2. Senonensem, *Mendicantes idonei, Suffraganeis nostris præsentati iuxta canones comitiorum, & Romanorum Pontificum decreta, confessiones sibi confiteri volentium audire possint.*

Denique huic veritati Senatus supremi Galliæ suffragantes in eadem causa coràm ipsis sæpiùs agitata plurima placita pronunciauerunt, ex quibus liceat vnum saltem proferre, quod emanauit à Senatu Parisiensi 1505. in causa cuiusdam Regularis Dominicani Baccalaurei, Gally nuncupati, qui ex eo quòd in schola Sorbonæ publicè docuerat, Regulares priuilegiatos posse omni tempore, etiam Paschali, confessiones sæcularium audire, fuerat à Doctoribus eiusdem Scholæ è catalogo Baccalaureorũ expunctus: sed cùm tota disceptatio coràm ipso Senatu maturè discussa fuisset, doctrina dicti Regularis tanquam vera recepta, & approbata fuit; & ipse author per eiusdem Senatus sententiam, in suum pristinum gradum Baccalaurei restitutus est. Quod similiter etiam fecit Consilium supremum Regis Christianissimi de anno 1643. & 1644. in causis inter Archiepiscopum Burdigalensem, & Regulares ad ipsum delatis, quod suis Placitis Regulares à dicto Archiepisc. ab audiendis sæcularium confessionibus interdictos, ad exercitium illarum audiendarum restituit.

Nec dicendum id posse quidem Regulares omni tempore, etiam Paschali, sed sæculares præcepto de annua confessione non satisfacere: Nam respondetur, illud falsò obiici. Quod 1. probatur ex Concilio Generali Lateranensi V. eiusdem nominis, sub Leone X. quod interpretans cap. *Omnis vtriusque sexus*, alterius Concilij Lateranensis sub Innocentio III. 1215. ac loquendo de Mendicantibus sic habet: *Talibus præsentatis & admissis, vel etiam indebitè recusatis, confitentes, constitutioni quæ incipit, Omnis vtiusque sexus, quoad confessionem satisfecisse censeantur, sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus.* Quid expressius hisce verbis, quæ lucem veritatis etiam oculis cęcutientibus exhibent?

Probatur 2. per extrauagantem Benedicti II. quæ incipit, *Inter cunctas*, de Priuilegiis, vbi expressè habetur, *Quòd confessi dictis Regularibus non teneantur ampliùs confiteri.* Subiicio eadem verba, ne quis suspicetur mendacium: *Nec confessi*, inquit, *ipsis Fratribus peccata illa, de quibus confessi sunt eis, & absoluti, pænitentes de illis Sacerdotibus propriis teneantur* (sicut etiam non tenentur) *iterum confiteri.* Quibus adstipulatus Clemens VIII. super causa Regularium contrà Archiepiscopum Cameracensem, & Episcopum Atrebatensem, & alios, in Breui ad Episcopum Tiracensem in illis partibus munere Nuncij Apostolici fungentem directo, sic effatur, *Præsenti nostro decreto sancimus, tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis priuilegiatis prædictis, quibus à sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quouis alio tempore confiteri licitè posse.* Volens autem idem summus Pontifex, vt de-

cretum huiusmodi propriũ assequeretur effectum, sic ad præfatum Episcopum Tricarensem sermonem dirigit; *Vt parochos in eorum officio contineat, illosque à propositionibus, quibus tollitur libertas populo confitendi peccata, etiam in Paschate ipsis priuilegiatis, abstinere faciant.* Suffragantur huic opinioni plures aliorum Pontificum sententiæ, ac decreta sacrarum Congregationum, quæ referre superfluum esset.

Probatur 3. adhuc ex iure communi in extrauag. Ioannis XXII. superiùs allata, quæ incipit, *Vas electionis*, de Hæret. quâ priuilegiis Regularium, quantùm attinet ad quorumdam sacramentorum administrationem, confirmatis, errorem Ioannis à Poliaco doctoris parochi, publicè populo prædicantis, *Quòd confitentes Fratribus habentibus licentiam audiendi confessionem*, expende illa verba, *tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti* (quem dicebat esse Curatum) condemnauit his verbis, *Falsum, erroneum, & à sacra doctrina deuium reprobamus de Fratrum nostrorum consilio, vniuersis etiam ac singulis districtiùs inhibentes, ne quisquam præmissos articulos damnatos & reprobatos* (quorum vnus erat ille) *& contenta in eis, vel aliqua ipsorum, vtpotè catholicis mentibus reiicienda, tenere audeat, asserere, vel docere.* Et ideò Sixtus IV. in Mari magno fratrum Prædicatorum, Minorum, Augustiniensium, & Carmelitar. illos puniendos ab Inquisitoribus, tanquam de hæresi suspectos decernit, qui confessos Regularibus, iterum parochis eadem peccata confiteri, quasi nulliter confessos, obligatos esse affirmant. Non mirum ergo si Bonifacius VIII. aliàs excommunicationis gladio percussit catholicos, falsò & obstinato animo opinantes, huiusmodi confessiones esse inualidas; vt rectè notat Corduba in concessione Clementis IV. suprà relata.

Ex quibus tandem sic conficio argumentum: Si sententia quæ asserit peccata regulari sacerdoti, habenti facultatem generalem audiendi confessiones, declarata & confessa, iterum parocho confitenda esse; est erronea, ab Ecclesia damnata, & à catholicis mentibus eliminanda: ergo doctrina quæ contrarium asserit, confessum nempe Regulari habenti facultatem generalem audiendi confessiones, legitimè & validè confessum esse; nec teneri iterum peccata curato, seu parocho confiteri: Illa inquam, sententia est catholica, & ex iure. Ergo iure confessus regulari sacerdoti satisfaçit præcepto annuæ confessionis; cùm verba vniuersaliter, absolutè, & absque certa restrictione temporis prolata sint absolutè & sine limitatione ad alicuius temporis differentiam intelligenda. Sed vt hæc omnia, & ea quæ in sequentibus discenda sunt, meliùs percipiantur: & errores qui aduersùs veram huius materiæ doctrinam aperti detegantur, apponenda est hic de verbo ad verbum Bulla Calisti III. à Sixto IV. in Mari magno Carmelitarum inclusa & ab eodem confirmata: necnon recepta in Archiepiscopatu Burdigalensi per sententiam Officialis in suo causarum auditorio pronunciatam, quæ huius tenoris est.

Calixtus Episcopus &c. Inter cætera quæ nostra pastorali curæ competunt, ea ipsa proculdubio potissima esse decernimus, quibus Christifideles cunctis propulsis erroribus in vnitate fidei ac pacis quietè viuere gloriamque prosequi beatam conspicimus, &c. prout in singulis Eugenij & Nicolai prædecessorum litteris huiusmodi pleniùs continetur, quarum quidem tenor sequitur & est talis: Nicolaus Episcopus &c. Vniuersis & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis electis & Abbatibus vbilibet constitutis, &c. Prouisionis nostræ &c. præsentibus annotari fecimus qui sunt tales Eugenius Episcopus, &c. prædictis prælatis suam bullam dirigens; sic incipit gregis nobis crediti &c. Et licet post modum ad pia recordationis Ioannis Papæ vigesimisecundi, etiam prædecessoris nostri notitiam deducto, quod quondam Ioannes de Poliaco magister in Theologia sequentes articulos tenuerat publicèque docuerat, quod confessi fratribus licentiam generalem confessiones audiendi habentibus eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum proprio sacerdoti confiteri teneantur, ac stante statuto, Omnis vtriusque sexus, in concillo generali, nec Deus, nec Romanus Pontifex facere potest, quod Parochiani non tenerentur omnia peccata sua semel in anno scilicet, sacerdoti Parochiali curato confiteri: quodque non posset Papa generalem dare potestatem audiendi confessiones, imò nec Deus, quin confessus generalem habenti licentiam, teneretur eadem iterum proprio sacerdoti, veluti Parochiali curato confiteri, dictus Ioannes prædecessor à verbis, quæ vas electionis protulit, exordium sumens, habita inde per plures sacræ paginæ professores examinatione diligenti, necnon de venerabilium

bilium fratrum suorum Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, præfatos articulos tamquam falsos, erroneos, & à sana doctrina deuios authoritate Apostolica damnauerit & reprobauerit, ipseque Ioannes de Poliaco veris rationibus opinioni quam dudum habuerat & contrariis, & quibus respondere non potuerat, demonstratos eosdem articulos non esse veros affirmans illos, in consistorio publico, necnon ipsorum Ioannis Papæ & Cardinalium præsentia reuocauerit: tamen sicuti nuper fratrum ordinum lamentabili eorumdem querela ad nostrum non sine displicentia graui peruenit auditum plures Ecclesiasticæ, necnon aliæ vtriusque sexus personæ reprobos superstitiososque articulos huiusmodi amplexantes, fideliumque animos inficere, ac ea vt fratribus ordinum huiusmodi non confiteantur, & ab eorum deuotione retrahere molientes, ne dum prædictos, sed & alios etiam sacris canonibus omninò contrarios articulos astruere publicè non verentur, videlicet quod confessio fratribus sic electis & admissis facta dubitabilis sit & incerta, vnde tenentur omnes incertum dimittere, & sic solum confiteri suis sacerdotibus curam animarum habentibus, sub pœna peccati mortalis; ac quamuis ipsi fratres admissi authoritatem habeant confessiones audiendi & absoluendi; tamen ad eos accedendi populus subiectus sine licentia proprij sacerdotis non habet potestatem; fratres quoque priuilegia, pro confessionibus audiendis & sepulturis habendis petentes in peccato mortali & Romani Pontifices illa mendicantibus concedentes, siue confirmantes, etiam in simili peccato etiam excommunicati sunt: ac dicti fratres mendicantes non pastores, sed fures, latrones, & lupi censentur; sacerdos autem curatus mendicantibus confessiones audiendi licentiam dans magis super ipso statuto omnis vtriusque sexus dispensat, quam Papa fratribus licentiam tribuens iuxta formam decretalis ante dictæ; illos igitur animarum, & alia quæ præmissorum articulorum occasione, nisi prodeuntes inde confutarentur errores succedere possent pericula trepidantes, ac illis quantum in nobis fuerit obuiare cupientes; omnes articulos vnà cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus maturè inspeximus, & per diuersos in iure canonico doctores, & sacræ paginæ professores diligenter examinari fecimus: & quia protinus illos falsos & erroneos, ac eisdem canonibus aduersos fore reperimus, illos de dictorum fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, authoritate Apostolica pro falsis & erroneis, & aduersantibus sacris canonibus damnatos, reprobatosque declaramus ac decernimus; quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus singuli vestrum, qui super his à quocumque prædictorum ordinum Prædicatorum, Minorum, & Augustini, & gloriosissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ de monte Carmeli, super præmissis priuilegiatorum Magistro generali, ac Prouinciali ministro Vicario, vel aliis gerente officium fueritis requisiti ad confutandos & reprimendos, ac penitus tollendos huiusmodi errores, prout in præfatis decretali siue constitutione super cathedram, ac extrauagante vas electionis, continetur, diligenes studio ac cura prouideatis, & intendatis, præfatasque constitutiones integrè seruantes, faciatis ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Et si quos forsan huiusmodi damnatos, vt præfertur, articulos, aut aliquem, seu aliquos eorum pertinaciter asserere, vel temerè prædicare inueneritis, contra illos communiter, vel diuisim tamquam contra hæreticos, & de Catholica fide suspectos procedere: necnon ipsos, & eorum quemlibet iuxta tantorum excessuum qualitatem per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna iuris remedia authoritate Apostolica compescere studeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, &c. Cæterum vt earumdem litterarum tenores maioris roboris & efficaciæ censeantur, nos de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu easdem prædecessoris nostri litteras, in omnibus & per omnia innouantes, approbamus, confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.



CAPVT II.

A QVIBVS PENDEAT VSVS FACVLTATIS AVDIENDI CONFESSIONES, ET QVALIS EA SIT?

PROPOSITIO I.

REgularis vbi Tridentinum non est receptum, potest sine Episcopi approbatione, etiam seclusis priuilegiis, audire confessiones: vbi autem viget, pendet ab illa, ac etiam ab examine, si ius commune, & priuilegia demas.

Notandum est 1. approbationem esse publicum, & iuridicum Episcopi testimonium, quo quis idoneus ad confessiones audiendas auctoritatiuè declaratur. 2. Iurisdictionem & approbationem inter se multùm differre; nam iurisdictionem quilibet Ordinarius dare potest, approbationem autem Episcopus. Et licèt vt ait Henriquez lib. 6. cap. 6. nu. 2. cum Mantio Gallo, & aliis recentioribus quos citat, Parochus vrgente casu ad tempus approbare possit virum doctum, & notum; illud tamen non tam est approbare, quàm præsumpta Episcopi approbatione in casu necessitatis iurisdictionem impartiri. Quod ex eo confirmatur, quòd iurisdictio sequitur approbationem; non necessariò, cùm sæpe fit approbatio sine iurisdictione, sitque proxima dispositio ad illam suscipiendam, non illius susceptio. Denique temporanea est iurisdictio, approbatio verò non, semperque fuit iurisdictio necessaria, non verò approbatio, vt mox dicemus.

His positis probatur propositio quoad primam partem, quoniã ante Tridentinum, poterat sacerdos sæcularis à Parocho ad audiendas confessiones inuitatus, licitè & validè, absque alia approbatione illas audire, vt Doctores communiter tradunt, & inter illos Adrianus, Caietanus, Sotus, Victor, & Suares: potestque impræsentiarum, vbi Tridentinum non viget, nisi speciale ius nouum hoc prohiberet. Nam Episcopus in concilio Prouinciali, aut in Synodali Diœcesi, potest parochis prohibere, ne suam iurisdictionem per delegationem conferant, nisi à se approbatis. Nam cùm hæc externa iurisdictio Parochorum sit subordinata Episcopis, possintque iustæ causæ reperiri, cur illud fiat; quis hoc præceptum inane diceret, si fieret? cùm iam etiam factum fuerit in concil. prouinciali Turonensi 1583. his terminis, *Ne cui etiam Sacerdoti, præsertim in vrbibus, audire priùs liceat confessiones quàm ab Episcopo eius loci, aut Pænitentiario capax & idoneus iudicatus fuerit, tum in vita, tum in moribus.* Quod etiam in Gallia multi creduntur sanxisse; ergo similiter confessarius regularis id poterat, ac etiam potest, vbi Tridentinum non est receptum: nec vllum ius existit, quo illi prohibeatur. Dices, obstare illud decretum Turonense, & alia similia decreta in aliis Diœcesibus edita; sed responsio in promptu est, valere obiectionem, si regularis iurisdictionem ab Episcopo acciperet, & illius dominio subderetur; sed quia ei non subditur, & iurisdictio regulari concessa independens erat ante Tridentinum ab approba-

tione Episcopi; ideò non vigente Tridentino remanet idem ius, poteſtque iuriſdictione ſibi alias impartita legitimè vti. Sic Præpoſitus de Sacramento Pœnitentiæ quæſtione octaua dub. 1.

Secunda propoſitionis pars probatur ex cap. 15. ſeſſ. 23. Trident. in quo ſic pronunciatur, *Decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem obtineat.* Excipe tamen ab hac regula tres caſus, in quibus licet cuilibet ſacerdoti non approbato audire ſæcularium confeſſiones. Primus eſt, cùm illas audit de ſolis venialibus, 2. de mortalibus aliàs confeſſis, & abſolutis 3. morientium, ſeu in articulo mortis pœnitentium in peccato mortali exiſtentium: eſtque hæc ſententia communis & in praxi, ſi Concilium illud tantùm de ſimplici ſacerdote ſæculari, & regulari intelligatur; nam ſicut parochus ad illum non adigitur, ſic etiam nec Prælatus Regularis, qui quaſi parochiale beneficium poſſidere cenſetur: vt docent quam plurimi, inter quos ſunt Henriq. de Indulg. cap. 22. num. 3. in Gloſſa lit. R. vbi citat Mantium Gallum, Medinam & Bannem: ſic etiam Ioann. Valer. in Differ. vtriuſque fori, verb. *Nullitas*, differ. 5. num. 3. de Lugo diſput. 21. de Pœnit. ſect. 1. num. 9. Sorbus in reſolut. mat. abſolut. quoad Fratres & Sæcular. verb. *Abſolutio quoad ſæculares.* 2.

Quoad verò 3. partem certum eſt ex multis grauiſſimis Doctoribus, quos alibi citauimus, Extrauag. Bonifacij VIII. *Super Cathedram*, non eſſe à Tridentino reuocatam: nec etiam Clement. *Dudùm*, nec Extrauag. *Frequentes*, in quibus ne quidem verbum de approbatione & examine Epiſcopi mentio fit: ſed tantum de ſola admiſſione ab Epiſcopo, aut licentia ad confeſſiones audiendas: ergo eum illæ conſtitutiones non requirant in Regulari, Epiſcopi examen & iudicium de capacitate ſeu approbatione, ſed tantum præſentationem cum humili petitione licentię ad confeſſiones audiendas, illa nequaquam requiritur. Quod manifeſtè probatur ex declaratione per Pium V. illius cap. Trident. facta per Bullam, quæ incipit, *Etſi Mendicantium*, in qua interpretatur, Mendicantes non comprehendi ſub illo capite, his verbis: *Quod verò in ſeſſ. 23. cap. 15. circa confeſſiones audiendas ſtatuitur, hoc etiam dictorum Ordinum, videlicet Mendicantium Fratres à præfatis ſuis Generalibus, vel Miniſtris Prouincialibus ad audiendas confeſſiones vtriuſque ſexus fidelium approbatos, vt præmittitur, minimè comprehendat.* Quid clarius? Verum vt vis huius declarationis perfectius dignoſcatur, notandum eſt, quòd Pontifex illam facit, reſpondendo querelæ Mendicantium ad ipſum delatæ tenoris ſequentis. *Quòd quorumdam locorum Ordinarij quoſdam religioſos, probos viros, & idoneos, etiam à ſuis ſuperioribus approbatos ad confeſſiones audiendas admittere nullo modo volunt.* Quibus vides, Mendicantes conqueri, quòd Ordinarij prætextu Tridentini in prauum ſenſum retorti (vt verbis illius Bullæ vtar) cogebant Mendicantes ad approbationem recipiendam, alioquin illos non admiſſuri; violantes in hoc ius commune, quod diſponit, approbationem regularium Prælatorum, & præſentationem regularis per eoſdem factam, ſufficere, vt illis præſtitis, Ordinarij illum ſic pręſentatum ad confeſſiones audiendas admittant. Quam ſententiam ſuſtinere coguntur illi, qui Clementinam *Dudum*, & Bullam Leonis, &c. in Concil. Lateran. editam, inchoatam, *Sacro approbante Concilio*, ſuſtinent, non eſſe reuocatas.

Nec obiicias 1. prædicti Pij declarationem eſſe contra mentem Tridentini, quoniam præter quòd hæc obiectio eſt perſonæ, & dignitati eiuſdem Pij iniurioſa, perſonæ quidem, quia ferè immediatè poſt Tridentini confirmationem, & promulgationem, ad Petri Sedem euectus fuit, ac propterea doctus illius mentis, cum Romæ haberet pręſentes multos Patres & Doctores, qui in dicto Concilio adfuerant, à quibus facilè quid intenderet, accipere poterat, & accepiſſe de illius probitate, & prudentia iudicandum eſt. Dignitati etiam iniurioſa obiectio; cum de iure ad ipſum ſolum mentem Concilij interpretari ſpectet: certè contra illius mentem non eſt hæc declaratio. Nam in illo capite triplicem idoneitatem ponit, quarum quælibet ſufficit ad audiendas confeſſiones. 1. eſt *habere parochiale beneficium* 2. *per examen ab Epiſcopis faciendum, ſi illis neceſſarium videatur.* 3. *aliis ex cauſis idoneitas iudicata*, quæ ex plu-

ribus titulis talis est, vt (verbi gratia) si quis sit Doctor, vel licentiatus, vel alias honorié doctus, vt docet Bellarminus cum multis aliis in suis Obseruat. in dictum cap. Trident. vel etiam per examen propriorum Prælatorum Regularium talis iudicatus fuerit, iuxtà Clementiam, *Dudum*, quæ idoneitas videtur iure merito sufficiens, cùm superfluum sit duplex examen, vbi vnum sufficit.

Nec, vt verum fatear, video, cur decretum Tridentini absque sui læsione patiatur tres exceptiones positas in principio propositionis, & non patiatur hanc exceptionem circa Mendicantes in iure communi insertam: cùm lex generalis posterior sæpè limitetur per speciale ius antiquum, quæ sine dubio in hoc casu limitata est, vt obseruatur in annotatione marginali textus Concilij, in quo apponitur Clementina, *Dudum*, de Sepulturis, quâ significatur intelligendum esse hunc textum ad illius Clement. formam, vt fatetur etiam Augustinus Hunnæus, in approbatione earumdem annotationum apposita in principio Tridentini Lugduni impressi 1618.

Non obiicias 2. hanc declarationem Pij in prauum sensum interpretari; cùm immediatè post illam Pontifex pronunciet, *Statuimus, quòd Lectores, & Graduati,* &c. *ab Episcopis minimè examinentur*: ergo à contrario sensu tenentur examini se subiicere, vt sic probentur idonei, & subinde approbentur; quod examen in dicta bulla Pontifex sæpiùs supponit: quoniam respondebitur 1. quòd illa declaratio Pontificis non potest aliter, quàm vt dictum est, intelligi; vt legenti caput interpretatum, & hanc declarationem planum fiet. 2. Quòd vt diximus in 1. tract. Pontifex in dicta bulla multa operatur: primò enim Tridentinum declarat: 2. constitutiones facit: 3. approbat, & confirmat antiqua Regularium priuilegia: quocirca quantum ad illud Tridentini caput, dispositio illius est declaratoria: vtitur enim verbo illo *Declaramus*: at verò post declarationem factam statuit, quod in obiectione ponitur; quapropter vtitur verbo *Statuimus*, nihilque circa examinis, aut approbationis obligationem statuit; sed tantùm faciendum examen enunciatiuè supponit: quod non est, vt omnes sciunt, obligationem imponere, si aliunde non existat; quòd autem aliunde sit, probãdum foret. Respõdebitur 2. Pium V. specialia Regularium priuilegia potuisse ignorare, & supposuisse ex Concilio Lateran. sub Leone X. celebrato sess. 11. (in quo nequidem verbum de approbatione habetur) examẽ Regularis ab Episcopo fieri posse.

Instabis adhuc, in prauum sensum interpretari præfatam declarationem Pij, quoniam illam per verba sequentia restringit, dum addit, *ita vt à confessionibus audiendis, tam intrà eorum Ecclesias & domos, quàm extra minimè prohibeantur.* Respondetur, declarationem absolutè loqui, Mendicantes non comprehendi sub Tridentino, quod dumtaxat de examine & approbatione loquitur, & quia forsan à maleuolis potuisset oriri dubitatio, si admissio Mendicantium se extenderet extrà domos & ecclesias, declarauit etiam Mendicantes posse audire confessiones extra illas, & aliqua alia quæ sequuntur, de quibus Tridentinum non agebat.

Non obiicias 3. eumdem Pium bulla inchoata, *Romani Pontificis prouidentia*, quibusuis Regularibus, etiam Lectoribus & graduatis in Theologia, prohibere, ne sine præuio examine confessiones audiant: reuocando quoad hoc suam præfatam declarationem; & declarando, & statuendo omnes Regulares examinandos esse iuxtà Tridentinum. Nam respondebitur, Pontificem peculiari statuto illud decernere, non autem declarare Tridentinum aliter, quàm antea declarauerat: alioquin dicendum esset contradictoriè, declarasse: quod nullatenus de Pontifice sine graui iniuria dici potest: illa autem bulla reformata fuit à Gregorio XIII. vt inferiùs dicetur.

Instabis, Gregorium præfatum bullam Pij in qua præinserta declaratio habetur, reuocasse, & ad terminos iuris communis reduxisse, bullâ quæ incipit *In tanta*. Respondetur, nos in primo tractatu probasse, hanc bullam non fuisse publicatam, imò fuisse reuocatam: quæ licèt subsisteret, non reuocaret nisi priuilegia in bulla Pij concessa, contraria iuri communi; non autem declarationes, quæ non sunt priuilegia (vt aliàs probauimus) & hoc est quod intendimus, volumus enim quòd quoad hoc stet ius commune. Accedit, quòd Pontifices priuilegia motu proprio, & ex certa scientia confirmantes, illud statutum in bulla, *Romani Pontificis*, contentum, & alia priuilegiis Regul. contraria abrogarunt; ac ex consequenti hoc priuilegium renouatum est. Adde, quòd etsi Trident. statutum comprehenderet Mendicantes, extaret adhuc illud

priuilegium; cùm nec illud, nec Bulla Pij habeat clausulas reuocatorias, quas alibi diximus necessarias ad reuocationem illius priuilegij: de Tridentino certum est, vt in principio huius propositionis ostendimus. Hæc autem, qui non reuocat ius commune, licèt habeat clausulam reuocatoriam priuilegiorum.

Non obiicias iterum, quòd si hæc declaratio valeret, omnes Mendicantes ab examine & approbatione Episcopi iure communi eximerentur, quia vniuersaliter de illis pronunciat, cùm tamen iure communi quatuor antiqui Mendicantes ab illis oneribus solùm eximantur. Respondetur, dicendo illam declarationem omnes Mendicantes numero 8. comprehendere, videlicet quatuor antiquos, ac Seruos B. Mariæ, Iesuatos, Fratres Minimos, & Clericos Regulares Societatis Iesu. Dices, quomodo valere potest hæc responsio, cùm hæc declaratio emanauerit anno 1567. 17. Calendas Iulij: at verò licet anteà declarati fuissent mendicantes serui B. Mariæ, attamen FF. Minimi posteriori tempore fuerunt Mendicantes declarati, videlicet 9. die Nouembris eiusdem anni 1567. Iesuati autem 18. eiusdem mensis, & anni: & denique Clerici Societatis Iesu 7. Iulij 1571. omnes illi 4. vltimi ab eodem Pontifice Pio V. & ex consequenti cùm huiusmodi Regulares Mendicantes non essent, non poterat huiusmodi declaratio eos afficere; ac propterea sub decreto Trident. comprehendantur. Respondetur 1. hanc declarationem emanasse sub forma Bullæ non ad futuram, sed ad perpetuam rei memoriam; ac propterea tum præsentes, tum futuros Mendicãtes afficiebat; cùm in futuris eadem ratio illius exemptionis existeret. Quemadmodum Rex per legem eximẽdo à tributis nobiles, eximit futuros à tributis eo tempore, quo nobilitate gaudebunt. Respondetur 2. hanc declarationem afficere tum Regulares Mendicantes Pontificiis diplomatibus tales declaratos, tum etiam alios ex instituto Mendicantes, qui verè, sicut alij Regulares Mendicantes sunt. Vt optimè idem Pius Bulla quæ incipit, *Dum indefessæ*, declaratiua, quòd Societas Iesu erat vnus ex Ordinibus Mendicantium, manifestè ostendit, dum sic pronunciat, *Hinc est, quòd nos attendentes, tum quia ipsa Societas mendicans existit, quippè quæ ex eius instituto, & constitutionibus auctoritate Apostolica confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis, fideliumque largitionibus, & subuentionibus viuit: tum quia non minùs quàm cæteri Mendicantes in excolenda vinea Domini assiduè laborant, fructusque ingentes & salutiferos producunt; ac propterea eisdem priuilegiis, indultis, & gratiis Fratribus Mendicantibus hactenus concessis, vti, frui, potiri, & gaudere meritò possint, ac debeant.* Quibus vides dictam Societatem verè ex suo instituto mendicantem: ipsamque ex eo, priuilegiis, &c. aliorum Mendicantium gaudere, & ex consequenti sufficere, vt Ordo aliquis Regularis ex instituto sit Mendicans, vt priuilegiis Mendicantibus concessis potiatur, licèt talis non fuerit declaratus.

Verùm non videtur soluta & euacuata difficultas; nam licèt posteriores Mendicantes ob priuilegia, & institutum non includantur sub decreto Tridentini, non tamen in vi iuris communis. Respondetur tum ex instituto, tum ex priuilegiis, tum denique in vi iuris communis non comprehendi sub decreto. Quod manifestè constat ex Bulla præcitata, *Dum indefessæ*, in qua Pontifex, vt omnem auferat dubitationem circà hoc, sic expresè declarat, *Nos ambiguitatem huiusmodi amputare volentes*, &c. *motu proprio*, &c. *& ex certa scientia nostris, illam, & illius Præpositum, & singulas personas Societatis huiusmodi, verè & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore; & inter aliorum Fratrum, & Religiosorum Mendicantium Ordines, aliosque Fratres Mendicantes, prout illos nos connumeramus, & connumerare debere: ac omnes & singulas tam iuris, quàm hominum dispositiones, in fauorem Religiosorum, seu Fratrum Mendicantium, nunc & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiusque domibus, collegiis, Præposito & aliis Religiosis locum habere.* Quibus vides, dictam Societatem ex suo instituto Iuris dispositionibus gaudere, ac ex consequenti cæteros qui simili instituto ligantur. Ratio huius veritatis à Pontifice indicata est, quoniam cum ille textus Clementinæ in corpore iuris sit insertus, & eius ratio generalis omnes Mendicantes comprehendat, omnibus quoque Mendicantibus sit communis; tum 1. quoniam cum Princeps vni præsidi rescribit, ex consequenti omnibus rescripsisse videtur, vt docet Barth. in L. relegatorum §. interdicere ff. de Interd. & Releg. Iason in L. 1. n. 7. ff. de Constit. Princip. Put. de Syndic. §. Official. cap. 1. num. 14. & Parlad. lib.

2.Rer. Quotidian cap. fin. 5. P. §. 10. num. 26. Tum 2. quia sicut Antiregulares in odiosis vtpotè sepulturis, administratione Viatici, Extremæ-vnctionis & aliis in Iure communi insertis eos comprehendunt. Non video cur in fauorabilibus, eos excludant. Accedit quòd constitutiones in dicto iure insertæ sunt leges vniuersales pro omnibus in quibus eadem ratio reperitur.

Non obiicias 4. Concilium Lateranense V. sess. 11. statuere, vt Mendicantes à suis Prælatis ad confessiones audiendas præsentati ab Episcopo examinari valeant, dum sic pronunciat, *Possintque vbi per eosdem Episcopos & Pralatos super sufficienti literatura, & aliqua saltem huiusmodi sacramenti Pænitentiæ peritia dumtaxat examinari.* Ergo prædicti Mendicantes præsentati possunt ab Episcopo examinari; & cùm examen, approbatio, aut reprobatio necessariò sequatur, ab eodem approbari, & reprobari possunt. Non obiicias, inquam, quoniam respondebitur, illud Concilium sic decernere, sed absque reuocatoria iuris communis clausula, quam necessariam sustinent doctores, inter quos sunt Ioannes de la Cruz de Statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 1. conclus. 2. & communiter Iurisperiti in lege *Hæres absens*. ff. De re iudic. Felinus cap. 1. de Rescript. num. 12. Nauarrus lib. 3. Consil. consil. 7. tit. de Regular. Bartholus verb. *Vel diuers.* & in authent. *Qua in Prouincia*: Henriques lib. 6. cap. 6. num. 4. quos citat Layman: & alij quos refert, & citat Rodericus tom. 1. QQ. Regul. q. 59. & alij inferius citandi: Ratio est, quia Concilia, & Pontifices non intendunt tollere alicui ius quæsitum, nisi clarè exprimant, vt Doctores tradunt. Nec dicas, constitutionem posteriorem abrogare priorem, licèt de illa mentionem non faciat, vt habetur cap. *Licet Romanus*, de Constit. in 6. nam id non intelligitur de constitutionibus in iure insertis, vel in Concilio conditis; sed tantùm de priori lege à solo Pontifice condita, quando est incompatibilis cum posteriore. Quòd si instes, non esse opus reuocatoria clausula, cùm Tridentinum & Lateran. Concil. nihil detrahant iuri antiquo; sed tantùm addant aliquid nouum. Respondetur detrahere; cum tollat libertatem antiquam Regularium, & imponat præter primum onus examinis & approbationis per Prælatos faciendæ, aliud secundum examinis, & approbationis per Episcopum iterum faciendæ.

Respondetur 2. hoc decretum, sicut & alia in dicto Concil. Lateran. Priuilegiis Mendicantium contraria, Leonem X. huius decreti conditorem in vtroque foro reuocasse, vt in 1. tract. probationis; quocirca priuilegium illud iuris antiqui viget, sicut si hoc decretum non emanasset. Accedit, quòd priuilegia Regularium ab illo tempore ex certa scientia confirmata fuerunt, vt alibi probatum fuit, quæ confirmatio in pristinum statum reuocata restituit.

Non obiicias 5. constitutionem Vrbani VIII. inchoatam *Cùm sit*, die 13. Septembris 1627. emanatam, reuocare omnia priuilegia quibusuis Regularibus concessa ad audiendas sæcularium confessiones absque approbatione & examine. Nam respondebitur ita esse; sed non derogare iuri communi. Nec Pontificum quidquam aduersùs Regulares eorumque priuilegia in communi determinare, sed tantùm priuilegium aduersùs Regulares solius Diœcesis Giennensis, Cardinali de Sandoual illius Episcopo impartiri, vt possit illos examinare & approbare, licèt antea examinatos & approbatos, vt legenti planum fiet, & fusiùs dicetur.

Quòd si institeris, ex omnibus superiùs conclusis sequi, Regulares omnes ab approbatione & examine esse exemptos; cùm in priuilegiis Mendicantiũ participent: ac proinde decretum Tridentini suo effectu, sicut etiam illud Lateranensis, priuari. Respondebitur, plurima Conciliorum decreta absque effectu existere, vel quia non promulgata, aut recepta, aut quia vsu contrario vel priuilegio abrogata: cuius generis hæc duo decreta existunt, quæ per priuilegium contrarium, aut per confirmationem priuilegiorum & Clementinæ *Dudum*, abrogata sunt, quibus priuilegiis, vt alibi ostensum est, ac Clementina prædicta potiuntur non Mendicantes; quod aduersarij minimè negare possunt: cùm in vi illius postulent quartam funeralem, & alia tum à Mendicantibus, tum à non Mendicantibus; cùm tamen non sit extensa in terminis, nisi ad solos Dominicanos, & Minores, & posteà per Ioannem XXII. ad Augustinienses & Carmelitas. Nec obest huius priuilegij non vsus, quia vt sæpiùs dictum est, non quilibet non vsus derogat priuilegio: præsertim si ille non vsus sit tantùm secun-

dum quid voluntarius: videlicet ne offendantur Prælati; & quia minùs malum, ideò magis eligibile videtur non vtentibus, examinis experimentum ferre; & approbationem recipere, quàm Episcopos exacerbare: dummodò neque tacitè & virtualiter, neque expressè & formaliter contineat actum in substantia, vel forma repugnantem dispositioni legis: imò etiamsi repugnantem, vt proximè dictum est, contineret, non derogaret ex indultis ab Eugenio IV. concessis bullâ quæ incipit, *Regularem vitam*, & alia inchoata, *Ex Apostolica sedis*, vt probauimus in 1. tractatu.

Quòd autem torrens Doctorum sit contrariæ sententiæ, nihil obest: nam vel plurimi illorum priuilegia non legerunt, aut non satis examinarunt, vel forsan approbationis nomen pro admissione vsurparunt. Nos verò pro nostra sententia habere præmemoratam declarationem Pontificiam, & multos graues Doctores, Nauarrum in Manuali cap. 27. nu. 265. & 266. Rodericum in bullam Cruciatæ, §. 9. nu. 30. & 15. graues Doctores à Diana cit. 3. part. tract. 2. de Dub. regular. resolut. 14. qui omnes existimant, per illud decretum Tridentini non esse reuocatam Clementinam *Dudum*, & ex consequenti nostram sententiam sustinere coguntur, cùm Clementina non postulet examen, & approbationem Episcopi. Attamen non consulo Regularibus illud examen & approbationem recusare ob Doctorum torrentem, Cardinalium declarationes, praxim contrariam in sensu literali Tridentini fundatam, in fauorem contrariæ sententiæ, quam vt plurimum in propositionibus sequendam nobis proponimus.

Tria autem sub finem huius propositionis, posita obligatione ad examen, certissima teneas: Primum, posse sacerdotem regularem audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia sui Conuentus, absque approbatione & licentia Episcopi, ex priuilegiis, quæ multa quoad hoc sunt. Quod etiam congreg. Cardinalium declarauit explicando dictum can. 15. sess. 23. his verbis, *Sacra Congregatio censuit, præfatos Regulares, seu alios Religiosorum confessores, posse audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, aut aliàs deseruiunt in eorum Monasterijs, si tamen sint continui commensales, absque licentia, seu approbatione Episcoporum.*

Secundum, quod certissimum est, Confessarium regularem præuio examine Romæ à Vicario eiusdem vrbis ad confessiones audiendas approbatum, non debere extra Romam examinari à locorum Ordinariis, si in illis confessiones audire voluerit; sed sufficere præsentationem eius Romæ habitam, & ab eisdem Ordinariis petitionē licentiæ: sic concessit Sixtus V. Congregationi Oratorij S. Mariæ in Vallicella 1586. Nonis Septembris, vt habetur apud Quaranta in Summa Bullarij, tit. *Confessor*, & tenet Marcellinus à S. Benedicto verbo *Confessor*, §. 9.

Tertium, quòd licet Prælati regulares ex Tridentino cogendi essent ad examen & approbationem ad audiendas confessiones, priuilegio tamen Cassinensibus per Sixtum IV. concessio eximerentur, quo fit illis facultas, vt possint audire confessiones omnium ad eos vndequaque accedentium; & illos absoluere, etiamsi à locorum Ordinariis ad id examinati & approbati non fuerint: quam facultatem refert Iacob. de Graffiis in suo lib. Concil. consil. 4. de Pœnit. & remiss. nu. 6. & Marcellinus à S. Benedicto, verbo *Absolutio quoad Monachos*, §. 13. illamque asserit esse in vsu apud Cassinenses, & à Paulo V. confirmatam.

PROPOSITIO II.

Regularis à suis Superioribus examinatus, & approbatus, ac Episcopo præsentatus ad confessiones audiendas; & admissus ab eodem, est perpetuò admissus, non solùm in Diœcesi illius Episcopi, sed probabiliter etiam in Diœcesibus aliorum Episcoporum.

Hæc veritas quoad primam partem probatur ex dicta Clement. *Dudum*, de Sepult. his verbis: *Ac deinde præfati Magistri, Priores, Prouinciales, & Ministri Ordinum prædictorum eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas,*

atque peritas ad tam salubre ministerium, & officium exequendum: quas sic ab ipsis electas repræsentent, vel faciant præsentare Prælatis; vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus, & Diœcesibus eorumdem huiusmodi personæ sic electæ, confessiones sibi confiteri volentium audiant, imponant pœnitentias, & beneficium absolutionis in posterum impendant. Quibus vides examen morum & capacitatis ad Regularium Prælatos spectare, nudamque exteriorem præsentationem per eosdem factam Episcopo de Regulari ad confessiones audiendas esse requisitam; vt optimè explicando illam Clementinam notat Suares de Pœnit. disput. 18. sect. 5. nu. 14. sub finem. Atque huic dispositioni conformis est in aliquo Decretum Lateran. Concil. sub Leone X. sess. 11. quod apud Regulares valet in his, quæ Clementinæ prædictæ, aliisque Regularium priuilegiis non est contrarium; dum sic pronunciat. *Necnon superiores eorumdem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Prælatorum pro tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac repræsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint: alioquin ad eorum Vicarios, dummodò ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur, omninò teneantur.* Instabis, ergo si Clementina viget, tenentur Prælati præsentando suos subditos; pati repulsam illorum ab Episcopo factam, & alios ei de nouo præsentare. Respondetur, huic iuri derogatum esse; tum à dicto Concil. Generali Lateran. tùm à pluribus aliis Pontificibus, cum expressa clausula dictæ Clementinæ derogatoria, & nominatim à Pio V. Bulla prædicta inchoata, *Et si Mendicantium,* vt in proposit. præcedenti ex textu ipsius patet qui licèt non exprimat dictam Clementinam; attamen confirmat Bullas Pij IV. & Pauli IV. confirmando earumdem clausulas reuocatorias quæ expressè reuocant Clementinam quatenùs aliis priuilegiis, & consequenter huic priuilegio antedicto contrarias successiuè Greg. XIII. Sixtus V. Clem. VIII. & Paulus V. cum eademmet clausula priuilegia omnia & consequenter hoc de quo est quæstio, confirmarunt, vt fusiùs dicetur interiùs. Ac sic huic obiectioni respondent Suares de Pœnit. disputat. 28. sect. 5. nu. 15. Vasques tom. 4. in 3. part. quæst. 93. art. 3. dub. 5. nu. 5. Cardinal. de Lugo disput. 21. de Pœnit. sect. 3. nu. 54.

Secunda pars propositionis, videlicet, quòd talis admissus sit perpetuò admissus, nec possit ab Episcopo admissio ipsius reuocari, sequitur ex præcedentibus: si enim iure communi, & ex priuilegiis ei conceditur audire confessiones fidelium, eique absolutè admissio, seu licentia conceditur: sine dubio sequitur, quòd concessio huiusmodi est perpetua; cùm priuilegium absolutè concessum sine limitatione & restrictione aliqua sit intelligendum. Verùm, vt hæc veritas clariùs elucescat, fusiùs probanda est, tum ex nostra sententia, tum ex suppositione, quòd teneatur Regularis ad examen, & approbationem Episcopi subeundam, quod fiet ex differentia, quæ reperitur inter gratiam & iudicium; gratia enim semper pendet ab arbitrio concedentis, vt exempli causa delegatio à delegante, quam potest pro libito reuocare: at approbatio confessarij est iudicium, seu testimonium veritatis datum ab Episcopo, quod, semel sic datum, non est in potestate dantis: Sicut enim quando iudex semel iudicium & sententiam tulit, non potest ampliùs illam reuocare: & sicut ius docendi per approbationem concessam Doctori non est reuocabile; sic etiam illa approbatio semel data, cùm sit ius, non est reuocabilis ab approbato.

Dices, potest Episcopus Sacerdotem sæcularem approbatum iterum examinare, & si incapacem reperiat, reprobare; ergo de Regulari similiter est concludendum. Respondetur, sæcularem iterum posse examinari & aliquo modo reprobari; dixi aliquo modo, quia hæc reprobatio Episcopi non est dicenda reuocatio approbationis, sed potiùs aut declaratio testimonij dati per errorem, aut peritiæ in qua testimonium fulciebatur desitio: at verò Regularis non potest ampliùs reprobari, quia non potest ampliùs examinari; functus est enim Ordinarius suo officio, nec posteà quicquam ampliùs super hoc potest: maximè cùm hæc reuocatio cadat in iniuriam Regularium, & populi scandalum: ac proptereà non possit mutare iudicium semel datum, iuxta regulam 33. de Regul. iuris in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum:* alioquin posset etiam ius quæsitum alterius tollere, vt est istud Regulari acquisitum. Atque hæc ratiocinatio confirmatur ex extrauag. Benedicti *Inter cunctas*, de Priuileg. cui Clementina *Dudum*, de Sepult. non derogauit: iuxta Sotum in 4. distinct. 18. art.

18. art 3. & innumeros; nisi in iis, quæ Extrauag. Bonifacij VIII. *Super cathedram*, erat cõtraria; alioquin inutiliter inserta fuisset iuri communi posteriori titulo, vt lex sequenda, in qua loquens de licentia Regularibus concessa ad audiendas confessiones sæcularium, sic ait: *datam verò licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari:* & postea, *per hoc autem non intendimus, quòd sæpe dicti Fratres qui ad hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in audiendis confessionibus & pœnitentiis iniungendis, quàm Parœciales Sacerdotes noscuntur habere.* Ex quibus manifestè colligitur, perpetuam illam approbationem & licentiam ad audiendas confessiones, cùm per mortem Diœcesani non terminetur: sitque eadem, aut saltem similis licentiæ Parocho concessæ, quæ nec per mortem concedentis Episcopi, nec per ipsius contradictionem aut reuocationem terminatur.

Probatur 2. ex decisionibus Pontificiis, & congregationis Cardinalium: ac primò se offert Bulla Pij V. vt sæpius diximus, quorumdã capiũ Tridentini declaratoria, in qua post explicatum cap. 15. sess. 23. quod respicit confessarios, sic loquitur, *Statuimus, quòd ille, qui semel in vna Diœcesi admissus fuerit, semper in eadem Diœcesi habeatur pro admisso; nec ampliùs examinari, vel præsentari in dicta Diœcesi debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quàm confessiones audiendas.* Nec dicas, hanc constitutionem Pij fuisse per Gregorium XIII. reuocatam, quoniam illam subsistere docuimus in 1. tract. idque ostendunt plures Cardinalium declarationes etiam in hac materia, quarum vnam referam huius tenoris, *Sacra Congregatio sic censuit, Fratres Mendicantes semel examinati, non debent iterum ab Ordinario, nec etiam per successorem examinari.* Illam referunt Zerola in Praxi Episc. part. 1. verbo *Confessores*, §. 2. Ioannes De la Cruz de Statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 4. conclus. 3. Rodericus. QQ. RR. tom. 1. q. 59. art. 4. Sic quoque docent Henirques lib. 3. cap. 6. nu. 6. in annor. Emanuel Sa verb. *Confessor*, nu. 5. Villalobos in Summa & tom. 2. tract 3. diffic. 53. num 5. Alphonsus à Caranza in suo consilio 29. Doctorum quod habetur in fine explicationis bullæ Cruciatæ, impressum Barcinonæ 1618. & Franciscus Salgado in tract. de Supplicatione ad Sanctissimum 1. part. cap. 4. nu. 40. Martinus à S. Ioseplio in compend. facultat. confessorum sæcular. verbo *Confessiones*, nu. 1.

Obiicies eumdem Pium bulla quæ incipit, *Romani Pontificis prouidentia*, sic determinasse: *Volumus tamen eos qui semel ab Episcopo in ciuitate & Diœcesi suis prauio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari: ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt.* Quam determinationem Vrbani VIII. confirmauit bullâ quæ incipit, *Alias à nobis*: ergo licet Episcopus qui semel examinauit Regularẽ, non possit denuò illum examinare, poterit tamen successor. Respondetur, hanc bullam reuocatam esse pluribus cõfirmationibus priuilegiorum ex certa scientia, cũ expressa derogatoria huius restrictionis Pij V. & supplicante Philippo II. Hispaniarum Rege, à Gregorio XIII. anno 1572. vt habetur in Bullario pag. 1268. & sequent. testante id citato Salgado, reformatam fuisse: quocircà præinserta declaratio Cardinaliũ reuocationi dictæ bullæ conformis emanauit, necnon Sententia sub data 1594. die 2. Aprilis cuiusdam Camilli Caietani Patriarchæ Alexandrini Sedis Apostolicę sub Clemente VIII. in Hispania cum potestate legati de Latere Nuntij: quam refert authenticam Roder. tom. 1. QQ. RR. q. 59. art. 4. quâ prohibet Archiepiscopis, & Episcopis. & aliis maioribus Prælatis sub excommunicationis latę sententiæ pœna, & aliis censuris & pœnis, ne Fratres Minores circa præfatum priuilegium, quod existere declarat, impedire, perturbare, aut molestare præsumant.

Nec hæc dispositio de perpetuitate Iurisdictionis, & approbationis, vel admissionis est contra Tridentinum; quoniam non comprehendit Mendicantes, vt alius ex Pij V. declaratione diximus; nec reuocat priuilegiain corpore Iuris inserta, quibus Mendicantibus hoc priuilegium, seu approbatio, aut admissio perpetua expressè concessa est. Quocirca Pius V. qui hoc priuilegium ad omnes Mendicantes Regulares extensum Bulla præcitara abrogauerat, alia Bulla motu proprio emanata quã citat Henriques allegatus, & ante ipsum Nauarrus cap. 27. statuit, *Regulares ab Episcopo semel examinatos, iterum examinari non posse: nec eo defuncto à subsequente, si sint alicuius Ordinis Mendicantium;* & ab illius Pontificis decreto emanarunt in fauorem huius sen-

tentiæ, multæ Cardinalium Tridentinum interpretantium declarationes; & Doctorum sensus illi penitùs fauet. Ad confirmationem verò Vrbani respondetur, illum Pontificem personaliter Cardinali de Sandoual Episcopo Giennensi quædam priuilegia aduersùs Regulares conformiter ad decreta Tridentini (vt in Bulla asseritur) concessisse, quæ extendit ad Episcopum Giennensem, vt cernere est etiam in dicta Bulla, & patet ex his terminis in ea positis videlicet *Tui* & *Tibi*, & ex illo termino in eadem posito, *hac vice:* factum autem contra vnum, non debet iuri alterius. Accedit, quòd non habet clausulam iuris communis reuocatoriam.

Dices, Pium V. inniti Tridentino, & Mendicantes, & non Mendicantes supponere examini prædicto: Respondetur, Pium V. non declarare Tridentinum, sed iubere, vt Tridentinum de approbatione Regularium seruetur erga non Mendicantes & Mendicantes, vt ipsius verba habent, quæ talia sunt, *Sancimus, decernimus, & declaramus, decretum Concilij Tridentini de approbatione Regularium*, &c. *ab Episcopis facienda ob seruari debere etiam in omnibus Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium.* Tridentinum autem de hoc examine à successore faciendo ne quidem verbum facit; sed de vna sola approbatione; per illa autem verba Pontifex non comprehendit Mendicantes cùm Tridentinum cui innititur, illos non comprehendat, qui etiam in dicta Bulla nòn nisi priuilegia reuocat, non verò ius commune; quod esset necessarium, vt Mendicantes prædicta Bulla afficerentur. Ex quibus constat iurisdictionem concessam regulari esse perpetuam, à solo Papa reuocabilem (pendere tamen in vsu ab admissione, seu approbatione Episcopi; ac proinde illius munus se habere per modum transeuntis, quo peracto nihil in hoc ampliùs potest (quocirca si reuocet grauiter peccat: & sicut Sacerdos Regularis iniustam passus repulsam potest audire confessiones, sic ille qui reuocationem quantumcumque minimam iniustam, & nullam passus est; cùm in vtroque casu par sit ratio. Sic sentiunt Mercerius in 3. part. D. Tho. quæst. 8, art. 4. dub. 2. num. 8. Glossa in Clem. *Dudum*, Suares in dictam part. 3. tom. 4. disput. 28. sect. 8. dub. 7. Henriq. citat. nu. 6. Diana tract. 2. de Dub. regular. resolut. 22. Zanardus in Direct. Theol. part. 1. cap. 24. §. 7. Confectius in Compend. priuileg. cap. 3. & Archang. Roman. lib. 3. de Priuileg. verb. *Confessio*. Et licèt quidam illorum putent, Episcopum ex iusta causa illam aliquando reuocare posse; alij tamen absolutè tenent id non posse, inter quos est Moronus, qui id fusè, & doctè suo more probat responso 34. Idem quoque iudicium ferendum est, si Episcopus non reuocando approbationem aut admissionem, prohibeat regulari audire confessiones, peccat enim grauiter; & nonobstante prohibitione potest confessiones audire, vt præter aliquos ex præcitatis tenet Villalobos in Summa tom. 2. tract. diffic. 53. nu. 5. & Suares hanc sententiam veram supponit tom. 4. de Relig. cap. 18. nu. 12.

Obiicies, si Episcopus prohibere non potest regulari ne audiat confessiones, nec reuocare approbationem, seu admissionem, sequitur quod malè prouisum sit Ecclesiæ, nam fieri potest, vt regularis admissus sit deprauatæ vitæ, vel ad tantam senectutem venerit, vt sit incapax audiendarum confessionum, & illius Prælatus de salute eiusdem; & animarum, parum, aut nihil curans, non illi prohibeat receptionem fessionum. Respondetur, optimè prouisum Ecclesiæ Dei; potest enim monere regularem, vt abstineat; & si post monitionem non desistat, monere superiorem, qui si non prouideat, poterit ille prouidere: restituitur enim tunc in suum ius pristinum, à quo per priuilegia spoliatus fuit, vt alibi diximus, iterum in alia materi adicemus.

Tertia pars propositionis probabitur, si priùs supponatur, quod inferiùs speciali propositione ostendetur: videlicet iurisdictionem audiendi confessiones regulari concessam, à Papa, non ab Episcopo dari: ergo semel absolutè data & accepta, perpetuò manet, vbicumque regularis existat; nec apparet ratio, cur potiùs ad hunc, quàm ad alium Episcopatum concessa sit, cùm non maior requiratur idoneitas in vno, quàm in alio. Deinde constitutio Clementis VII. illud concedit, vt habetur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Absolutio quoad seculares*, t. §. 16. in hunc modum, *Concedit, quòd Confessores Ordinis Minorum semel præsentati alicui Episcopo pro confessionibus audiendis* (vt moris est præsentari) *post vnam præsentationem non teneantur ampliùs præsentari, etiamsi ad aliam transierint Diœcesim.* Quam concessionem in-

terpretatur Corduba in annot. ad dictum compend. vt non tantùm illam intelligat de eadem Diœcesi (sicut propriè non potest intelligi) sed etiam de quacumque alia, ad quam se transtulerit moraturus ad tempus, vel in perpetuum: sed iam censeatur semper & vbique præsentatus. Ratio illius Doctoris est, quoniam Papæ concedentis intentio conformis est impetrantis intentioni, si abest dolus malus. Quòd autem ea fuerit Pontificis intentio, vt vbique prodesset, constat ex eo, quòd iam antea concedente Eugenio IV. semel in vna Diœcesi præsentatus, ad eam rediens, liber erat ab iterata præsentatione: imò etiam idem Eugenius côcedit eam facultatem eisdem Minoribus, vt habetur citato compendio, his verbis, *Concessit Confessarius Fratrum Minorum, quòd quando non possunt commodè se præsentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, & non possunt petere casus Episcopales, eo casu possint vti plenariè authoritate Episcopali*, Ergo Clemens VII. aliquid superaddidit, alioquin illud priuilegium nihil operaretur. Superaddidit ergo extensionem admissionis ad omnes Diœceses. Accedit, quòd priuilegium Principis absolutè concessum non debet restringi; sed latè, vt verba sonant, interpretari, vt sæpiùs diximus: ergo cùm verba præfatæ constitutionis absolutè pronucientur, sintque vniuersalia, absolutè & vniuersaliter per respectum ad omnes Diœceses sunt intelligenda.

Nec hoc est contra Tridentinum vbi viget; quoniam decernit duntaxat, quòd confessarius approbari debeat ab Episcopo: quòd cùm sit onus & odiosum, debet restringi quantum fieri potest, & de vna sola approbatione intelligi. Responsio hæc confirmatur quoniam si Episcopi in Tridentino congregati voluissent subiicere regulares pluribus approbationibus, illud sine dubio expressis terminis pronûciassent, cùm de illorum iure ageretur: quod cum non fecerint, aduersùs eosdem est interpretatio facienda iuxtà regulam iuris in 6. *Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda*. Adiunge præmissis, quòd Tridentinum non requirit absolutè approbationem Episcopi, sed vt quis sit Parochus, *aut aliàs idoneus iudicetur*: vnde sicut multi graues doctores existimant, approbationem Parochi, aut vniuersitatis sufficere; quidni etiam vnius Episcopi approbatio, seu admissio pro omnibus Diœcesibus: Nec obiicias, illud verbum *iudicetur*, ad Episcopi iudicium referendum, cùm multi ad iudicium aliorum illud referant, ac proinde sit res dubia: quæ cùm sit in iuris antiqui odium, iuxtà illud interpretanda est; ac ex consequenti in fauorem regularis, cùm illud ius in fauorem illius conditum sit, vt sic iudicium in hoc feratur conformiter ad regulam 30. iuris citati: videlicet, *In obscuris minimum est sequendum*, id est, quòd in obscuris & dubiis iuxta glossam, quæ ad hoc duo exempla ponit, minima obligatio est sequenda: cum autem magis obliget regularem, quòd ipsius idoneitas debeat ab omnibus Episcopis iudicari, ideò minor obligatio ad illam iudicandâ est pro illo sequenda, ac proinde, quòd sufficiat vnius Episcopi iudicium.

Nec opponas 2. quod dicitur in Tridentino, videlicet approbationem debere fieri *ab Episcopis*, quoniam per hoc nihil aliud intendit, nisi quòd vnus ab vno, alius ab alio Episcopo approbetur; non autem quòd vnus approbetur à multis.

Non obiicias 3. declarationes Cardinalium in contrarium huius veritatis; quoniã præter quòd in hæc materia inter se vix conciliari possunt, cum pugnare videantur, sunt tantùm sententiæ Doctorum, non habentes vim legis, ac sic non possunt leges priuatas tollere; quocirca standum iuri antiquo, & verbis Tridentini iuxta illud ius interpretari, & priuilegiis à sede Apostolica concessis, quæ sic vt suprà decernunt. Et huius sententiæ sunt Celotius de Regular. in Hierarch. iurisdict. lib. 5. cap. 25. cum multis aliis quos refert Diana part. 2. tract. 4. de Sacramen. resolut. 110.

PROPOSITIO III.

APprobatio, seu admissio Confessarij Regularis à suis Prælatis præsentati, non concessa, vel recusata ab Episcopo, valet, & est perpetua.

Hæc veritas quoad primam partẽ, quæ licèt de facili colligatur ex præcedentibus, probatur 1. ex iure communi Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. quæ non est reuocata per Clementinam *Dudum*, nisi in his, quæ contraria erant extrauag. *Super cathedram*, vt alibi dictum est & tenent plurimi: alioquin non inserta fuisset posterioti dispositione, & titulo in corpore Iuris, in qua sic legitur loquendo de Episcopis, *Quòd si denegent* (videlicet admissionem, vel licentiam ad confessiones audiendas, electis & præsentatis à suis Prælatis) *vel intra triduũ non concedant, ex tunc ijdem Fratres nihilominus auctoritate eadem* (scilicet Apostolica, *huiusmodi officium exequantur.* Clementina *Dudum*, hanc concessionem ampliauit, dum absolutè, nulloque posito temporis termino, vult regularem sic præsentatum admitti: *Si verò iidem Prelati Fratribus ad audiendas confessiones, vt præmittitur, electis eiusmodi licentiam exhibere recusauerint: Nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentium liberè, licitèque audire valeant, gratiosè concedimus de plenitudine potestatis Apostolicæ.* Ex quo vides, Episcopum nullam posse causam prætendere recusationis, aut negationis licentiæ, vt stante dictâ Clementina explicat Suares de Pœnit. disp. 28. sect. 7. nu. 14. quam Ioannes XXII. in præfat. ad illam, & ad cæteras vult àd praxim redigi in iudiciis, & in scholis; & ipsemet extendit ad Augustinienses, & Carmelitas, extrauag. *Frequentes*, de Iudic. Postmodùm cùm variæ inter Episcopos & Regulares lites, & dissidia in Republicæ Christianæ scandalum orirentur, in concilio generali V. Lateranensi sub Leone X. explicata fuit, & extensa Clementina, & in aliquibus restricta, bullâ inchoatâ, *Sacro approbante Concilio*, in qua sic loquitur Pontifex, *Possint regulares per Episcopos & Prælatos, super sufficienti literatura, & aliqua saltem huius sacramenti peritia dumtaxat examinari: talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, constitutioni quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, quoad confessiones dumtaxat satisfecisse censeantur.* Quibus vides, regulares suppositos examini Episcopi, & explicatum casum, in quo Episcopo recusante valeant audire confessiones. Quæ verba non solum Mendicantes comprehendunt, sed etiam alios omnes, vt verbis sequentibus constat, *Omnia & singula supradicta ad reliquos religiosos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam seruari debere volumus, atque decernimus.* Cuius dispositioni stant regulares, in his, quæ contraria non sunt suis priuilegiis; quia quoad hoc renocata est in vtroq; foro, vt alibi ostendimus. Quibus omnibus ex iure deductis manifestè constat, regulari debitè præsentato deberi approbatiooem, & admissionem; nec posse differri ab Episcopo, minusve denegari: & denegatam ipso facto à iure concedi. Nec obiicias Concilium Lateranense præfatum non esse in Gallia receptum; ac ex consequenti hoc decretum: nam esto quod receptum non sit valet tamen, cum sit declaratio cap. *Omnis vtriusque sexus*, & consequenter non differat à re declarata: sitque penitus idem, & ita regulares in vi illius, imò potius in vi iuris illius communis *Omnis vtriusque* admissi, aut indebitè recusati audiunt legitimè, & validè confessiones sæcularium, eosque validè absoluunt.

Probatur 2. quoniam si quid daret Episcopo hanc facultatem negandi licentiam regulari, hoc esset caput 15. sess. 23. de Reformat. vbi habetur, quòd *non possit regularis audire confessiones sæcularium, etiam sacerdotum &c. nisi approbationem obtineat priuilegiis & consuetudine &c.* Sed illud non dat ei hanc facultatem, cum nihil penitus ex ea sequatur, possitque legitimè pati hanc exceptionem, sicuti alias exceptiones de quibus suprà: eò maximè, quòd vt asserit Nauarrus in cap. *Placuit*, de Pœnit. *Lex posterior generalis sæpe limitatur per specialem ius antiquum*: & quòd *iura iuribus sunt concordanda, etiam aliquando cum quodam improprietate verborum, ne ius antiquum*,

nisi ratione vrgentissima, & expressione verborum incompatibilium iuris noui cum eo, cprogetur (vt in tract. de Prædicator. fusè probabitur) & ideò communis Canonistarum sensus semper ad hoc requirit clausulam iuris antiqui expressè derogatoriam: hoc autem ius nouum Tridentini de facili potest cum antiquo concordari; estque ius commune, & antiquum speciale: nec nouum habet debitam clausulam derogatoriam. Accedit, quòd vt dicit Peirinus de Priuileg. Minim. tom. 1. constit. 26. Leonis X. §. 7. hanc sententiam sustinens, *non credendum est, concilium voluisse confouere Episcopos in suis passionibus & aliis aduersus regulares, quod proculdubio faceret, si capaces quoad scientiam, & probatos quoad mores posset reiicere.* Nec hoc est nouum in iure, quòd petita licentia, & iniustè, vel iniuriosè denegata, habeatur pro obtenta: nam ita conceditur in hac speciali materia in Lateranensi concilio, ac etiam in certis casibus quo administrationem sacramentorum in quibus petita licet non obtenta sufficit ad licitè & debitè ministranda sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, vt patet ex dictis Clementina *Dudum*, & Extrauag. *Inter cunctas*, & ex cap. *Licet*, de Regularibus, & ex cap. 1. de Supplenda negligentia Prælatorum.

3. Probatur, quia approbatio non est opus gratiæ, sed iustitiæ, cùm sit iudicium, seu sententia Episcopi, vt rectè docet Suares de Pœnit. disput. 28. sect. num. 21. & sect. 5. num. 5. & 8. & superius diximus: ergo sicut Iudex non ferendo sententiam postulatus à parte ius possidente, illi iniuriam facit: sic Episcopus cùm non dat approbationem ad confessiones regulari idoneo, eam ab *ipso* postulanti, cùm maximè ad eam concedendam à Tridentino iubeatur, idque gratis, & similiter iubeatur regularis illam obtinere, & consequenter Episcopus concedere: obtineri enim non potest, quod ab alio pendet, nisi alius det: quòd si posset denegare, frustraretur regularis suo priuilegio, & in vanum conferetur à Pontificibus, concilio, & iure concessum, quod dici nullatenùs potest. Atque huius sententiæ sunt citati in propositi. 1. Roderic. Peirin. Villal. Portel, Layman, Fagund. Zanard. & Henriq. qui vltimus asserit, illam teneri à Doctorib. Salmanticensibus & Complutensibus, ac fusè in academia Parisiensi publicè propugnatam, & à congregatione Cardinalium declaratam: Sic etiam Diana cum quindecim auctoribus, quos citat, Gamacheus tom. 3. in tract. de Pœnit. cap. 18. & alij maximè Nauarrus qui ad illam probandam plurimas addit rationes, quarum alias adduximus. Quocirca si non expectata præsentatione regularis per suos Prælatos, Episcopus præmonena dicat, non mihi præsentetis aliquos religiosos, quia eos admittere nolo, tunc iuxta Cardinalem, & præcitatos doctores, & ipsam Clementinam absque præsentatione, regulares præsentandi confessiones audire possunt. Indebitè autem quis recusatus dicitur, cùm de illius capacitate, & moribus probatis, certitudine morali constat, quæ testimonialibus superiorum suorum literis satis probatur, nisi aliunde certò pateret illius inertia, & praui mores.

2. Pars propositionis probatur 1. ex præcitato iure communi, cuius verba, cùm sint absque limitatione temporis, ad futurum in perpetuum sunt extendenda, vt constat ex Glossa in cap. *Quocirca*, verb. *Sed futuri*, de priuileg. quæ docet: quòd verba indefinitè & generaliter expressa in priuilegiis, extenduntur ad futura: & ita tenent Suares in materia voti, lib. 6. de Relig. cap. 13. num. 2. tract. de Voto, & Sanches in Summa lib. 4. cap. 53. num. 23. cum sequent. 2. Probatur, quoniam illa approbatio seu admissio æquiparatur à iure approbationi, vel admissioni factæ per Episcopum: ergo sicut hæc est perpetua, sic & illa. 3. Quia illa approbatio, seu admissio sequitur præsentationem Regularis, per prælatos Regulares factam: at hæc est pro tempore perpetuo; ergo & approbatio & admissio erit perpetua. Atque hãc propositionem sustinent ex consequenti, qui præcedentibus sub scribunt.

PROPOSITIO IV.

APprobatione, vel admissione ad audiendas confessiones ab Episcopo Regulari concessa statim eidem à Papa iurisdictio ad absoluendum confertur illimitata ad certas personas, tempora, & loca Diœcesis; estque ordinaria in Mendicantibus; in aliis autem probabiliter etiam ordinaria, dependens tamen in exercitio à Regularibus Prælatis.

Probatur prima pars propositionis, quoniam Pontifices in priuilegiis quæ regularibus ad confessiones audiendas impartiuntur, aliquid proculdubio operantur, & regulari concedunt; non operarentur autem, aut concederent quidquam, si ei iurisdictionem non conferrent: nam secundùm nostram sententiam examen, electio, & præsentatio ad Prælatos Regulares spectat, admissio autem ad Episcopos: at verò secundùm aliam sententiam electio & præsentatio ad Prælatos Regulares; examen autem & approbatio, seu admissio ad Episcopos pertinet; ergo cùm non sit aliud quod conferatur præter iurisdictionem, sequitur Pontifices illam concedere, & ita censet Moronus cum multis, quos citat responso 20. Et confirmatur ex eo, quòd in confessionibus audiendis Regularis delegatus est à Pontifice; vt constat ex Bulla Alexandri IV. inchoata, *Romanus Pontifex*, & ex alia eiusdem quę incipit, *Per Franciam & Burgundiam*, in Dominicanorum fauorem edita die 6. Octobris, & Pontificatus sui anno secundo: in quibus non aliter de regulari Sacerdote, quàm de delegato à Sede Apostolica loquitur: delegatus autem à delegante iurisdictionem accipit & non ab alio. Accedit, quòd si illam acciperet ab Episcopo, defectuosa esset admodum Pontificis delegatio; nam in executione penderet ab illo Episcopo, ac sic prorsus inutilis; cùm nullum, eo repugnante, effectum sortiretur, eoque dumtaxat annuente, efficax existeret: quod esset manifestè contra cap. *In his*, de Priuileg. in quo Pontifex declarat, priuilegium à Sede Apostolica, aut Romano Pontifice concessum, non pendere in executione à voluntate, aut consensu Episcopi.

Probatur 2. quia recusatus iniustè, nec admissus ab Episcopo iurisdictionem à Sede Apostolica accipit; ergo & admissus seu approbatus. Probatur antecedens, & consequens ex sess. 11. Concil. Lateran. de qua suprà, *Talibus præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, constitutioni quæ incipit, Omnis vtriusque, satisfecisse censeantur.* Non possunt autem præcepto confessionis annuæ pœnitentes satisfacere, si recusatus ab Episcopo, non habeat iurisdictionem; non habet autem illam ab Episcopo, cùm recusarit; ergo à Sede Apostolica, seu à Papa eam possidet, ergo similiter admissus; cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio: & Cōcilium eodem tenore verborum de recusato, & admisso pronunciet, sicut & aliæ Pontificum concessiones.

Obiicies, si ita est, quòd solus Papa concedit iurisdictionem, inutilis prorsus est præsentatio coram Episcopo; quoniam velit nolit, si regularis est capax & idoneus, iurisdictionem possidebit, & confessiones sæcularium percipiet. Respondeo ita esse quoad illum effectum, non verò quoad alios; præsentatur enim regularis 1. ex Nauarr. in Manual. cap. 27. nu. 264. vt possit in illius Diœcesi subditorum eiusdem confessiones liberè audire. 2. ex Alexand. IV. in præc. concess. præsentatio requiritur, vt licitè possit confessiones audire: est enim præsentatio conditio de iure, sine qua nec liberè, nec validè, nec etiam licitè confessiones audire potest. Et huius sententiæ est Zanardus in direct. Theol. part. 1. cap. 24. §. 7. Priuileg. Minimor. tom. 1. constit. 26. Leon. X. § 6. num. 1. Villal. in Summa rom. 2. tract. 4. diffic. 53. num. 5. Suares, qui hanc sententiam veram supponit tom. 4. de Relig. cap. 18. num. 12. & alij.

Secunda pars propositionis, videlicet, quòd admissio, vel approbatio regularis, & iurisdictio illi concessa non sit arctata, nec possit ab Episcopo arctari, probatur. Quoniam præmissæ cōstitutiones Apostolicæ in propositione adductæ, generaliter ad personas quaslibet, tēpora, & loca etiam quælibet, in perpetuum facultatem illā seu

iurisdictionem extendunt: & ne grauaretur lector, si eas enumerarem, hic vnam adducam, cum altera declaratione Cardinalium: sic enim Pius V. Bulla; *Etsi Mendicantium*, declarando cap. sess. 23. Trid. quod agit de Confessariis, pronunciat: *Ita vt à confessionibus audiendis tam intra eorum Ecclesias, & domos, quam extra minime prohibeantur*, &c. *Super hoc literas Pauli IV. concedentis eisdem Fatribus Mendicantibus regul. Obseruantia posse confessiones sacularium personarum etiam infirmarum, etiam extra domos, & monasteria sua; & vbilibet audire, & approbando, & de nouo concedendo.* Hæc Pontifex. Sacra autem congregatio 1623. quibusdam Episcopis arbitrantibus in vi constitutionis Gregorij XV. inchoatæ, *Inscrut abili*, posse limitationes in suis approbationibus, seu admissionibus apponere, sic Regularibus de hac vsurpatione conquerentibus respondit: *Sacra congregatio decreuit vt illius constitutionis, Episcopos regularibus, quibus non incumbit cura animarum, non posse præscribere, vt certis tantum in locis, vel temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant: vel alia illorum priuilegia in sacramentis administrandis restringere, aut moderari.* Quid clarius?

3. Propositionis pars (scilicet quòd potestas regularis ad audiendas confessiones sit ordinaria) probatur; Quia si de aliquo Ordine Mendicantium est, cùm à iure illam habeat in perpetuum, ordinaria est: & sic de iurisdictione dumtaxat Dominicani & Minoritæ affirmant Roderic. tom. 1. QQ. RR. qu. 59. art. 4. Ioan. de la Cruz lib. 2. de Stat. relig. cap. 6. dub. 4. Martin. à S. Ioseph. in Compend facultat. Confessar. sæcular. num. 1. Cclotius lib. 5. de regular. in Hicrarch. Iurisdict. cap. 24. & alij. Et constat ex dictis in tract. 3. de Hierarch. Verùm hæc doctrina etiam extendenda est ad Augustinianos, & Carmelitanos ex cap. *Frequentes*, de Iudic. ac etiam ex dictis in superioribus ad cæteros mendicantes; ostendimus enim Regulares Societatis Iesu ex declaratione Sedis Apostolicæ priuilegiis illorum Mendicantium in iure contentis gaudere, ex eo quòd illorum Societatis sit ex instituto Mendicans: quod cùm cæteri Ordines Mendicantes habeant, proculdubio etiam illo iure gaudere necessè, ex identitate rationis, quæ in illis reperitur; ac proinde priuilegia Iuris cōmunis ad eos sicut ad alios Mendicantes extenduntur. Denique si iurisdictio, quæ iure conciliari datur est ordinaria (vt communiter conceditur respectu Episcoporum) certum quoque erit, quòd cæteri regulares illa iurisdictione ordinaria potientur: cùm sicut Mendicantes illam habeant à Concilio Lateran. sub Leone X. vt suprà dictum est: nulla autem est ratio, cur potiùs sic concessa ordinaria sit in Episcopis, & non in Regularibus: quod meo iudicio non satis considerarunt illi Doctores, qui ordinaria iurisdictione solos Dominicanum & Minoritam donarunt.

Vltima tandem propositionis pars, videlicet, quòd prohibente superiore, aut statutis regularibus, non possit illam exercere nisi allicitè, & aliquando inualidè, probatur: quia Papa per priuilegium non intendit eximere regularem à prælati obedientia, nisi id expresè dicat, vt ostendimus in tract. de Priuileg. nec intendit derogare statutis quæ ignorat, cap. *Ex parte* de Foro compet. Ergo non intendit, quòd regularis confessiones audiat, contradicente superiore, vel repugnantibus statutis, vt Iulius II. declarauit ad Instantiã Generalis Fratrum Prædicatorum, adhibiri; non-obstantus, efficacissimis in concessione sua sub datâ 17. Ianuarij 1515. inchoata Considerantes in qua reuocat licentias, & immunitates concessas Religiosis eiusdem Ordinis ad confessarios eligendos, & ad confessiones audiendas, quas ipse generalis Ordinis reuocandas iudicauerit: & vndecumque emanaturas gratias sine licentia superiorum concedendas annullat, nisi manu Papæ, aut de consensu Cardinalis Protectoris, aut Viceprotectoris fuerint signatæ, & emanate. Ac sic tenent Siluester verb. *Confessor*, 3. §. 6. & Ioan. de la Cruz in Epitome libri 2. cap. 6. dubio 5. Et hæc propositionis pars, de qua etiam aliquid in tract. 3. diximus, verificatur non tantum eo modo iam proximè dicto; sed etiam quotiescumque aliquis habet Bullam, aut priuilegium, vt possit absolui à Sacerdote regulari.

Quòd autem peccet faciendo contrà huiusmodi prohibitionē superioris, & constitutionum manifestè constat: est enim inobedientia in re graui, si Superior habeat iustam causam prohibendi: & hujus sententiæ est Roderic. tom. 1. QQ. RR. quæst. 6. art. 2. cum illis quos citat Lezana tom. 1. cap. 9. num. 8. & Archang. Romanus de Priuil. lib. 3. verb. *Confessor*. Sunt vero huiusmodi confessiones nullæ, si Sacerdos re

gularis sit à suo superiore iuridicè à confessionibus audiendis suspensus, [illegible] eodemmet Iulio, & ex cap. *Veritatis*, de Dolo & contumacia. Ac sic tenent præcitati Siluester cum Panormitano, eodem verbo 2. §. 6. Ioann. de la Cruz dub. 2. citati Roder. Lezana & Archang. necnon etiam Ludou. Lopes tom. 1. cap. 8. de Bulla, & Suarez tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 2. nu. 1.

Quæres vtrùm eiectus sacerdos ab aliquo ordine sit approbatus & admissus vt anteà: possitque audire confessiones: Respondetur duobus modis aliquem posse dici eiectum 1. propter crimina patrata; & hic licet approbatus fuerit sitque verè approbatus; non potest audire confessiones, vt alibi agendo de incorrigibili eiecto diximus. 2. propter infirmitates ante professionem minimè expositas, vel alias causas post emissam professionem superuenientes, & hic eiectus, licet sit approbatus, non potest etiam audire confessiones licitè, & validè: ratio est, quia etsi non approbatur ab Episcopo personæ regularis qualitas, sed ipsa persona; attamen Papa non dat illi iurisdictionem, mediante huiusmodi approbatione: nisi prout regularis instituti qualitate ornatæ, qua cessante, cessat & iurisdictio.

PROPOSITIO V.

Confessarius regularis Regularis non indiget assensu Parochorum, aliorumve Prælatorum, ad sæcularium confessiones omni tempore, etiam Paschali, recipiendas.

Hæc propositio, relictis ijs quæ in cap. de indirecta exemptione sæcularium ab Ordinariis in tract. de Exemptionis priuilegio dicta sunt, probatur 1. ex præmissis propositionibus, in quibus ostensum est, Regulares absolutè possidere facultatem audiendi confessiones quolibet anni tempore; ergo cùm propositio absolutè, & sine restrictione ad assensum prædictorum sit pronunciata, sic sine restrictione est etiam intelligenda. 2. Ex Alexandro IV. de anno 1258. bulla quæ incipit, *Cùm olim quidam*, Fratribus Mendicantibus concessa his verbis; *Sacerdotum etiam parochialium assensu minimè requisito:* cuius Alexandri semitas sequutus Clemens IV. in bulla quæ incipit, *Quidam temerè*, Alexandri concessionem confirmauit, condemnando omnes dicentes, quòd Mendicantes non possent audire confessiones sæcularium, aut illos à suis peccatis, sine illo assensu absoluere. Successiuè Benedictus XI. in sæpiùs dicta extrauag. *Inter cunctas*, hunc assensum minimè requisitum ostendit, cùm excludit omnes excommunicationes, vel alias sententias Prælatorum contra prædictam concessionem, vel in eius fraudem latas, declarando illas irritas & inanes, his verbis; *Excommunicationes verò, vel alias sententias per Prælatos latas contra hoc, vel in eius fraudem, denunciamus irritas & inanes.* quibus inhærens Sixtus IV. in bulla quæ incipit, *Dum attenta meditatione*; post prædictæ concessionis confirmationem superaddit, quòd *Fratres possint ministrare Sacramentum Eucharistiæ & extremæ vnctionis personis sibi confitentibus, si Rectores negent, vel malitiosè differant.* Accessit præcedentibus Pontificibus Paulus III. qui hanc concessionem expressè Societati Iesu, ac consequenter cæteris Mendicantibus fecit, Bulla quæ incipit: *Cùm inter cunctas*, in qua hæc verba habentur, *Et alia Ecclesiastica Sacramenta sine alicuius præiudicio ministrandi, Diœcesanorum locorum, Rectorum Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, aut quorumuis aliorum licentia desuper minimè requisita.*

At quoniam aliqui arbitrantur, per Tridentinum huic Regularium iuri fuisse aliquo modo derogatum; ideo Pius V. Bulla sæpiùs citata quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, explicando caput 15. sess. 23. declarat, Regulares non posse prohiberi, quin dictas confessiones audiant. Hæc sunt verba illius superiùs etiam relata, *Ita vt à confessionibus audiendis, tam intrà eorum Ecclesias, & domos, quàm extrà, minimè prohibeantur, super hoc litteras fæl. record. Pauli Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem Fratribus Mendicantibus Regularis Obseruantiæ, posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extrà domos & Monasteria sua, & vbilibet audire, approbando, & de*

& de nouo concedendo. Hæc Pontifex. Quocirca Parochi dictos Regulares canonicè missos ad confessiones audiendas sub mortali peccato recipere tenentur, vt censet D. Bonauentura in cap. 9. Regulę Minorum (dicente Apostolo) *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Verùm hæc nostra doctrina de facultate audiendi confessiones quolibet anni tempore verior, solidiorque cunctis esse videbitur, si valida, in ipsam quarumdam obiectionum quas aduersarij fortiores existimat, illisione tentata, manserit inconcussa.

Sit ergo prima obiectio deducta ex eo quòd per præmemoratas cōcessiones fit grauis iniuria Parochis; subtrahuntur enim ab illorum iurisdictione parochiani, cùm ab aliis, quàm à seipsis in confessiones audiuntur, & absoluuntur: cui facilè respondetur dicendo, quòd sicut non fit iniuria Parocho; cum Regularis, vel sæcularis ex sua licentia, vel ex licentia Episcopi, audit sæcularium sibi subditorum confessiones; sic nec illis fit iniuria, cum Regularis de licentia Papę, vel Episcopi confessiones illorum audit, cùm illi omnes sint Pastores, & quisquis illorum, vtendo iure suo, nemini faciat iniuriam. Quòd autem Papa illorum sit verus Pastor, quis audebit negare, nisi hæreticus: qui cùm sit primus Hierarcharum, in illos potestatem & iurisdictionem possidet, & eminenter potest, quicquid illi possunt. Adiunge, quòd vt in eadem materia ratiocinabatur D. Bonauentura in Apologia pauperum iurisdictio spiritualis in sæculares non est concessa in fauorem Parochorum, sed in vtilitatem & salutem animarum eorumdem sæculariũ; ergo Parochis nulla fit iniuria per antedictas concessiones audiendi confessiones; cùm nihil subtrahatur ab eis in suum fauorem concessum. Quod autem illa facultas sit Regularibus concessa in fauorem animarum sæcularium, testatur prçter cæteros Innocentius IV. in bulla quæ incipit, *Animarum salutem,* verbis sequentibus, *Animarum salutem desiderio feruenti quærentes, authoritate vobis præsentium indulgemus,* &c.

Instabis, obligari Parochos suas oues cognoscere, iuxta illud Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera:* non potest autem illos cognoscere, si illarum confessiones non audiat: respondetur iuxta sensum interpretum, ibi Sapientem non loqui de confessiones sibi penitus ignota: sensus autem literalis illius est hic, quamuis sis multum diues, non tamen res minores, vt sunt oues & pecora contemnere debes. Rationem reddit illius sententię, *Non enim habebis iugiter potestatem;* quasi diceret, forsan enim mutabis statum, & ex diuite pauper fies, & sic indigebis rebus minoribus. In sensu autem mystico hæc verba ad superiores Ecclesiasticos, & politicos diriguntur, qui cognitioni externæ gregis sibi concrediti, inuigilare debent: non autem per cognitionem confessionis, alioquin confessio esset onus importabile, à nemine suis humeris imponendum: vt etiam Gerson fatetur serm. in Cœna Domini, dicens quod; *Cogere fideles confiteri suis Pastoribus, vt ex confessione noscantur, esset onus importabile, & euidens sacrilegij periculum.* Et ideo Clemens VIII. prohibuit, ne Prælati Regulares subditorum confessarij existerent, qui tamen maiori vinculo obligationis ad illos cognoscendos propter votum obedientiæ, & maiorem status perfectionem tenentur. His adde, quod posito secreto inuiolabili confessionis, non maiorem habent Parochi suarum ouium cognitionem, cum in cōfessiones ab aliis Sacerdotibus suæ parochiæ propriæ oues audiuntur, quàm cum à Sacerdote Regulari; ergo si (hoc non obstante bona & validà est confessio facta illis Sacerdotibus, cur non etiam illa Sacerdoti regulari facta?

Obiectio secunda deducitur ex cap. *Omnis vtriusque*, de Pœnit. hoc modo, quilibet quando ad annos discretionis peruenerit, tenetur semel in anno proprio Sacerdoti confiteri: sed parochus est proprius Sacerdos; ergo quilibet tenetur proprio Parocho confiteri. Maior certa est, minor probatur; quoniam nec Papa nec Episcopus possunt esse proprij Sacerdotes, sed vniuersales & communes Pastores, qui gregis in communi, non personarum in particulari, curam habent: nec etiam priuilegiati dici possunt proprij Sacerdotes, quoniam cùm non habeant facultatem nisi à Papa, aut ab Episcopo, minùs possunt dici proprij Sacerdotes; ergo Parochus erit proprius Sacerdos; cui, vt præcepto satisfaciat, quilibet debet confiteri, aut alieno de ipsius licentia, vt in eodem canone habetur. Confirmatur adhuc minor propositio; nam eidem, iuxtà illum

Digitized by Google

canonem, quis debet confiteri, à quo Eucharistiam in Paschate sumere tenetur sed in Paschate tenetur illam sumere à proprio Sacerdote, qui parochus est, ergo debet ei confiteri, aut alieno de eius licentia.

Respondeo 1. quod ille canon obligat quemlibet ad confitendum peccata sua proprio Sacerdoti, aut de eius licentia alieno 2. Negando probationem minoris, scilicet quòd Pontifex & Episcopus non sint proprij Sacerdotes; nam licet sint Pastores vniuersales, non tamen desinunt esse proprii; habent enim curam gregis, non tantùm in communi, sed etiam personarum in particulari, quando & quoties volunt: nec differunt à Parocho in ratione proprii; sed in hoc quòd parochus est propinquior localis & immediatus, sicut & Papa & Episcopus, quando & quoties volunt. Quòd si quis absque graui temeritatis nota negare non auderet, confessionem parochiani factum Papæ, vel Episcopo tempore Paschatis esse validam: Sic etiam negari non potest, quin confessio facta delegatis à Papa, vel ab Episcopo, sit etiam valida, vt vsus, qui est optimus legum interpres, satis probat: nam Pœnitentiariis Romæ in Basilicis SS. Ioannis, Petri, & Mariæ maioris à Papa collocatis, Christiani totius Orbis peccata sua confitentes, præcepto annuæ confessionis satisfaciunt, & hoc tanquam indubitatum ab omnibus habetur. 3. Quoad sumptionem Eucharistiæ certissimum est, quòd Papa & Episcopus respectu vtriusque Sacramenti sunt proprii Sacerdotes; ille in toto Orbe; hic in suo Episcopatu: & consequenter admitti debet, quòd vterque illorum possit ad alterutrum, & ad vtrumque Sacramentum ministrandum, delegare quos vult, cùm ambo sint ordinarii; & hoc quotidie præstat Episcopus, & similiter Papa, qui præcipuè Regulares delegauit ad ministerium confessionum audiendarum, quibus confitentes præcepto canonis, *Omnis vtriusque sexus*, satisfaciunt; cùm de licentia proprii Sacerdotis, scilicet Episcopi, vel Papæ, vt suprà diximus, illos audiant, quod sufficit: hoc enim dumtaxat requirit idem canon. Non obstat Glossa in illorum Canonem, quæ asserit, sæcularem non satisfacere præcepto, *Omnis vtriusque*, qui priuilegiatis tempore Paschali peccata sua confitetur absque licentia Parochi; nam illa est Glossa priuati Doctoris, scilicet Bernardi de Bothono, cuius opinio fuit reprobata, vt Glossa Ioannis Andreæ ibi apposita apertè indicat.

Obiectio tertia contendit, priuilegiatum non posse esse proprium Sacerdotem, sic arguendo: qui non potest esse Sacerdos ad Eucharistiam in Paschate ministrandam, non potest etiam esse proprius Sacerdos ad ministrandum eodem tempore Pœnitentiæ sacramentum; sed regularis non dicitur proprius Sacerdos ad Eucharistiam ministrandam, vt patet ex decretis Pontificum, & ex iure communi, &c. ac etiam ex eo quòd non est ordinarius, nec curam pascendi & regendi gregem habet: Ergo, &c. Hoc argumentum facilè soluitur, negando quòd Regulari priuilegiato non possit committi ad ministrandum in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, sicut de facto aliis, & ipsimet committitur: hoc autem supra satis probatum fuit, ac proindè totum ruit argumentum. Ad ea autem quæ ad eius confirmationem, adducuntur, scilicet non spectare ad regularem sedulam curam parochianorum gerere, pascere, & subdelegare, &c. Respondetur, ea esse onera proprii Sacerdotis ordinarij, non verò proprij Sacerdotis delegati: deindè subiungi potest, quòd licet priuilegiatus non sit proprius Sacerdos, satisfacit tamen sæcularis illi præcepto, *Omnis vtriusque*, si illi peccata sua confiteatur, quoniam priuilegiatus habet licentiam à proprio Sacerdote, scilicet à Papa, quam tantùm requirit canon, *Omnis vtriusque*.

Obiectio quarta: impossibile est vt proprius Sacerdos norit, an ille qui vult communicare debeat abstinere à perceptione Eucharistica, vt dicto canone *Omnis*, iubetur, nisi priùs ipsi constet de statu conscientiæ eiusdem sæcularis accedentis ad mensam Eucharisticam: sed illa talis cognitio haberi non potest, nisi post manifestationem conscientiæ factam per discussionem ipsius in confessione sacramentali, ergo eidem proprio sacerdoti ordinatio saltem tenetur confiteri sæcularis.

Respondeo ad illud 1. Hoc argumentum indignum planè viro Theologo esse,

cùm statuat impossibilitatem, vbi maxima est possibilitas: quid enim obstat, qui in proprius sacerdos possit conscientiam parochiani discutere extrà cõfessionem, præsertim cùm iam confessum, & Eucharistiam percipere intendentem, mentiri, vel dissimulare velle, incredibile sit. 2. Peto, vrgendo hoc dilemmate aduersarios: vel illa discussio conscientiæ facienda à proprio sacerdote in confessione, est ita necessariò ab ipso facienda, vt ab alio de ipsius licentia fieri possit, vel non: si primum dicatur, quid faciet Curatus S. Eustachij Parisiensis, qui tot mille parochianos habet? quid alij parochi qui viginti quinque mille aut circiter parochianis præ sunt? certè iugo toleratu impossibili subijcerentur, quod asserere indignum est pietate sanctæ Matris Ecclesiæ. Si secundum, scilicet quòd illa discussio fieri possit per alium ab ipso delegatum, habetur intentum: nam posito quòd illa discussio facienda sit, vel fieri possit legitimè per alium sacerdotem à parocho delegatum, non concluditur, quòd parochianus debeat confiteri proprio sacerdoti: sed illi aut alteri à proprio sacerdote delegato, qualis est sacerdos parochiæ, aut alius, scilicet priuilegiatus, qui hanc à Papa, vel ab Episcopo habet potestatem. 3. Dico, quòd licet in dicto cap. *Omnis vtriusque*, Pontifex vtatur nomine proprij sacerdotis in ferendo iudicio de dilatione Eucharistiæ sumendæ, nihil tamen inde sequitur in fauorem aduersariorum: cùm certum sit, ipsum Pontificem anteà in eodem cap. vsum fuisse nomine proprij sacerdotis quoad confessiones suscipiendas: atqui idem Pontifex posteà exceptionem fecit, addendo quòd alius de licentia ipsius posset illas suscipere confessiones: ergo pari sensu idem censendum est de facultate illius iudicij faciendi, quoad perceptionem Eucharistiæ. Etenim ea est natura iurisdictionis ordinatiæ, vt concessa Ordinatio, possit ab illo alteri delegari, licèt in iure non exprimatur.

Obiectio quinta sic habet: multi Christiani reliquo anni tempore proprio sacerdoti non confitentur, ergo saltem debent illud præstare in Paschate, quia debet pastor cognoscere vultum pecoris sui. Respondeo, hoc argumentum esse planè ridiculum: nam ex hoc quòd multi Christiani non confitentur Parocho toto anni tempore, non sequitur, quòd ex præcepto illud facere teneantur Paschali tempore: sufficit enim, quòd alieno confiteantur de licentia proprij Sacerdotis, Curati videlicet, vel Papæ, vel Episcopi.

Obiectio sexta desumitur ex celebri capite, *Vices illius*, de Treuga & pace, in quo Sixtus IV. cauet inter cætera, *Ne Fratres Mendicantes prædicent, quod parochiani non sint obligati saltem in Paschate proprio Sacerdoti confiteri*, ex quo duo colliguntur, 1. quòd proprius sacerdos & parochus sint synonima: 2. quòd illa obligatio confitendi proprio sacerdoti sit de iure diuino, vel saltem Ecclesiastico.

Respondetur ad hoc, constitutionem præfatam Sixti IV. editam esse ad pacem inter Rectores seu curatos, & Religiosos Mendicantes conciliandam; ac propterea cùm Curati multa contra Regulares Mendicantes comminiscerentur, Pontifex facta prohibitione Curatis, ne in posterum simile aliquid intentent, prohibet similiter etiam Regularibus, ne prædicent id quod supra. Negamus tamen ex illa prohibitione, quòd proprius sacerdos & parochus sint synonima, latiùs enim patet nomen proprii sacerdotis, quàm parochi, vt anteà probatum est. Vnde licet fateamur, sæcularem obligati semel in anno proprio sacerdoti, id est, curato confiteri, illud tamen disiunctiuè intelligimus, scilicet proprio parocho, vel Episcopo; vel Papæ, aut ab eisdem delegatis. Quod idem Sixtus expressè significare voluit, cùm immediatè post illa verba in obiectione relata, adiecit ista; *per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quo minùs secundùm iuris communis, & priuilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.*

Obiectio septima depromitur ex Concilio Prouinciali Burdigalensi 1582. cap. de Pœnit. quo *Parochi iubentur monere omnes baptizatos, cùm primum ad annos discretionis peruenerint, obligatos esse, vt minimum semel quotannis, maximè Quadragesimali tempore, omnia peccata sua confiteri proprio sacerdoti.*

Respondetur facile 1. quia nullum Concilium Prouinciale valet, nisi priùs sit à Sede Apostolica approbatum, vt optimè norunt aduersarii; atqui tale concilium non fuit approbatum, vt constat ex limine illius concilii, sed emendari iussum quibusdam capitibus, verbi gratia in illo de Pœnitentia, quia non constat in quibus

Digitized by Google

emendari iussum sit: hæc autem iussio infirmat omnia, quia non constat quid emendari non iubeatur. 2. Supponamus, quòd fuerit approbatum, non tamen inde sequitur verba illa *Proprio sacerdotis*, strictè pro Curato intelligenda esse, vt suprà diximus; alioquin modus loquendi illius decreti impropriè vsurparetur, si verbum *Proprij sacerdotis*, non latiùs pateret, quàm nomen Curati aut Parochi.

Obiectio Octaua, Religiosorum priuilegia arctari possunt legitimè per Episcopos; imò & de facto sæpè arctantur secundum iura etiam posteriora ipsis priuilegiis, quod probatur 1. ex cap. 15. sess. 23. Trident. quo Regulares antequàm audiant confessiones astringuntur ad approbationem Episcopi: 2. ex bulla Gregorij XV. quæ vulgò dicitur, de Exemptorum priuilegiis, quâ approbationi Episcopi, & eius beneplacitò Regulares subiiciuntur.

Respondeo 1. concedendo, priuilegia Regularium posse coarctari ab Episcopis, si sint delegati à Papa, secùs si delegatione non gaudeant; quia per illam tantummodò potestas ad hoc illis conceditur. 2. Quantùm ad decretum Tridentini, dico illud non comprehendere Mendicantes, vt suprà determinatum est ex declaratione Pij V. in sæpiùs dicta bulla quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, ac etiam ex Concilio Lateranensi sub Leone X. & ex Clementina, *Dudum*, de Sepult. quę per Tridentinum reuocata non fuit, vt tenent Nauarrus cap. 27. num. 265. Miranda tom. 1. quæst. 45. Portel. in Dub. Regul. & alij, imò & iuxta aduersarios qui docent requiri clausulam expressam reuocationis, quam Tridentinum non habet, vt alibi dictum est, & sic cadit obiectionis fundamentum, & ea quæ ex illo sequuntur. 3. Ad bullam Gregorij XV. respondere modò super sed eo, quia supra dictum est, & infrà suo loco dicetur, quo sensu debeat intelligi.

Obiectio nona, approbatio Episcopi nihil habet, quod illam reddat perpetuam & irreuocabilem, maximè si data sit sub conditione, aut restrictione; ergo datam approbationem potest Episcopus reuocare. Probatur antecedens ex motu proprio Pij V. ann. 1571. vbi dicit, quòd *licèt approbatus ab vno Episcopo non possit reuocari sine iusta causa, attamen à successore eiusdem Episcopi posse denuò in examen reuocari, pro quiete conscientiæ dicti Episcopi*; ergo non habet aliquid, quod illam reddat irreuocabilem: quorsum enim in examen semel approbatus posset iterum vocari, nisi posset & reiici, si repertus esset minùs idoneus. Hoc posito tanquam fundamento, contendunt aduersarij, laïcos peccare etiam mortaliter, qui in Paschate non confitentur proprio Sacerdoti, vel alieno de eius licētia posito; peccare etiam similiter priuilegiatos existimant, qui absoluunt sæculares tempore Paschatis, cùm approbatio sit ab Episcopo, toto Paschate reuocata, vel saltem suspensa, seu in actu primo posita. Huic obiectioni superiùs latè responsum, cùm egimus de approbatione Confessarij, In præsenti autem breuiter respondetur, illam approbationem Episcopi esse perpetuam: nec posse ab Episcopo approbante reuocari, neque à successore.

Obiectio decima, priuilegium audiendi confessiones, & aliorum huiusmodi, concessum est eo tempore, quo pauci erant sacerdotes sæculares capaces, nunc autem multi sunt. Respondetur 1. non posse Regulares cedere priuilegio, vt in tract. de Priuileg. probatum fuit. 2. Respondetur quòd esto, possent, non deberent abstinere ab audiendis confessionibus, quoniam priuaretur populus eo medio ad suam salutem procurandam non mediocriter proficuo: periculumque esset; nè cessaret à Sacramentorum vsu frequenti, & ne præceptum de annua confessione facienda contemneretur: ac denique ne error Ioan. de Poliaco renouaretur, quo asserebat Papam & Episcopum, non posse delegare ad audiendas confessiones sine licentia proprij Sacerdotis, quem dicebat esse parochum.

Obiectio vndecima, saltem securiores forent confessiones factæ parochis, confessionibus quæ sacerdoti Regulari fiunt; cùm & Sæculares, & Regulares asserant illas esse validas; at verò soli Regulares has, quæ sacerdoti Regulari fiunt, fore validas affirmant. Respondetur 1. quòd validitas confessionum sacerdoti Regulari factarum, non pendet ex dicto quorumdam parochorum; (omnes enim non ita loquuntur) sed ex Conciliis & priuilegiis, quæ illas validas asserunt: & sicut in articulis fidei contradictis non est minor veritas, aut validitas, quàm in non contra dictis: sic etiam in confessionibus sacerdoti Regulari factis, licet à Parochis, & aliis contradictione im-

petitis, non est minor veritas, aut validitas. Et huius sententiæ est Ioann. Petr. Camus, alioquin regularibus satis malè affectus, in suo Peregrino incognito, lib. 2. §. 2. patochis loquens, *Vestro particulari iudicio, Papa, & Ecclesia in Conciliis congregata, Prælatorum & vniuersorum Christianorum sensui, qui Regulares ad confessiones approbant, mittunt, vocant, & illorum ministerio vtuntur, contradicitis.* Respondetur 2. dubitantes de inualiditate huiusmodi confessionum esse censendos hæreticos, & ipso facto excommunicatos, vt ex Alexandri V. constitutione constat, sub data Pisis 4. Octobris, anno 1. sui Pontificatus, quæ incipit, *Regnans in excelsis*, in qua post adductam cum aliis propositionibus illam propositionem quæ dubias faciebat confessiones Regularibus factas, his verbis, *Confessio Fratribus admissis facta est dubitabilis, & incerta; quapropter omnes tenentur dimittere incertum*, sic magnus ille Pontifex pronunciat: *Volentes, quòd si quis deinceps prædictos articulos asserere præsumpserit, tanquam hæreticus sit censendus, & excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, à qua nisi per summum Pontificem, præterquàm in mortis articulo, non possit absolui.* Nec respondendum, vt quidam recentior Antiregularis facit, Ioannem XXIII. 1. sui Pontificatus anno dictam constitutionem, requirente Vniuersitate Parisiensi, reuocasse; nam hæc responsio falsi conuincitur à Michaële Lochmayer Doctore & Canonico, qui in suo libro, cui titulus Parochiale Curatorum, 1511. impresso, testatur, quòd Doctores Parisienses plurimis annis à morte dicti Ioannis, videlicet in Concilio Constantiensi, & postea in Basiliensi, dictam constitutionem Alexandri reuocandam proposuerunt, quod illis denegatum fuit. Quòd si hæc responsio non placeat, ostendatur reuocatio, vel citetur auctor non suspectus qui eam referat.

Obiectio vltima. Saltem cùm Episcopi prohibent huiusmodi confessiones Paschali tempore, deberent Regulares cessare ab illarum auditione ad euitandum scandalum, & pacem conseruandam. Respondetur, Regulares id minimè debere; quia huiusmodi cessatio cederet in præiudicium populi, Regularium, & Papæ. 1. Populi, quia priuaretur sua libertate, & facultate eligendi illum quem vellet ad suæ animæ salutem procurandam, sicut infirmus sua libertate priuaretur, si determinato cuidam Medico, & non aliis posset morbum detegere: quod à fortiori de spiritualiter infirmo iudicandum est, cùm præualeat anima corpori; quod meditatus Clemens VIII. instituit, ne Regulares (apud quos tamen maior est obedientia) suis Superioribus confiteri cogerentur, vt superiùs dictum est. Quòd autem hoc esset in præiudicium Regularium, manifestum est, quia ostenderent se subiectos pœnis luendis, ab Episcopis impositis; & sic priuilegio exemptionis cederent: seque exercitiis, ad quæ in statu regulari quem professi sunt, ordinantur, omninò priuarent. 2. Renunciatio priuilegiorum Papæ iniuriosa foret, ex hoc quòd per hanc Regularium subie- i ... nem præcepto Episcoporum, læderetur ius Pontificis & Ecclesiæ; nam ministerium sacramenti Pœnitentiæ à Regularibus, vt à delegatis Papæ, exercetur. Quis autem non videat, quòd delegatus Papæ ab exercitio delegationis cessans ob præceptum ab inferiori Papæ datum, faciat iniuriam Papæ? non secus ac delegatus à Rege cum offenderet si ob præceptum ab aliquo ipsi subdito impositum, ab exercitio sibi commisso desisteret. Quocirca falluntur admodum aduersarij, existimantes maius bonum esse renunciationem, quàm vsum priuilegij. 3. Denique illa renunciatio priuilegij fieri non potest, nisi in præiudicium Regularis status: nam priuilegia non debent dici lex tantùm permittens: sed etiam præcipiens; sicut tenent Confectius Protonotarius Apostolic. tract. de Regul. exempt. Henriq. cum cæteris quos citat lib. 7. de Indulg. cap. 15. & Porrel verbo *Priuilegij vsus*: & consequenter renunciatio priuilegiorum sine graui peccato mortali fieri non potest: ratio est, quia renunciatio est abdicatio illius quod cuique proprium est, sed priuilegium vt tale, non est quid propriū vnius personæ, nec vnius Prouinciæ, sed totius status Regularis; ergo non potest quis illi renunciare, quin grauem inurat iniuriam Papę & suę Religioni, & proinde quin in graue peccatum incidat, vt suprà in tract. de Priuileg. fuit probatum.

Ex quibus omnibus in his duobus capitibus conclusis manifestissimum est, 1. Regulares habere priuilegia ad confessiones sæcularium vbilibet, & quouis anni tempore, etiam Paschali independenter à parocho, & aliquomodo ab Episcopo, audiendas: quod antiregulares nisi admodum aduerso animo capere possunt. 2. Etiam ma-

nifestè constat hanc facultatem audiendi confessiones non pendere à bene placito parochi; ac proindè posse regularem audire illas, tum in districtu totius parochiæ, cùm in Ecclesia parochiali, contradicente etiam parocho: quoniam verba concessionis illius facultatis sunt vniuersalia, absoluta, & ad omnia penitùs loca extensa, & sic absolutè & vniuersaliter intelligenda; alioquin priuilegium Apostolicum contradicente Parocho non haberet effectum, quod esset contra cap. *In his*, de Priuileg. Adiunge, quòd vbicumque sit regularis confessarius, est delegatus à Papa ad audiendas confessiones; delegatus autem sic potest vbique suam iurisdictionem exercere, sicut delegans. Non consulerem tamen regulari illo contradicente eo in sua Ecclesia vti, cùm multa liceant, quę non expediunt, nisi non vsus in damnum Ecclesiæ, vel animarum, & in magnum regularis instituti præiudicium vereretur. Et hæc sententia, quòd vsus illius facultatis non pendeat à parocho, infinitis ferè Doctorum auctoritatibus firmatur: de quorum numero sunt Gerson lib. 2. in Euang. Marci, de quo alibi, & de Statib. Eccles. 1. part. tit. 3. 4. 5. & de Potest. Ecclesiast. considerat. 12. Rebuff. in cap. *Omnis vtriusque sexus*, Bonacina quæst. 5. de Sacra Pœnit. sect. 2. puncto 4. proposit. 4. Gamach. tom. 3. part. 2. de Pœnit. cap. 18. assert. 2. Anton. Andreas in 4. distinct. 17. quæst. vnica, art. 3. 5. *Quantum autem*, Almainus ibidem quæst. 1. art. 3. Viuald. Iurisconf. in Candelab. titulo de Confession. num. 27. & 28. Taceo DD. Thomam & Antoninum, omitto Scotum Maiorem, Adrianum, Panorm. Toletum, Azor. Suarem, Medinam, Mirandam, Siluestrum, Angelum, Sotum, Henriq. Valent. Vasquem Moronum latè resp. 99. Latè, & doctè alios viros doctos, & pios instituti regularis professores, qui hanc sententiam enixè defendunt.

Plura de hac materia tractant communiter Theologi & Canonistæ quæ Lector studiosus poterit apud illos legere: vnum tantùm illum monitum volui, quòd ea quæ in præcedentibus asserta sunt de independentia Confessarij Regularis ab Episcopi examine & approbatione, necnon à licentia, & consensu Parochi, solo veritatis studio percitus in lucem edidi; æquum enim est, imò & sanctum, indagare veritatem, eamque pronunciare, & iugum non imponere hominibus, quando nec à Deo, nec ab Ecclesia est certò impositum; nam in dubiis si sit impositum necne, arbitrandum non esse iugum, iuxta tritum axioma, quòd melior est pars possidentis.



CAPVT III.

DE FACVLTATIBVS SACERDOTI REGVLARI

CONCESSIS AD ABSOLVENDVM

à censuris Papæ, & Ordinario reseruatis.

PROPOSITIO I.

REgularis Sacerdos approbatus potest absoluere, cùm sæculares, tum regulares ad se ex quacumque Diœcesi, in qua non est approbatus, venientes, ac cùm iter agit, ab omnibus casibus, & censuris Papæ reseruatis.

Hæc propositio, quæ non comprehendit censuras in Bulla Cœnę reseruatas, manifestè constat quoad 1. partem ex concessione Pauli III. facta Societati Iesu, B.

Cum inter cunctas, his verbis, *Necnon his ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque vtriusque sexus Christi fidelium ad vos vndecumque accedentium confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos, ab omnibus, & singulis earum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus, sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis censuris in bulla quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absoluendi, atque eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendi, &c.* Quâ concessione manifestum est, dictum confessarium regularem posse sæculares à dictis censuris absoluere, nec quoad hoc vlla est difficultas. Ac sic tenent Ioannes de la Cruz de Statu Relig. cap. 6. dub. 6. conclu. 2. & cap. 7. conclus. 1. Suares, tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 2. num. 1. Rodericus tom. 1. quæst. 60. art. 6. & quæst. 61. art. 5. & alij.

Secunda pars, videlicet quòd Sacerdos regularis omnes ad eum accedentes cuiuslibet Diœcesis, in qua etiam nō fuerit approbatus, à dictis censuris absoluere possit, probatur expressis verbis concessionum à Nicolao V. Sixto IV. & Leone X. Mendicantibus factarum, quæ habentur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Absolutio*, §. 8. 9. & 10. & ex expressis verbis præfatæ concessionis Pauli III. in qua habetur, *ad vos vndecumque accedentium*. Quam facultatem longe anteà, & maiorem concesserat Vrban. IV. Carmelitis relatam in proximè dictis compend. & verb. §. 19. per B. *emanatam his verbis concessit vt de licentia prælatorum Ecclesiæ possint audire confessiones omnium Christi fidelium causâ deuotionis ad eos recurrentium: nisi talia commisissent propter, quæ esset sedes Apostolica meritò consulenda.* Quam etiam Sixtus IV. Per B. declarat, vt habetur citato compend. his terminis, *statuit illos habere licentiam prælatorum Ecclesiæ, qui præsentati sunt secundum formam iuris*, & huius nostræ sententiæ est Suares num. 8. & Rodericus citati, necnon Ioann. de la Cruz etiam citatus dub. 5. concl. 2. Nec obstat huic veritati Tridentinum: nam ille sacerdos est verè approbatus in domicilio, quod tantùm postulat.

Tertia pars propositionis, videlicet, quòd hæc facultas extendatur in ordine ad regulares, si non vetent eorumdem constitutiones, aut priuilegia, probatur ex verbis præmissæ concessionis, videlicet, *Quorumcumque Christi fidelium ad vos vndecumque accedentium*, sub quibus sine dubio regulares comprehenduntur, vt diximus in tract. de Priuileg. Cùmque illa verba sint absolutè pronunciata, & vniuersalia, amplè interpretanda veniunt. Addita autem fuit hæc restrictio, nisi id vetent constitutiones, & priuilegia regularium; quoniam tunc non posset illos absoluere, quia Papa per priuilegia huiusmodi non intendit debitæ obedientiæ superiorum præiudicare, vt pluries diximus. Quocirca si confessor regularis illos audiret, non posset illos validè absoluere, defectu potestatis.

Vltima pars propositionis, scilicet quòd sacerdos regularis à dictis censuris iter agens absoluere valeat, constat manifestè, si in eadem Diœcesi, in qua approbatus iter agat; cùm priuilegium respiciat personas & non locum; ac proindè illas sequatur. Si autem propositio intelligatur de iter agentibus in aliena Diœcesi, in qua non est approbatus, etiam constat propositio ex priuilegio Gregorij XIII. facto Societati Iesu, quod incipit, *Ad perpetuam rei memoriam*, in quo conceditur sacerdoti iter agenti, *vt possit audire confessiones, etiamsi non fuerit illius Episcopo præsentatus*. Eandem concessionem fecerat antea Sixtus IV. Minoritis, vt habetur in Compend. priuileg. Mendic. verb. Absolutio quoad sæculares 1. §. 10. & ante eum Eugenius IV. vt ibidem etiam habetur §. 5. prodestque hoc priuilegium, licet post aliquot dies in vno, vel altero loco commoretur. Est tamen cum limitationibus sequentibus intelligendum, vbi Trident. est receptum 1. dummodò id non faciat in ipsis oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt, nisi licentia eorum desuper obtenta, aut saltem petita. 2. Id etiam faciat non repugnantibus parochialium Curatis Ecclesiarū; quæ conditio requisita est solùm, quando non est obtenta Episcopi licentia: ac sic tenent Henriq. lib. de Pœnit. cap. 6. nu. 8. Claudius in Compend. verb. *Confessarius*, §. 2. Roderic. in bulla Cruciatæ §. 9. num. 144. Gutierres in quæst. canon. cap. 27. num. 21. Ioannes de la Cruz de Stat. Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 5. concl. 2. Si autem 3. intelligatur de sacerdote iter agente secundum sententiam, quòd approbatus in vna Diœcesi, in aliis est approbatus, potest iter agendo, ac moram trahendo in illa Diœ-

cesi, audire confessiones sine huiusmodi conditionibus; quoniam nihil deest illi ad licitè illas audiendas.

Sed difficultas est, num possit in dicta Diœcesi, in qua non est præsentatus & approbatus, absoluere à casibus & censuris Papæ reseruatis, quibus ex priuilegiis in Diœcesibus, in quibus præsentatus est, & approbatus, potest absoluere. Hæc difficultas facilè expeditur, dicendo quòd potestas absoluendi à prædictis non datur sacerdoti regulari, nisi præsentetur iuxtà formam Clement. *Dudum*, vt inferius videbitur: necessaria ergo est iuxta illam regularis præsentatio, vt dictam facultatem possideat; cúmque vna dumtaxat præsentatio requiratur in dicta Clementina; ad illam facultatem absoluendi à prædictis censuris obtinendam, inde sequitur, vt semel præsentatus; atque approbatus iuxtà dictam formam in vno Episcopatu, eam vbique terrarum possideat: ac ex consequenti illam potest exercere; cùm nullo iure prohibeatur. Ac sic tenent Corduba in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Præsentatio*, cum aliis quos tacito nomine Casarubius in præfato verb. Compend. priuileg. citat.

Nec obiicias aduersus tres præcedentes huius propositionis partes, Clementem VIII. prohibuisse regularibus, ne absoluerent à censura imposita duello, cum clausula reuocatoria omnium priuilegiorum ad absoluendum in bulla, quę incipit, *Sacra congregatio*; quoniam prędicta Greg. XIII. concessio nullam censuram excipit; ac proinde nec illam, quæ cùm in bulla Cœnæ non contineatur, non censetur excepta. 2. Quia Gregorius XIII. in bulla quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, concedit, quòd priuilegia Societatis Iesu qualibet derogatione minimè reuocentur, nisi de illis fiat expressa mentio: vt bene aduertit Petrus Vrtado 2. tom. de Spe & Charitate; disput. 107. sess. 21. num. 210. Martinus à S. Ioseph. in compend. priuileg. confess. verb. *Absoluere*, num. 5. Præfata autem Clementis clausula reuocatoria non facit mentionem expressam illius concessionis, ac ex consequenti illam non reuocat: atque hæc responsio maximè vera est in Gallia, in qua constitutio præfata Clementis nullatenus recepta est, vt vsus demonstrat.

PROPOSITIO II.

POtest Sacerdos regularis absoluere à casibus & censuris, quas Ordinarij sibi reseruant.

Hæc propositio con[illegible] 1. ex prædicta concessione Pauli III. quæ cùm generalia illa verba habeat ex[illegible] ad casus & censuras Papæ reseruatas, similiter extensa censetur ad casus Episcopis reseruatos, illosque comprehendit. Et ita etiam hoc priuilegium intellexit author compend. priuileg. Societatis Iesu, verbo *Absolutio*, §. 1. Sic etiam tenet Roderic. tom. 1. QQ. RR. qu. 61. artic. 3. in fine Layman, lib. 5. tract. 6. cap. 10. nu. 18. vega in 1. part. vers. casus reseruati cas. 1. & 15. Suar. de pœnit. disput. 30. sect. 5. & Diana de Hæresi. resolut. 8. & sumitur ex Nauarr. in Sum. cap. 27. nu. 1. 3. vbi per similia verba cuiusdam bullæ concessæ Fratribus sanctissimæ Trinitatis, ait, dari prædictam facultatem. Constat 2. ex illis verbis prędictæ Bullæ Pauli III. *Quantumcumque grauibus & enormibus*, quæ verba valde generalia sunt, ac proindè ad casus Episcopis reseruatos extenduntur. Constat 3. ex illa particula eiusdem concessionis, *Etiam*, quæ non diminuit facultatem, sed auget; quia si etiam casus Papæ reseruati illi committuntur, multò magis Episcopis, & alijs Prælatis inferioribus reseruati.

Constat 4. ex concessione facta Minimis per Bullam de qua Compend. priuileg. Mendic. verb. Absolutio & quoad sæculares 1. §. 20. in qua habetur. *Quod Confessor Regularis possit absoluere ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, sicut potest Diœcesanus.*

Constat 5. ex pluribus aliis concessionibus Apostolicis quas reperies apud Roderic. citatum in quibus ea facultas habetur, & ex Clement. *Dudum* de sep. vlr. in qua

regularibus

regularibus conceditur facultas absoluendi ab omnibus, quę iure communi non reseruatur Episcopis sicut concessa est Curatis: eisdem igitur facultas facta est absoluendi ab iis quæ iure speciali Episcopis reseruantur; cùm sub iure communi non capiantur. Quid dico: imò absoluendi potestas ab omnibus tum iure communi, tum speciali Episcopis reseruatis; cũ nulli sint casus hoc tempore iure communi Episcopis reseruari, vt optimè docet Suar. de pœnit. disput. 29. sect. 3. n. 6.

Vltimò manifesta est ex Gregorij XIII. concessione facta viuę vocis oraculo dictæ Societati die 10. Maij 1585. prout refertur in dicto Compend. Societ. in qua agnoscit dictam facultatem fuisse concessam Societati per dictum priuilegium Pauli III. declaratque, non fuisse mentem suam per decretum congregationis Cardinalium, quod eidem contrarium videbatur, illam facultatem reuocare; illamque denuo confirmã. Sic Suarez tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 2. n. 14. Marcell. à S. Benedicto, verb. *Absolutio quoad seculares*. §. 1. in Scholio: Rodericus tom. 1. QQ. Reg. cum aliis quos citat dicta quæst. 61. art. 2. qui ad hoc probandũ quinq; rationes adducit, & facta in contrarium argumenta manifestè soluit: & Baptista de Salis in sua Sũma, tit. *Confessor*.

Obiicies, iure communi sacerdotem regularem nõ maiori pollere facultate ad absoluendum, quàm parochos; sed parochi non habent hanc facultatem, ergo nec sacerdos regularis. Respondetur, sacerdotem regularem facultate dicta non pollere ex vi illius iuris communis, vt concludit obiectio; gaudere tamen illa ex vi suorum priuilegiorum: ac proinde potest Ordinarius reseruare sibi aliquos casus à parochis non absoluendos, haud tamen à sacerdote regulari non absoluendos, cùm non possit illius facultas restringi ab Ordinario.

Obiicies iterum, sacram congregationem Cardinaliũ præpositorum negotijs Episcoporum ac regularium die 17. Nouembris 1628. declarasse, quod regulares tam in Italia, quàm extra illam existentes, in vi suorum priuilegiorum post Tridentinum à Sede Apostolica confirmatorum, ac in futurum forsan ab eadem sede confirmandorum, non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis, nec ab illis, qui bulla Cœnæ continentur; quoniam à Tridentino, à Congregatione, & à publicatione bullæ in in Cœna Domini solita fieri, sunt reuocata: quam declarationem, vt fertur in decreto ab eadem congregatione desuper emanato, Vrbanus VIII. viuæ vocis oraculo approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Quod huius tenoris est: *Hæc Congreg. censuit pro confirmatione priuilegiorum quas regulares à sede Apostolica post Sacr. Concil. Trident, obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius congregationis decretis sublata atque extincta, si qua habebant absoluendi à casibus ordinario loci reseruatis; quemadmodum neque indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, qua in die Cœna Domini legi consueuit vt potè sublata per annuam ipsius Bulla publicationem, vires aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus; ac proindè regulares cum sui Ordinis Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt: vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolueri ab eisdem casibus in Bulla Cœna Domini, aut Ordinario loci reseruatis. Ac si secùs egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse ac fore. Ab aliis verò casibus & censuris sedi Apost. reseruatis, si quidem regulares habeant à sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse ijsdem S. Congreg. decretis hac de re editis iussu S. Mem. Clem. VIII. Quam Sacr. Congreg. sententiam sua Sanctitas ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabilitr obseruari, Roma 17. Nouemb. 1628.*

Respondetur 1. sicut alijs similibus decretis respondimus, videlicet illã declarationem, seu decretum, esse sententiam Doctorum à Pontifice approbatam, quæ non magis obligat, quàm sententia aliorum doctorum; cùm non sit lex, nec publicata admodum legis; nec habeat clausulam reuocatoriam, quæ necessaria est, etiam in Pontificum bullis ad dicta priuilegia reuocanda: aliquin non reuocant, vt diximus in tract. de Priuileg. in comm. Et hæc maximè vera sunt in Gallia, vbi illa decreta non recipiuntur: vt etiam nouissimè die 15. Maij 1647. orante Talon Aduocato Generali Regis Christianissimi die 10. eiusdem mensis, illa recipi, & publicari à supremo Senatu Parisiensi prohibitum fuit.

Respondetur 2. illud decretum emanatum fuisse, regularibus minimè auditis; & confirmationibus priuilegiorum nullatenus exhibitis, & examinatis, nec vllo abusu eorumdem,ac causa expressa;cùm de illis nulla prorsus fiat mentio in decreto;non est autem incredibile, quòd Patres illi eminentissimi, tot laboribus, ærumnis,ac vigiliis parta priuilegia; nullatenus reuocata, vel si reuocata, iterum cõfirmata & reualidata, vno calami chirographo voluerint reuocare,&abrogare;cùm nec Pontifex sine iusta & rationabili causa,id iustè possit: vt in proximè citato tract. diximus, & tradunt doctores de Iure quęsito agentes, cuius generis sunt priuilegia huiusmodi.

Respondetur 3. illud decretum de subreptione maximè suspectum existere, ac proinde non valere,1. Quia supponit priuilegia regularium,quoad facultatem absoluendi à dictis casibus per Tridentinum, & publicationem bullæ Cœnæ Romæ factam & per alia eiusdem Congreg. decreta esse abrogata, cuius contrarium,iuxta communẽ sententiam doctorum arbitrantium illam publicationem non sufficere; ac Trident. & dictam Congreg. priuilegia huiusmodi nullatenùs abrogare alibi probauimus.

2. Quoniam declarat, quibusuis confirmationibus post Trident. decreta eiusdem congregationis,& publicationem bullæ à Sede Apostolica emanatis,dicta priuilegia nullatenùs valere; quod stare non potest cum iuris communis dispositione, iuxtà quam in dicto tract. de priuileg. in communi ostendimus esse validè confirmata. Accedit, quòd congregatio ignorans illas confirmationes, sicut & Papa; cum sint iura specialia, minimè potest declarare in vi illarum confirmationum, non valere huiusmodi priuilegia.

3. Quoniam Sacra Congregatio nec non etiam Papa Vrb. iii. qui dicitur hoc decretum confirmasse, fecisset contrà regulam à se editam qua decernitur, quod per quamlibet consistit. Apostolicam non tollitur ius quæsitum (vt sunt priuilegia) nisi prius vocatis quorum interest eisque auditis & contradicentibus.Quod idem Pontifex in alio casu obseruauit, vt alibi dictum est, aut dicetur, cum tollendo quibusdam regularibus aliquod priuilegium per respectum ad aliquam personam in dignitate Episcopali constitutam, clausulam reuocatoriam illius regulæ adhibuit.

4. Quia delarat, nullis futuris confirmationibus à Sede Apostolica emanandis reualidanda & confirmanda fore;quod quomodo intelligendum sit, penitus ignoro, nisi per illud decretum potestas Pontificis;& iuris dispositio abrogentur,quod nemo affirmare audebit. Nam quæro, num si papa motu proprio, ac ex certa scientia,& de potestatis Apostolicæ plęnitudine; cum clausula reuocatoria Trident. & bullæ Cœnæ priuilegia illa confirmaret,valida essent:absque dubio respondebitur,esse valida; etiamsi antea reuocata: ergo illa declaratio congregationis quòd valida non essent, etiamsi à Sede Apostolica confirmarentur, subsistere non potest. Vnum dici potest, hoc decretum affirmare, quod præcedentibus priuilegiorum confirmationibus,&similibus in futurum non subsistunt priuilegia: sed hoc in idem inconueniens quod supra, reuoluitur; nam, vt dictum est, præcedentes confirmationes iuxta iuris regulas valent; Ergo proculdubio similes in futurum emanandæ valerent.

Obijcies vltimo,esto quod Papa hanc facultatem concesserit, & quod per dictum decretũ non sit reuocata; attamen id fecit iniustè & inualidè cum non habeat facultatem in destructionem,sed in ædificationem: destruitur autem effectus & finis reseruationis, qui in Ecclesia prætenditur per huiusmodi facultatem;nam illa stante damnis& malis suæ Diœcesis occurrere, & præcauere non potest Episcopus;cum eorumdem lateat illos cognitio.

Respondetur Papam nec iniustè, nec inualidè hanc facultatem concessisse; non iniustè quidem, quoniam, vt alibi diximus, Papa, vtendo iure suo nemini facit iniuriam: suum autem ius est, restringere, & minuere Episcopi potestatem, eamque, quibus voluerit communicare, sicut in pluribus vsus ab omnibus approbatus demonstrat;maximè vero in Iubilęis,& Confraternitatibus Rosarij, Scapularij,Cordæ, & aliis, quibus facultatem facit pœnitentibus eligendi, vt à dictis casibus absoluantur. Confirmatur à simili argumento deducto à potestate temporali, in qua licèt Senatus supremi sibi quædam crimina castiganda aut absoluenda reseruant; nihilominus Reges cum sint eorumdem superiores, à quibus omnis iurisdictio temporalis pendet, iure suo vtentes, aliis iudicibus inferioribus: imo nõ iudicibus iudicanda &

absoluẽda fæpe committant, nec de iniustitia sibi facta possunt dicti Senatus legitimè conqueri. Ex quibus etiam patet non concessisse Papam hanc facultatem inualidè; nisi quis dixerit iurisdictionem Episcopi à Papa non pendere, cuius contrarium alibi probatum est: & posito, quòd non penderet, non posset tamen negari, quin habeat in Diœcesim Episcopi omnem iurisdictionem, quam ille habet; ac propterea sicut Episcopus casus, quos sibi reseruat, irregularibus, & aliis iustè & validè concedit sic similiter Papa eisdem validè & licitè eos impartitur.

Nec dicendum iure diuino Episcopum habere hanc facultatem sibi reseruandi casus: & ab eisdem absoluendi; ac proindè non posse per Papā pœnitentes absoluendos ab illo subtrahi. Nam respondetur hanc facultatem pendere à Papa, qui potest vel per se aut per alios eos absoluere: vel eosdem ab Episcopo eripere, ne absoluantur ab eo, eosque tradere alijs vt absoluantur: Non secùs ac Rex potest subtrahere filium à patris potestate, quam iure diuino in ipsum possidet, eumque ab eius obedientia eripere; ea enim est iuris diuini subordinatio, vt in supremo superiore eminenter resideat eiusdem iuris potestas quæ in inferioribus etiam iure diuino potestate pollentibus reperitur.

Accedit, quòd si Episcopus potest committere quibus voluerit, quæ sunt iuris parochorum etiam contradicentium, vt verbi gratiâ matrimonia contrahere, prædicare & Catechismum facere in eorundem Ecclesiis, &c. Quis negabit Papam ea quæ sunt iuris Episcopalis, cum opus est, posse committere.

Ad rationem autem in vltima obiectione adductam. Respondetur quod cognoscere immediatè & per seipsum crimina reseruata, non spectat ad Episcopum; alioquin non posset Episcopus crimina huiusmodi absoluenda aliis habitualiter concedere: quod tamen facit; sufficit ergo vt per alios hanc cognitionem habeat, quam facilè habere potest, si regulares & alios qui delegata potestate ea crimina absoluunt, de lapsu, nemine reuelato in huiusmodi crimina per se, aut per alios interroget Instabis non solum hanc cognitionem, verum etiam labentium in dictos casus emendationem reseruatione prætendi, quæ per spem absolutionis de facili impetrandæ impeditur. Respondetur reseruationem eius rei gratia partim adinuentam fuisse, quæ huiusmodi facultate non impeditur: Sicuti non impeditur, cum Episcopus eam facultatem quibusdam sibi beneuisis concedit: aut cum Papa suam in suos casus committit regularibus aut aliis.

Accedit, quod quamuis aliquomodo tali facultate emendatio impediretur, aliundè tamen zelo & prudentia eiusmodi absoluentium emendatio procuratur, quod sufficit. Si autem institeris iterum dicendo, quòd multi regulares nec zelo, nec prudentia præditi sunt, ac propterea corruit solutio, respondebitur regulares illis dotibus vt plurimum pollere, esseque per accidens, si quidam illorum eisdem careant: sicut est per accidens quod multi sæculares, quibus Papa & Episcopus suos committunt, eisdem minimè polleant; Quoniam nec ius, nec Papa nec Episcopus ad id, quod per accidens & rarò: sed ad id quod per se; & vt plurimum euenit, respiciunt; ac propterea nostram propositionem subsistere, esseque verum Regulares posse legitimè validè & licitè ex delegatione. Papæ absoluere à casibus reseruatis à iure. Episcopo, & ab illis, quos ipse sibi reseruat.

PROPOSITIO III.

SAcerdos Regularis potest absoluere in foro conscientiæ à censuris & casibus à quibus iure communi, & ex concessione Tridentini absoluere possunt Ordinarij: ac etiam probabiliter in foro externo: imò vbi non est recepta bulla Cœnæ, ab omnibus censuris, etiam hæreseos, in eadem contentis, in vtroque foro absoluere potest: & denique ab illis in foro interiori vbi recepta est Bulla, dummodò sint occulti.

Hæc propositio quoad primam partem colligitur ex dicta concess. Pauli III. in qua fit facultas confessario Regulari absoluendi à casibus Papæ reseruatis; ergo & similiter à casibus reseruatis Episcopis; cum illi casus multò sint inferiores. Probatur iterum, quoniam Tridentinum illos casus Episcopis non concedit iure speciali, sed ordinario, annexos perpetuo Episcopali dignitati: non vero ex consideratione industriæ Episcoporum; quia tunc esset concessio personalis; ac sic illa facultas non posset ab illis delegari, quæ tamen potest etiam in crimine hæresis, vt tenent Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 11. Henriq. lib. 6. cap. 14. num. 7. Eman. Sa verb. *Episcopus*, nu. 37. Sanches in Summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 23. Diana tract. 6. Miscell. resol. 92. & alij penes ipsos. Ac sic illi casus videntur non esse ampliùs Papales, sed Episcopales; & ex consequenti concessi confessario regulari, qui iuxta hanc doctrinam poterit absoluere à casibus occultis, etiam hæreseos in bulla Cœnæ contentis. Et sic tenent Sanches lib. 4. Sum. cap. 24. num. 27. Marull. in suis Disputat. disp. 1. cap. 2. diff. 11. num. 540. Diana 2. part. tract. 2. de Dub. regul. resolut. 23. sub finem vers. nota 5. Martinus à S. Ioseph. in Compend. facult. verb. *confess.* nu. 4.

Notandum tamen, in vi dictæ concessionis non posse præfatum confessorem regularem absoluere à dictis casibus, nisi sint occulti: occultum autem dicitur hoc loco, sicut diximus in tract. de Hierarch. agendo de Potest. Prælat. ad absoluend. cap. 3. proposit. 1. quod licèt notum sit aliquibus; non tamen publica infamia in tota vicinia, collegio, vel communitate notum est. Ex quibus sequitur: dictum confessarium posse absoluere pœnitentem in regione, in qua publica infamia non laborat, licèt publica infamia in aliqua alia de huiusmodi criminibus respersum.

Diximus probabiliter posse absoluere ab illis in foro externo: quoniam datur facultas absoluta ab illis absoluendi, quæ non sic daretur, si ac vnicum forum restringeretur. Vnde non potest iudex de illis ampliùs cognoscere, & pœnitens non tenetur se iterum absolui facere; sed iudex obligatur absolutionem datam, si ei authenticè constet, acceptare: sic Nauarr. Concil. 26. de sentent. excommun. Medina 2. p. instruct. confess. cap. 12. Roder. q. 67. art. 6.

Quoad vero secundam partem probatur propositio, quoniam Episcopi possunt ad illis iure ordinario antiquo absoluere, vt notat Candelabrum verb. *Absolutio*. nu. 12. at sacerdos regularis potest absoluere ab illis censuris, à quibus Episcopi iuri communi possunt; ergo sacerdos regularis potest ab illis absoluere. Et ita tenent Millardus de pœnit. cap. 57. instruct. 1. nu. 10. post Nauarrum de constit. quæst. 14. nu. 41. & 42. quod ita verum est, vt etiam sine vllo priuilegio possit à censura hæreseos absoluere iuxta sententiam Suaris in tom. de Fide, Spe, & Charitate, tract. 1. disp. 21. sect. 4. nu. 3. ibi enim loquitur de locis in quibus bulla Cœnæ non est recepta: cùm nullo iure antiquo sit illa censura reseruata, vt ipse asserit, & probat ex cap. *Damnamus*, de Hæret. & ex cap. *Vt officium*, eodem tit. Quod autem possit absoluere in foro interiori ab occultis casibus dictæ bullæ, vbi recepta est, probatur ex communicatione cap. *liceat*, sess. 24. Trident de refor. quoniam facultas ibi concessa ab illis absoluendi est in perpetuum annexa dignitati Episcopali; ac consequenter iure ordinario competit Episcopis; ac proinde regulari confessario: cùm per sua priuilegia communicet in priuilegiis Episcoporum quoad facultatem absoluendi; accedit quod per talem con-

cessionem hi casus desinunt esse Papales, fiuntque Episcopales, ad quos absoluendos Episcopi committere possunt. Vnde cum in casibus Episcopalibus absoluendis possit idem quod possunt Episcopi; potest ab illis absoluere, & consequenter ab hæresi: cum sit primus ex illis.

Hic tamen notabis teneri regularem absoluentem hæreticum hæc quæ sequuntur obseruare primum extorquere ab hæretico anathema aduersùs hæresim quam professus fuerat. Secundum iurare, quod in posterum manebit in fide Catholica, ille autem qui absoluit hæreticum, nõ præmissa abiuratione, peccat, valet tamen absolutio.

Sed difficultas est, si sacerdos possit sic absolutum in Ecclesiam ad fidelium consortium, communionem, & participationem introducere. Suarez in proximè citato loco asserit, illos actus absoluendi, & introducendi, & cæteros iure antiquo ad Episcopum spectasse in foro iudiciali, & externo, citatque cap. *Presbyteros*, dist. 50. Pro foro autem conscientiæ nihil in iure circà hoc reseruatum est; quocirca erit quoad hoc seruanda consuetudo patriæ, quæ in Gallia ob multitudinem hæreticorum in praxi contraria est illi iuri antiquo: ille enim qui hæreticum ab hæresi absoluit, eundem ad huiusmodi actus admittit.

Aduerte, lector, quod in absolutionibus in foro externo à confessario regulari conferendis externæ solemnitates ab Ecclesia præscriptæ non obseruantur; quoniã ab illis dispensatus est per Leon. X. vt videre est in compendio priuileg. mendicant. verb. Absolutio viuæ vocis, oraculo Potest ergo publicè & secretò absoluere quoquo modo voluerit,

PROPOSITIO IV.

Potest sacerdos Regularis virtute suorum priuilegiorum absoluere in foro conscientiæ ab omnibus antedictis censuris irretitum, licèt censuræ illæ deductæ sint ad forum contentiosum; & licèt publicæ sint: imo etiam ab illis, à quibus aliquis est nominatim denunciatus.

Probatur hæc propositio; quia in prædicta concessione Pauli III. facultas absoluendi à censuris sine vlla restrictione, aut limitatione absolutè conceditur: priuilegium autem sine restrictione aut limitatione concessum, à nobis limitandum non est. Confirmatur, quoniam si Trident. sess. 24. cap. 6. apponeret limitationem hanc ie concessione, videlicet, *dummodò non fuerint deducta ad forum contentiosum*, possent Episcopi sine vlla restrictione absoluere; ergo cùm priuilegia Religionum non addant hanc restrictionem, sine limitatione erunt accipienda; & huius sententiæ sunt Sanchez in Summa lib. 6. cap. 17. num. 43. cum Ledesma, Polanco, Anglez, Henriquez, Nauarro, Soto, & Roderico, quos ipse citat. Sic etiam Vega in Summ. cap. 61. cas. 1. Martin. Delrio, Disquisit. Magic. lib. 6. cap. 1. sect. 13. prope finem: Sorbus in Compend. priuileg. verb. *Communic.*

Quinimò non solùm hæc propositio vera est de censuris ad forum contentiosum deductis, sed etiam de censuris propter quas aliquis nominatim denunciatus existit, ob easdem rationes. Et sic tenent Auila 2. part. cap. 7. disputat. 1. dub. 5. Hugolin. tabula 1. cap. 4. Sairus in Thes. cas. lib. 2. cap. 20. Valentia tom. 4. disput. 8. quæst. 17. num. 8. Portel. in dub. Regul. verb. *Excommunicatio*, num. 21. vbi ita loquitur. *Ab excommunicatione lata ab homine potest absoluere qui illam tulit, vel eius successor, vel superior, vel delegati habentes commissionem illorum:* necnon etiam id sentit Reginald. tom. 1. lib. 9. cap. 2. num. 29. cuius etiam verba lubet adducere, *Quòd legatus*, ait, *possit excommunicatum absoluere, patet, tum per cap. Saluo*, §. *Caueat, de Sent. excom. cùm dicitur, ipse per se, vel per alium munus ei absolutionis impendat, tum quia delegatus in re sibi delegata vices habet delegantis.* Sic etiam sentiunt Polanc. in suo director. cap. 4. Didaco Berez lib. 8. tit. 1. Concil. disput. 14. num. 207. Auila citatus disput. 3. concl. 3. cap. 8. Roder. tom. 1. quæst. 61. art. 8. Sanches in Sum. lib. 6. cap. 18. num. 41. Ioan. de la Cruz in epit. lib. 2. cap. 7. dub. 1. qui hanc veritatem colligit ex conces-

sione Sixti IV. in fauorem Minimorum emanata: quâ illis facultatem facit, *Absoluendi ab omni excommunicatione, suspensione, interdicto, tam à iure, quàm ab homine reseruatis, quoties opus fit*: sic denique Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ, resolut. 26. & alij.

Nec obstat 1. quòd hæc potestas inferret damnum Ordinariis: quoniam hæc absolutio datur, vt prosit tantùm in foro interiori, qua non obstante possunt Ordinarii procedere in foro exteriori contra absolutum, ac si non esset absolutus. Non obstat 2. Extrauag. quæ incipit, *Et si Dominici*, Sixti IV. quoniam 1. non interdicit absolutionem cuiuscumque criminis ad forum externum deducti: sed tantùm criminis hæresis. 2. Respondetur, ibi solùm prohiberi absolutionem criminum deductorum ad forum contentiosum virtute concessionum ab eodem Sixto emanatarum; non tamen per hanc restringi facultates ab aliis summis Pontificibus concessas, vt notant Sotus 4. distinct. 22. art. 3. versu 1. Siluester verb. *Excommunicatio*, 1. nu. 33. Nauarr. cap. 27. Summ. nu. 88. & cap. 12. nu. 75. Angel. verb. *Excommunicatio*, 5. nu. 31. Plura videas apud Sanchem loco citato.

Aduerte tamen, quòd confessarius regularis in huiusmodi absolutionibus impartiendis tenetur sub mortali anteà facere, vt absoluendus satisfaciat parti, aut præstet cautionem, si non potest satisfacere: aut iis deficientibus præ impotentia iuret se satisfacturum: verùm si obmittat ex obliuione, aut ex malitia huiusmodi satisfactionem iniungere, valebit absolutio: quia Pontifex non ponit illam clausulam, vt nouam formam inducentem, nec limitat p[illegible]testatem ad absoluendum: sed tantùm confessarium suæ obligationis admonet. S[illegible] Sa[illegible]hes de Matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 13. nu. 2. Auila de Cens. part. 2. cap. 7. disput. 3. [illegible]ub. 9. conclus. 2. citans Pennam, Petrum Nauar. & A costa. Sic etiam Ioan. Valer. in different. vtriusque fori, verb. *Absolutio*, difficul. 5. nu. 5. & alibi.

Imò addere liceat, dictum sacerdotem regularem posse absoluere denunciatos nominatim excommunicatos in vtroque foro, parte, si potest, satisfacta: & valere huiusmodi absolutionem in vtroque foro. Ac sic tenet Rod. t. 10. QQ. reg. quæst. 61. art. 6. & 7. Sorbus in addit. ad verb. *Absolutio*, cap. 3. conclus. 4. Medina lib. 2. cap. 12. Nauarr. lib. 5. consl. 26. tit. de Sentent. excomm. Ioan. de la Cruz in epist. lib. 2. cap. 7. quod etiam ex declaratione Pij V. in Iubileo ab eo concesso 15. Kalend. Nouembris 1568. de quo in tract. 3. egimus, probatur: in qua sic habetur, *Declarantes insuper tùm præsentes, quàm alias quascumque concessiones similium & dissimilium indulgentiarum à nostris prædecessoribus emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas litteras Christi fidelibus, ipsis, nisi ad eorum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum dumtaxat; non tamen in foro contentioso, nisi satisfecerint, vllatenus suffragari*. Ex quibus insinuatur 1. quòd satisfacta parte, possint censuris irretiti, in foro contentioso absolui, & sine illa, in foro conscientiæ, modo supradicto.

Verùm superest difficultas, num id etiam asserendum sit de omnibus censuris in bulla Cœnæ Dominici contentis, vbi non est recepta? Respondetur, eodem modo de illis iudicandum, ac de aliis; cùm sublata dicta bulla, & Tridentino, non magis sint reseruatæ, quàm aliæ, à quibus potest absoluere, vt probatum est.

PROPOSITIO V.

Potest Confessor Regularis absoluere à censuris Papæ reseruatis, si pœnitens adire Romam non valeat; & ab illis etiã absoluere extra confessionem.

Probatur propositio quoad primam partem; quoniam absolutio censurarum huiusmodi ad Episcopos deuoluitur iuxtà Sairum de Cens. lib. 3. cap. 28. num. 38. post Felinum, Siluestrum, & Nauarrum: at confessor regularis potest absoluere à censuris, Episcopis quolibet iure reseruatis, ergo ab illis etiam potest absoluere.

Diximus, si pœnitens non potest ire Romam, quoniam qui non possunt ire vt

sunt vtriusque sexus regulares, fœminæ, & pueri, qui sine consensu & præiudicio patrum, vel coniugum, illuc proficisci non possunt, infirmi, senes, & cęteri huiusmodi, non tenentur Romàm mittere, vt tenent Nauarr. cap. 27. num. 90. Armilla verb. *Excomm.* 1. num. 11. Henriq. de Pœnit. lib. 3. cap. 9. num. 3. ac cap. 10. num 1. & cap. 11. nu. 5. Speculum morale 3. part. cap. 13. num. 9. vers. 3. & Eman. Sa, verb. *Absolutio ab excomm.* vers. *qui iustè*, & Vega verb. *de Excomm.* cap. 150.

Secunda autem propositionis pars colligitur ex verbis concessionis, quæ cùm non restringant facultatem ad confessionem, nec nos restringere debemus. Ac sic tenet Roderic. quæ. 61. art. 7. Sanches lib. 4. Summ. cap. 54. num. 16. cum multis, Henriques citans Victoriam, Pennam, & Medinam, lib. 7. de Indulg. cap. 13. lib. 5. nu. 2. Auila de Cens. part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 13. Villalobos tom. tract. 27. clausula 9. num. 28. Vega, & Ledesma cum Diana tract. 22. de Cruciata, Resol. 25. Coninc. de Sacram. disput. 14. dub. 16. num. 25. & Suare tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 2. num. 27.

Nec obstat, quòd in priuilegio illius facultatis apposita sint illa verba, *Eorum confessionibus diligenter auditis, eos à quibusuis casibus, & ex ipsis casibus resultantibus sententiis*, quæ videntur supponere sacramentalem confessionem. Non obstat (inquam) quia verbum illud *Auditis confessionibus eorum*, commune est, & indifferens ad Sacramentalem confessionem, & ad quamcumque aliam absolutionem, seu sententiam pœnitentiæ imponendæ proportionatam: ergo meritò potest in sua communitate sumi, & cum partitione accommoda ad absolutionem adaptari. Confirmatur, & declaratur: nam verbum *Absoluendi*, quo illà clausula concluditur, commune est ad absolutionem sacramentalem peccatorum, & ad absolutionen censurarum, quæ sine dubio est distincta & prçuia, & à diuersa potestate procedit: ibi autem verbum illud absoluendi sumitur in sua communitate, & per illud conceditur duplex potestas ad vtramque absolutionem: ergo eodem modo accipi potest verbum illud, *Auditis confessionibus*, vt sub se claudat duplicem confessionem, duplici absolutione accommodatam; & ad vnamquamque requirat solùm illam, quæ per se sufficiens est. Sic Suares citato loco, qui etiam addit, quòd quamuis simul ad vtrumque iudicium detur potestas; non tamen necessariò postulatur, vt simul fieri debeat, nam sæpe multa comprehenduntur ijdem vel coniunctis verbis: non quia in re necessariò ita coniuncta sint; sed vel quia ita breuiùs & commodiùs dicuntur, vel certè quia frequentiùs ita fiunt, non ex necessitate, sed commoditate, vt de illis verbis, *Auditis confessionibus*, dici potest. Quocirca si aliquis censuris ligatus accedat ad sacerdotem regularem paratus ab pœnitentiam condignam, & ad obediendum Ecclesiæ, quamuis non sit paratus ad absolutionem sacramentalem, vel non possit, aut nolit sacramentalem confessionem facere: vel sacerdos ille non valeat illam audire, potest confessis delictis super quibus censuræ sunt impositæ, pœnitentem ab illis absoluere, & remittere ad alium qui hanc facultatem non habeat, vt à culpis absoluatur. Plura alia de hac absolutionis materia dici possent: sed de industria abstineo, ne prolixior habear.

PROPOSITIO VLTIMA.

Requiritur in Regulari præsentatio coràm Episcopo per Prælatum Regularem facta, vt validè, & licitè possit absoluere à Papæ, & Episcopis, casibus reseruatis; licèt probabiliter sustineri possit, validam & licitam esse huiusmodi absolutionem absque dicta præsentationis forma.

Præsentationem huiusmodi per Prælatum regularem faciendam requiri, vt necessariam, certum est ex iure communi, & priuilegiis quæ de illa mentionem faciunt, in qua tria de necessitate seruanda sunt. iuxtà communem Doctorum sententiam,

Digitized by Google

præcipuè Casarub. Roder. & Mirand. & Clement. *Dudum.* Primum, quòd fieri debet Generalem aut Prouincialem facerdotis regularis, aut per eorũ vices gerentes, qui ad præsentiam Episcopi accedere debent, & petere quòd Fratres, qui ab eis fuerint electi, possit liberè confessiones subditorum illius Diœcesis audire. Secundum, quòd post huiusmodi petitionem Fratres qui audituri sunt confessiones, per aliquem ex dictis Prælatis eligantur; posset tamen pręcedere admissio, si vellet Episcopus, aliàs, nõ. Tertium seruandum, quòd confessores sic electi præsententur Episcopo, aut eius vices gerenti, per aliquem ex præmemoratis Prælatis, aut per aliũ ab ipsis deputatum, petendo humiliter, vt de ipsorum beneplacito possint audire confessiones suorum subditorum. Verùm, quia duo prima obseruatu difficilia sunt, si strictè intelligantur, cùm prælati illi regulares nequeant adesse vbicumque, & quandocumque est facienda præsentatio: ac similiter, quia ijdem Prělati non valent eligere aliquos Fratres ad audiendas confessiones extra capitula, nisi ab ijs, qui id possunt, specialem habeat commissionem: ideò ex tacita commissione illorum Prælatorum regularium, & ex tacita etiam acceptatione Episcoporum, vt vsus explicuit, & testatur: qui forsã introductus in reuocatione dictæ Clementinæ quatenus priuilegiis Regularium contrariæ eo ipso, quo superior localis eos præsentat, vel quo ipsi se præsentant cum literis sui Generalis aut Prouincialis, aut illius qui vices illorum tenet debitè præsentati censentur. Nam forma præsentationis per dictam Clement. imposita est regularibus, in Prælatorum regularium, & Episcoporum fauorem, cui tanquã iuri suo renunciare possunt. Quęlibet autem alia forma, seu præsentatio, dubia est & onerosa, vt illa quę fit à Prælato locali iuxta Innocent. VIII. viuæ vocis oraculo concessa, quæ refertur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *præsentatio.* Hac autem præsentationis forma obseruata, validè & licitè à præmissis censuris & casibus absoluit regularis: inualidè autem & illicitè, si illa forma obseruata non sit, etiamsi facultatem habeat ab Episcopo audiendi confessiones: vt probant præcitati doctores Casarubius in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Præsentatio*, Roderic. tom. 1. QQ. RR. quæst. 60. art. 3. Miranda in Manuali, tom. 1. quæst. 45. art. 13, & alij.

Dixi probabiliter posse sustineri, validam esse absolutionem, absque obseruatione huius formæ. Nam nullum verbum in dicta Clement. insertum reperitur, quod indicet huiusmodi absolutionem inualidam, ac propterea nullatenùs est inualida iudicanda: quoniam Papa illam formam apponit, non vt illius non obseruantia reddat actum inualidum; sed tantùm illicitum quonam autem modo illicitum, lethaliterne, an venialiter; certè videtur solùm hoc modo illicitum, cum nullum verbũ apponatur quod moraliter illicitum reddat. Imo si res exactè consideretur nõ solum validam sed etiam licitam huiusmodi absolutionem; nã pero quid illam inualidã & illicitam facit? Respondebis, arbitror, dictam Clementinam Concil. Laterann. sub Leone X. & Tridentinum, non Tridentinum; quoniam vt ostendimus, nihil operatur aduersus hoc priuilegium; non Lateranense, quia etiam probauimus esse quoad priuilegia, Regularibus reuocatum: non denique dictam Clementinam, quia posito quod inualidam & illicitam huiusmodi absolutionem redderet, ipsa quatenus priuilegiis regularium aduersatur, est expressè reuocata, vt patet ex bullis Pontificum in fauorem Minoritarum (vt cæteras taceam) 1. est Pauli IV. *Ex Clementi.* 2. *Pij IV. inchoata etiam ex Clementi* B. Greg. XIII. 3. *ex Benigno*, cęteræ Sixti V. Clemen. VII. & Pauli eadem priuilegia confirmant, reuocando contraria omnia, quæ prædicti Pontifices suis prædictis bullis reuocarunt: quam clausulam etiam habet bulla, *etsi Mendicantium*, Pij V. priuilegiorum omnium fratrum Mendicantium confirmatiua; at vnum ex priuilegijs Regulariũ est vt à suis prælatis ad confessiones audiendas electi possint absque alia præsentatione illas audire, & pœnitẽtes absoluere, sic determinante Benedicto XI. cap. *inter cunctas*, extra de priuileg. his verbis; *electi igitur ab eisdem fratribus ad audiendas confessiones & pœnitentias iniungendas liberè auctoritate Apostolica, absque licentia Diœcesanorum, & aliorum prælatorum inferiorum exemptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audeant eis peccata sua confiteri volentes non religiosos, qui secundum statuta suorum ordinum proprio Prælato confiteri debent, aut ab eis, in confiteantur alijs prohibentur, absoluant, ipsisque Pœnitentias*

salutares

salutares iniungant intra sibi designatos terminos ad huiusmodi exercendum officium constitutos. Ergo cum priuilegium huiusmodi extet absque obligatione se præsentandi ordinariis valida & licita erit absolutio, huiusmodi præsentationis forma non obseruata. Et confirmatur ex priuilegio Eugenij IV. cum clausula reuocatoria omnium Conciliorum generalium, bulla quæ incipit, *Etsi quaslibet personas.* in Benedictin. congregationis S. Iustinæ fauorem concessi, cuius hęc verba accipe, *Propterea cùm sæpe contingat ob deuotionem, quam ad Monachos præfata congregationis nonnulla personæ habent, singularem ad huiusmodi Monachos pro eorum salute animarum recurrere: nos volentes earum deuotioni satisfacere, quod liceat dicta congregationis Prælatis, siue Monachis deputatis à suis superioribus, ad audiendas huiusmodi personarum confessiones, accedere; illasque audire, & personæ ipsæ ipsis confiteri possint, absque alia suorum superiorum licentia: necnon eis pœnitentia & satisfactione iniunctis, quoties oportuerit, absoluere: præter eas censuras, pœnas, & vota, ac casus de quibus esset meritò sedes Apostolica consulenda, eisque ac omnibus, qui ad prædictos Monachos ad huiusmodi deuotionem recurrerint, Eucharistiæ Sacramentum ministrare valeant: de specialis dono gratiæ in fauorem obseruantiæ regularis elargimur.* Quibus verbis vides, solam superioris deputationem esse sufficientem, absque alia præsentatione: vnde citatus Casarubius concludit, præfatam præsentationis formam non esse necessariam, nec dissentit Corduba in dicto loco compendij; cùm sententiam Casarubij, seu collectoris compendij non reprobet; quod alibi facere solet, quando sibi non probatur. Seruanda tamen forma præsentationis ad securitatem, vt idem Casarubius docet; ego tamen huic sententiæ non auderem subscribere propter contrariam praxim quæ sequenda est.

Hic autem sub finem huius capitis notabis, quod alibi etiam notatum est, hanc facultatem à prædictis casibus reseruatis absoluendi non adimi, neque suspendi per bullam Iubilæi anni sancti; quoniam non reuocat facultates absoluendi à reseruatis, nisi datas indulgentiarum causâ, vt in ipsa bulla exprimitur, & Vrbanus VIII. qui hoc in bulla Iubilæi 1625. non expresserat, eandem esse suam mentem, vt asseritur, declarauit.

CAPVT IV.

DE FACVLTATE CONFESSARII REGVLARIS AD DISPENSANDVM SVPER

Irregularitatibus, & aliis pœnis Ecclesiasticis.

PRÆLVDIVM.



ERBVM *dispensare ad multa refertur, quæ hìc proponere lubet; Ac 1. ad Irregularitates, & ad alias pœnas Ecclesiasticas. 2. Ad vota, & iuramenta, & impedimenta. 3. Ad præcepta Ecclesiæ. De quibus omnibus agemus; ac in hoc capite de facultate Confessarij ad dispensandum Regulares super irregularitatibus, & alijs pœnis Ecclesiasticis: in proximè sequenti de commutatione votorum, & iuramentorum: & posteà de facultate eiusdem super impedimentis, &*

PROPOSITIO I.

POtest sacerdos Regularis dispensare Seculares super omnibus irregularitaribus occultis, super quibus Episcopus ex concessione Tridentini dispensat, ac consequenter in quibusdam irregularitatibus ex homicidio voluntario, iusto vel iniusto contractis.

Hæc propositio eo modo probatur, quo superiùs facultas absoluendi à censuris; cùm in vtriusque eadem militet ratio: probatum est autem, sacerdotem regularem habere eandem facultatem à censuris absoluendi, quam habet Episcopus; ergo etiam eandem facultatem habebit, quam ipse habet ad dispensandum super irregularitatibus: sicque tenent in propriis terminis Martin. à sanct. Iosepho, in Compend. facult. confess. verb. *Dispensare*, num. 3. & 4. Sorbus verb. *Absolutio quoad fratres & saculares*, in Resolutionibus, conclus. 2. & Roder. in explicat. bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 13.

Obiicies, hanc facultatem iure speciali Episcopo fuisse concessam, & non Ordinario; ac proindè cùm regularis non possit dispensare, nisi in iis quæ ad Episcopum iure ordinario spectant, non poterit dispensare super irregularitatibus, quæ speciali iure ei committuntur. Respondetur, illas irregularitates Episcopis sic commissas, posse lata significatione in rigore locutionis dici, & censeri ei reseruatas, cùm iam Episcopus dispensare possit in illis, ex vi iuris communis Tridentini, tanquam ordinarius: vnde cùm versemur in materia fauorabili (qualis est materia priuilegiorum, & facultas dispensandi) possunt huiusmodi irregularitates censeri comprehensæ in illo priuilegio, sub nomine irregularitatum Episcopo reseruatarum. Sanè quòd casus reseruati à iure ipsi Pontifici, ab eodem iure commissi Episcopo, soleant aliquando dici reseruati, ex eo patet, quòd percussio Clerici leuis, quæ tamen mortale peccatum sit, communiter dicitur esse à iure reseruata Episcopo, cùm tamen ab eodem iure sit ei solùm commissa: nam ex vi iuris prioris, nimirum canonis, *Si quis suadente*, illa erat soli Pontifici reseruata, hic enim canon reseruat Pontifici omnem violentam percussionem factam clerico, quæ peccatum mortale sit. Idem ergo iudicium de huiusmodi irregularitatibus, iam Episcopo ex vi iuris noui commissis, ferendum est.

Addo verò, quòd nulla irregularitas, vt iam est in communi vsu Ecclesiæ, alio modo censetur Episcopo reseruata, ad dispensandum super ea, nisi quatenùs sit ei à Pontifice, seu à iure commissa: ratio est, quia sicut Episcopus nullam irregularitatem potest imponere, aut constituere: ita neque etiam vllam sibi reseruare; & eo ipso, quò aliqua irregularitas à iure, seu lege Pontificis imponitur, manet statim suapte origine Pontifici reseruata: ex quo fit, vt si per eandem, vel aliam posteriorem legem, seu canonem detur facultas ipsi Episcopo, vt in aliqua irregularitate valeat dispensare, id potiùs sit commissio quædam ei facta (licèt tunc illa facultas iure ordinario ei competat) quàm propria quędam & directa reseruatio quæ ei fiat, & tamen talis irregularitas dicitur tunc reseruata Episcopo. Ergo vt aliqua irregularitas secundùm vsum Ecclesiasticum censeri, & dici possit reseruata Episcopo, satis est, quòd à iure sit ei commissa: & sic soluta manet obiectio contra nostram propositionem.

Quæ vlterius probatur 1. ex concessione Eugenij IV. facta monachis sancti Benedicti, his verbis, desumptis ex bulla inchoata, *Et si quaslibet personas. Pralatis & monachis Sancti Benedicti*, &c. *absolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis, & dispensare super omnes casus, præter eas censuras, pœnas, & vota, ac casus, de quibus esset Sedes Apostolica merito consulenda, licentiam elargimur.* Quibus verbis duo

Pontifex concedit. Primum est, facultas à censuris absoluendi. 2. Est facultas super pœnis dispensandi, ac proinde cùm irregularitates sint pœnæ, vt inferiùs videbitur, poterit super illis dispensare. Et meritò hæc duo colligimus, cùm concessionis verba valdè ampla sint, nec excludant, nisi illas irregularitates de quibus esset meritò sedes Apostolica consulenda: de hoc autem numero non sunt istæ.

Probatur 2. ex præmisso superiùs priuilegio Pauli III. in quo professoribus Societatis Iesu facultas conceditur, *Absoluendi in foro conscientiæ à pœnis Ecclesiasticis, procedentibus ex casibus reseruatis*, inter quas pœnas ponuntur irregularitates, vt tenent Sanches lib. 6. Operum Moralium, qui eius est sententiæ cap. 5. num. 178. & Suares hanc sententiam referens, probabilem censet tom. 4. de Relig. vbi adducit multos graues Doctores eam sequentes, qui eum aliis, quos citat de censur. disp. 40. sect. 3. n. 3. existimat irregularitates ex delicto prouenientes esse pœnas, ex se perpetuas & censuras, esse tantù tẽporales & medicinales pœnas, ad correctionẽ impositas. Quod autem prædicta verba Pauli III. licet vtantur verbo absoluendi, debeant intelligi de vera dispensatione super irregularitatibus probatur primo, quia verbum absoluendi pro verbo dispensandi sæpè sumitur, vt docet Suar. tract. 8. de relig. lib. 2. cap. 21. num. 16. quasi absoluere nihil aliud significet, nisi abolere aut tollere. 2. quia illa verba debent aliquid operari, alioquin essent superflua, quod absque ratione diceretur: quid autem; nisi quod significatur nomine pœnæ, cuiusmodi est irregularitas, de qua est quæstio. 3. quia hæc materia fauorabilis est, cum sit principis priuilegium; ac proinde amplè interpretanda; & licèt in iure dispensatio sit odiosa, potestas tamen dispensandi fauorabilis est ac ampliabilis, vt docet Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 2. quoniam nulli præiudicat nisi forsan concedenti, qui tamen sibi præiudicare non existimatur, quamdiu fauores & priuilegia impartitur. Quæ doctrina vera est etiam in dubio, iuxtà eundem doctorem; debent ergo hæc verba iuxta nostram sententiam explicari.

Probatur 3. nostra propositio ex eiusdem Eugenij IV. concessione per bullam facta Monachis sancti Benedicti: ac in eodem Compend. Mendicant. inserta, verb. *Absolutio quoad secular.* 2. num. 9. his verbis: *nec non à quibuscumque suspensionum, excommunicationum, & interdictis sententiis, aliisque Ecclesiasticis censuris & pœnis, quas à iure, vel ab homine, satisfactione minuta incurrisse quomodolibet censebuntur*, ac similiter ex concessione Sixti IV. eisdem Monachis facta, relata in bullario Roder. sub nomine Bulla 42. Quibus verbis, vt infrà exactiùs examinabitur, illa facultas dispensandi super illis irregularitatibus concessa dignoscitur.

Probatur 4. ex concessione Sixti IV. Minimis facta, per Bullam prout habetur in libro Monumenta Ordinum nuncupato, & in pluribus aliis locis, his verbis, *Concessit FF. Ordinis Minimorum facultatem ad confessiones audiendas, &c. ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & super quacumque irregularitate ordinaria, tam à iure, quàm ab homine reseruatis, toties, quoties opus fuerit, absoluendi, dispensandi; ac vota quacumque permutandi, sicut potest Diœcesanus.* Quibus verbis Pontifex sacerdoti regulari facultatem illam expressè concedit.

Nec obstat 1. huic veritati quod asserit Corduba super dictum compendij verbum *Absolutio quoad seculares* 1. annotat. ad § 20. videlicet quòd illa facultate Minimi non vtantur, vt ipse à quodam Prouinciali illius Ordinis accepit: quia siue vtantur, siue non, per non vsum non amittitur priuilegium, vt diximus in tract. de Priuileg. & posito quòd illo Minimi non possent iam vti, ratione non vsus; alij tamen regulares in eorum priuilegiis participantes illo vti possent; quia non participant in illorum priuilegiis quoad non vsum: nam non vsus priuilegium non est; sed participant in iure illo vtendi, vt tenet Ioan. de la Cruz in Epitom. priuileg. vt aliàs dictum est.

Non obstat 2. quod asserit Henriq. tom. 1. lib. 7. de Indulgent. cap. 28. § 5. hoc priuilegium tantùm valere pro Prælatis, qui illa facultate vti possunt, quoniam cùm absolutum existat; non debet ad Prælatos restringi; nec debet distinctio fieri, vbi ius non distinguit: quod etiã asserit Vega Ordinis Minimorũ in Sũma, verbo *Absolutio*, cas. 44.

Non obstat 3. quod dicit Portel. 1. part. Resp. moral. cap. 3. nu. 2. quòd Prælatis, & Confessariis concessum est hoc priuilegium; verùm eo vti non consuleret, fultus illa ratione; quòd nusquam acciderit, regularem vsum fuisse illa facultate. Non ob-

ftat (inquam) quoniam hæc cautela nimis est fcrupulofa; non enim vfus huiufmodi priuilegij eft publicus; fed admodum fecretus, vtpotè in facramento Pœnitentiæ: & licet non effet vllo modo in vfu apud Minimos; non propterea priuilegium effet amiffum : nam Sixtus V. 1587. priuilegia Minorum, fiue effent in vfu, fiue non, confirmauit : Bulla *Etfi mendicantium ordines*, & Paulus V. 1609. illa abfolutè confirmauit. Cúmque omnia confirmauerint, & illa quæ immediatè Minimorum Ordini funt conceffa, & alia quæ per participationem poffident; cùm fint vera illorum priuilegia, fine dubio vtraque confirmarunt.

Ex quibus fequitur 1. quòd hæc facultas difpenfandi extenditur ad omnes irregularitates, in quibus poteft Epifcopus difpenfare : ita vt quidquid iure communi poteft Epifcopus fuper irregularitatum difpenfatione, poffit facerdos regularis per iftud priuilegium. Ait enim Pontifex fe illis concedere *facultatem difpenfandi toties, quoties opus fuerit fuper quacumque irregularitate, Ordinario referuata* : Cúmque Epifcopus poffit relaxare irregularitates, quæ ex quibufdam defectibus naturalibus, aut aliàs inculpatis, vt aliquando cum quibufdam illegitimis, quoad aliquos Ordines, aut quoad illorum vfum, iuxta illa quæ tradit Emanuel Sa, ita cum illis poterit regularis confeffor fimiliter difpenfare, dummodò fuper his fententia non fuerit lata; quia tunc requiritur difpenfatio folemnis, quæ regulari confeffario non conceditur.

Sequitur 2. quòd regularis poterit difpenfare in illis irregularitatibus, quæ ex proprio peccato oriuntur, in quibus poteft Epifcopus difpenfare (verbi gratia) cum illo qui aliqua cenfura irretitus recipit facrum Ordinem, aut in eo fufcepto miniftrauit, aut qui ante ætatem fufcipit facrum Ordinem, & in eo miniftrat : & denique forfan cum irregulari ex eo quòd membrum mutilauerit; cùm iuxta citatos Emanuelem Sa, Rodericum & Suarem (qui ad hoc affert declarationem Cardinalium) illam facultatem habeat Epifcopus, ficut etiam fuper irregularitate ex homicidio cafuali contracta, quia Epifcopus poteft in illa difpenfare, vt tenent Nauarr. cap. 27. num. 194. Henriq. cap. 19. num. 7. Auila de Cenf. part. 7. difput. 6. fect. 5. dub. 2. conclus. 2. Diana part. 4. tract. 2. de Irregular. refolut. 72. Ac denique poteft difpenfare in illa irregular. homicidij cafualis, etiam publica, ad Minores Ordines, & Beneficium fimplex fufcipiendum; quia id poteft Epifcopus, vt tenent Henriques citatus num. 2. cit. 1. iuncto cap. 57. de Excommunic. num. 1. & citatus Auila concl. 3.

Sequitur 3. extendi hanc facultatem ad irregularitates, quæ non erant Ordinario conceffæ tempore illius priuilegij Sixti V. nam illa particula *Irregularitas referuata*, fe extendit etiam ad eas, quæ poftea Epifcopo referuatæ funt, feu referuantur; iuxtà ea quæ tradita funt de abfolutione à cenfuris referuatis.

Verum non leuis difficultas eft fi confeffarius regularis poteft difpenfare fuper irregularitate homicidij voluntarij omnino, occulti : vt autem foluatur, notandum eft duobus modis homicidium dici occultum, vno modo, quòd ita occultum eft vt à nemine poffit in notitiam hominum adduci, nifi à folo occifore, 2. modo, quod poteft per alium aut alios ad notitiam hominum venire : hoc pofito, quidam refpondent per tale homicidium omnino occultum non induci irregularitatem hæc fententia eft multùm probabilis, quam vide apud Mirandam de miniftri Gener. iurifdict. quæft. 8. art. 10. & ideò occiforem non indigere difpenfatione; fed quia contraria eft probabilior & communior, idcirco refpondetur iuxta eam poffe confeffarium antedictum difpenfare fuper dicta irregularitate primo modo occulta; quoniam Epifcopus poteft fuper illa difpenfare, vt tenent Couarr. Abbas, Caftrenf. & Angelus à citato Miranda allegato, & Bannes 2. 2. quæft. 40. art. 2. dub. 4. Viualdus & alij, fed confeffarius Regul. eadem quoad hoc facultate poffet ac Epifcopus, ergo id fimiliter poteft.

Nec obiicias Tridentinum vetare & prohibere Epifcopo difpenfare fuper irregularitate homicidij, voluntarij occulti; nam refpondebitur concilium loqui de homicidio non omninò occulto : fed tantum de illo quod ad iudicium & notitiam hominum deduci poteft, & probari, vt optimè refpondet in eadem materia citatus Miranda: nec refert quod illud homicidium voluntarium fit iuftum, vel iniuftum, quia in

vtroque est par ratio. His omnibus addere liceat regularibus in partibus infidelium siue hæreticorum existentibus, factam fuisse facultatem ad dispensandum super omni irregularitate ad formam facultatis Legati à latere, ex priuilegio Innocentij IV. & Ioannis XXII. Fratribus Minoribus concesso: ac etiam ex priuilegio eiusdem Innocen. facultatem possidere dispensandi cum Clericis defectum natalium patientibus, dummodò de adulterio, de incestu, aut regularibus non fuerint procreati: Et denique ex concessionibus Sixti V. & Pij. II. ordini fratrum prædicatorum factis habere facultatem dispensandi super omni irregularitate, excepta ea quæ à Bigamia descendit. Sic Thomas à Iesu lib. 12. de Procuranda salute omn. gent. in quo afferr concessiones integras Pontificum, in quibus hæc priuilegia expressè continentur.

PROPOSITIO II.

SAcerdos regularis potest dispensare in foro conscientiæ super pœnis Ecclesiasticis Episcopo, & Papæ reseruatis: non autem super pœnis per sententiam Iudicis inflictis.

Hæc veritas quoad primam partem probatur 1. ex Engenij IV. concessione; *etsi quæslibet* quæ his verbis habetur in Comp. priuil. Mendic. verb. *Dispensare* §. 29. *Eugenius concessit Monachis sancti Benedicti, ad audiendas confessiones deputatis ab ipsorum Prælatis, vota omnia permutare, ac in omnibus & singulis casibus, etiam ordinario, aut per synodales, prouinciales constitutiones reseruatis, cum sibi confessis dispensare: præter eos censuras & pœnas, vota & casus ad quibus esset meritò sedes Apostolica consulenda.* Probatur. 2. ex præcitata concessione Pauli III. in qua expressè continetur illa facultas dispensandi in pœnis, his verbis, *Singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus & enormibus; etiam sedi Apostolicæ reseruatis: & à quibus[?] ex ipsis casibus resultantibus sententiys, censuris, & pœnis ecclesiasticis exceptis, contentis in bulla, quæ in die Cœnæ solita est legi, absoluendi.*

Dices Vrbanum VIII. in bulla quę incipit, *In specula*, reuocasse concessionem illam Pauli III. Respondetur 1. de publicatione illius bullæ in multis Prouinciis non constare: 2. tenorem illius vbi publicata est, & recepta, non reuocare bullam Pauli III. quoad illam facultatem dispensandi in pœnis; sed tantùm quantum ad hoc, vt regulares non possint virtute illius absolui à casibus & excommunicationibus reseruatis, vt ex verbis sequentibus, ex dicta bulla excerptis manifestè constat, videlicet, *Concessionem bullæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi etiam laicis & clericis sæcularibus cuiuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota digna, quoad casus reseruatos etiam in bulla Cœna Domini*, Hæresi excepta, *contentas; non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragare.* Ita Pontifex: ac sic tenent Martinus à S. Iosepho in Compend. facult. confess. nu. 2. Sorbus in verb. *Absolutio quoad Fratres*, conclus. 2. & Sanches lib. 6. Operum moral. cap. 18. num. 78. qui est etiam huius sententiæ in pœnis quæ ex peccatis reseruatis procedunt. Hic tamen notabis, posse dictum confessarium regularem dispensare dumtaxat in pœnis Papæ reseruatis, quæ oriuntur ex casibus & censuris, à quibus per dictam concessionem Pauli III. absoluere possunt: quod expressè verba Pauli innuunt, vt docet ijdem Martinus à S. Iosepho in Reg. Minor. cap. 16. Veg. Minim. nu. 40.

Obijcies contra præcedentem doctrinam, quòd si propositio hæc vera existeret, posset prædictus confessarius dispensare in pœnis inhabilitatis, & aliorum huiusmodi, quæ per simoniam & confidentiã contrahuntur: cùm absolute super prædictis pœnis Episcopo & Papæ reseruatis possit dispensare: sed in prædictis non habet facultatem dispensandi; ergo propositio posita non est absolutè vera. Fateor, doctores in hac materia admodum variare: nam cùm aliqui absolutè censeant nullam inhabilitatem, aut aliam pœnam incurri, absque Iudicis sententia, tamẽ quidam illorum, non consequenter loquentes, censent hanc inhabilitatem, non nisi à Papa tolli posse: alij tamen distinctione vtentes asserunt, quòd si illa pœna occulta sit, poterit Episcopus in ea dis-

pensare, si beneficia illa per simoniam confidentiam parta, ad collationem Episcopi pertineant; non autem si ad collationem Papæ: si autem illa pœna sit publica ad solum Papam dispensationem illius spectare.

Verùm hæ distinctiones non possunt illi sententiæ cohærere: dicendum est ergo consequenter ad illam sententiam, quòd dictæ pœnæ nonnisi post sententiam iudicis incurruntur, ideò non esse opus dispensatione. Et ita sentiunt Sanch. in Summ. lib. 2. cap. 39. num. 32. Nauarr. de Datis pro iustitia, vel gratia, num. 44. Molina tom. 1. de Iustit. disput. 96. Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 6. art. 15. ad finem, Ledesma 2. p. t. qu. 18. art. 2. dub. vlt.

Iuxtà autem aliam sententiam, quòd pœnæ incurruntur absque sententia iudicis, dicendum est, posse confessarium regularem super prædictis pœnis dispensare, cùm illæ oriantur ex crimine Sedi Apostolicæ reseruato; super quibus absolutè diximus confessarium huiusmodi posse dispensare. Ratio est, quoniam, vt superiùs pluries diximus, priuilegia absolutè & vniuersaliter concessa, absolutè & vniuersaliter, & sine restrictione sunt intelligenda: illud autem priuilegium in prædictis pœnis absolutum & vniuersale est; ergo vniuersaliter & absolutè intelligendum; ac proindè ad hanc pœnam inhabilitatis extendendum. Notandum tamen hic obiter, quòd in sententia illorum, qui arbitrantur Episcopum posse dispensare in occultis huiusmodi pœnis, posse etiam in eisdem dispensare confessarium regularem, vt ex præcedentibus concessionibus in hac propositione positis constat: non potest tamen in pœnis cessationis à diuinis, & depositionis, & degradationis, quoniam regulariter loquendo sunt tantùm pœnæ fori exterioris. Potest tamen confessarius regularis in partibus Septentrionalibus degens, componere super fructibus perceptis à simoniaco occulto, ex concessione Pij V. sub data 20. Octobris 1568.

Quantum autem ad secundam partem, probatur propositio ex eo, quod delegatus non potest quidquam super eo, super quo non est delegatus; sed sacerdos regularis non est super huiusmodi pœnis delegatus; ergo nihil penitus potest super illis. Quòd autem non sit ad hoc delegatus constat, cùm nullo iure hæc delegatio probetur. Nec obstat, quòd iuxta hanc sententiam concessio Apostolica facta confessario regulari ad dispensandum in pœnis esset inutilis; quoniam, vt diximus superiùs in tract. de Facultat. Prælatorum ad dispensandum super illis suos subditos, hæc concessio facta fuit iuxtà aliam opinionem, quæ sustinet, contracto crimine dictas pœnas incurri, absque alia iudicis sententia.

CAPVT V.

DE FACVLTATIBVS CONFESSARII REGVLARIS AD COMMVTANDVM, ET DISPENSANDVM SVPER votis & iuramentis, impedimentis & præceptis Ecclesiæ.

PROPOSITIO I.

Confessarius regularis potest in foro conscientiæ commutare omnia vota, etiam si sint iurata; ac etiam iuramenta, in alia pia opera: iuramentis de votis absolutis Castitatis, Religionis, Peregrinationis Romæ,

Hierusalem, & S. Iacobi minimè exceptis. Potest etiam commutare omnia vota pœnalia, aut conditionalia de futuro Papæ reseruata, etiam conditione adimpleta.

Hæc propositio quoad primam partem probatur 1. ex dicta concessione Eugenij IV. B. *Etsi quælibet* quæ habetur in Compend. priuileg. Mendicant. verb. *Dispensat.* §. 29. de qua superiùs his verbis: *Concessit Monachis congregationis S. Benedicti ad audiendas confessiones deputatis ab ipsorum Prælatis, vt vota omnia permutare possint, præter ea vota, de quibus esset meritò Sedes Apostolica consulenda.* 2. Ex concessione Pauli III. facta Societati Iesu, in qua hæc facultas habetur bulla inchoata, *Cùm inter cunctas*, ac etiam ex concessione Sixti IV. facta Minimis, confirmata etiam a Iulio II. Sic etiam tenent Sorbus loco citato, Roderic. tom. 1. quæst. 63. art. 5. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 13. §. 4. Sotus lib. 8. de Iustit. quæst. 11. art. 69. Sa verb. *Votum*, n. 16.

Secunda autem pars propositionis, videlicet quòd illa vota etiam iurata possit cómutare ex concessione Gregorij XIII. vt habetur in Compend. priuileg. Socier. Iesu, verb. *Votum*, §. 1. ita tenent præcitati, ac insuper Directorium Curat. cap. 15. Roder. citatus in explic. bullæ Cruciatæ, §. 11. nu 110. Aragon. 2. 2. quæst. 89. art. 9. Sotus lib. 8. de Iustit. quæst. 1. art. 9. Henriq. vbi suprà cap. 28. §. 4. Quòd verò in præiudicium tertij hoc non possit, tenent Roderic. & Henriq. citati, Medina in Summ. l. 4. cap. 23. n. 2. Ludouic. Lopes in Summ. cap. 44. de Voto, Ledesma 2. parte Summ. tract. 10. de Voto, cap. 8. in fine, & alij. Non est autem commutare in præiudicium tertiæ personæ, quando votum, aut iuramentum factum Deo de dando calicem vni Ecclesiæ, commutetur in alterius Ecclesiæ fauorem, vt cum communi sententia tenet Nauarrus citatus, & Ioan. de la Cruz de Statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 8. concl. 2.

Quoad 3. partem, videlicet quòd possit vti commutatione super iuramentis de illis quinque votis obseruandis communiter exceptis, probatur; quoniam per concessiones Pontificum non sunt reseruata: sic Petrus Ledesma tract. 11. de Iurament. 2. part. cap. 4. qui citat D. Thomam 2. 2. qu. 89. art. 9. in solut. ad 3. & Tabiennam in Summ. Nouiori verb. *Iurare*, q. 20. nu. 21. Nauar. lib. 1. Concil. no. 4. tit. de Iureiurando, & alij Neoterici doctissimi. Num autẽ regularis possit dicta quinque vota absolutè facta commutare, inferiùs examinabitur, cùm agetur de dispensatione eorumdem.

Denique quantum ad vltimam partem attinet, probatur ex eo quòd huiusmodi iuramenta non sunt vota absoluta: & ita tenent Medina & Ledesma præclyati, Aragon 2. 2. quæst. 88. art. 12. Emanuel. Sa verb. *Voti irritatio*, nu. 11. Sanches citans plurimos lib. 8. de Matrim. disp. 10. nu. 8. & 13. & in Summ. lib. 4. cap. 14. nu. 90. vbi 91. & loquitur de dispensatione votorum, Layman. in Theolog. morali lib. 4. tract. 1. cap. 8. nu. 10. Diana 2. part. tract. 4. resolut. 24. Hæc autem facultas confessarij extenditur ad cuiuslibet diœcesis pœnitentes, vt inferiùs videbitur; & in hoc præcellet facultatem Episcopi, quæ non extenditur ad alios aliorum Episcopatuum pœnitentes, sed tantùm ad illos, qui sunt suæ diœcesis. Sic sentiunt Henriq. antea citatus. §. 5. & 6. Roderic. tom. 1. qu. 63. art. 3. & in explic. Cruciatæ §. 4. num. 144. Sanch. loquens de dispensat. cum aliis viris doctis lib. 4. Summ. cap. 43. nu. 14. & Villalobos.

Aduertas velim, quòd confessarius regularis commutans vota ex priuilegiis, potest illa in minora opera commutare. Sic Medina in Summ. lib. 1. cap. 14. §. 7. reg. 3. Lessius lib. 3. de Iustit. cap. 40. dub. 16. nu. 109. Diana tract. 5. Miscell. resolut. 25. & alij.

PROPOSITIO II.

Confessarius Regularis potest dispensare in prædictis omnibus votis, etiam iuratis, ac etiam in iuramẽtis absolutis de materia quinque votorũ, communiter exceptorum; ac denique aliquando in prædictis quinque votis.

Quòd hanc facultatẽ non habeat regularis in vi Iubilæi, Cruciatæ & ante dicti priuilegij Pauli tertij certum est: sicut etiam quòd nõ possit vota sæcu'ariũ irritare, cùm

irritatio huiusmodi fit actus dominij, & non iurisdictionis, quâ solùm, vt delegatas & non ordinaria circa sæculares pollent, non autem dominio. Quocirca aliundè probanda est propositionis 1. pars, ac 1. ex Innoc. VIII. concessione quæ habetur Compend. priuileg. Mendic. verb. *Dispensat.* n. 16. his terminis: *Innocentius VIII. concessit, quòd confessores Ordinis Minorum Obseruantiæ præsentatis, secundum formam quam ipse tradidit, vel approbauit* (id est debitè præsentatis) *possint dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationis vltra duas dietas.* probatur 2. ex proximè citata Eugenij IV. concessione facta Benedictinis bulla quę incipit, *Et si quaslibet personas*, his verbis: *insuper & vota omnia permutare, ac in omnibus & singulis casibus etiam ordinariis, aut per synodales, vel prouinciales constitutiones reseruatis, eum sibi confessis dispensare, præter eas censuras, & pœnas, vota & casus, de quibus esset meritò Sedes Apostolica consulenda.* Probatur 3. ex Martini V. concessione facta Benedictinis, quæ habetur in Compend. Societ. Iesu verbo, *Dispensare*, §. 10. in quibus horum duorum vltimorum Pontificum concessionibus non habetur illa restrictio, *Ad peregrinationem vltra duas dietas*, & sic absolutè tenet Suares tom. 1. quæst. 65. art. 3. & Martin. à S. Ioseph. in Compend. facult. confess. regularis. verb. *Dispens.*

Quoad verò alteram partem probatur propositio tum de iuramentis in confirmationem votorum emissis, tum de eisdem independentibus à votis; nam etsi duo sint vincula diuersæ speciei, at in ordine ad commutationem, & dispensationem reputantur quasi vnum, & idem, & eiusdem rationis: nec vnum addit alteri nouam grauitatem intensiuam: ac etiam quia sublato vno vinculo, tollitur indirectè aliud vinculum absque noua dispensatione. Sic citatus Suares adducens in suam sententiam aliquos doctos viros, Eman. Sa in Summa verb. *Votum*, 6. Lessius in lib. 2. de Iustit. cap. 4. dub. 11. Rodetic. tom. 1. quæst. 63. artic. & in explicat. bullæ Cruciat. §. 9. num. 36. Et valde probabilem existimat Sanches lib. 4. Summ. cap. 53. num. 19. cum aliis doctis viris. Ex quibus etiam colligi videtur posse regularem in iuramentis soli Deo factis dispensare, quoniam vinculum voti, & iuramenti æquiparatur omninò in hoc, quòd tota obligatio & materia vtriusque vinculi ordinatur ad solum Deum, eiusque honorem; habentque eundem modum dispensationis, eundemque finem, & eandem rationem: Sic Suares lib. 6. de Relig. cap. 14. num. 578. Sanches lib. 8. de Matrim. disput. 2. 18. & alij.

Nunc probanda est tertia propositionis pars; quoniam sola vota Regulari sunt reseruata, & licèt iuramenta & vota in ratione æquiparentur; non tamen quoad reseruationem, ita vt si vota reseruantur, etiam iuramenta sint reseruata. Sic tenent Petrus Ledesma tract. 11. de iuram. 2. part. cap. 4. num. 4. cum D. Thom. 2. 2. quæst. art. 9. in solut. ad 3. Tabienna in summa nouiori, verb. *Iurare*, quæst. 20. nu. 21. Nauarr. lib. 2. Consil. in priori edit. Concil. 1. num. 4. tit. de Iureiurando & aliqui Neoterici doctissimi: Potest autem à fortiori dispensare illa iuramenta absoluta, si sint de votis pœnalibus, aut conditionalibus. Sic citatus Ledesma, & Sanches lib. 3. Summę cap. 19. num. 6. qui loquitur de votis ante, & post conditionem impletam: sic etiam Martin. à S. Iosepho in Compend. facult. confess. sæcular. verb. *Dispens.* num. 8. & alij.

Denique vltima pars propositionis, quæ intelligenda est, quando magnum periculum incontinentiæ, aut scandali, aut damni tertij ex mora imminet, probatur; quoniam confessarius regularis eandem facultatem habet dispensandi in votis, quam habent Episcopi ex concessionibus superiùs relatis, in quibus ei conceditur facultas dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi: At hi possunt in illis dispensare: ergo & confessarius regularis id similiter potest. Secunda propositio huius syllogismi probatur; quoniam Papa non vult suam reseruationem esse in euersionem, sed in ædificationem animarum: esset autem, si instante illa necessitate, Episcopis non permitteret vsum suæ facultatis ordinariæ in subditos. Et sic absolutè tenent Cardinalis & Antonius de Butr. in cap. *Veniens*, §. *Qui clerici, vel vouentes*, Angelus verb. *Votum*, 4. nu. 9. Siluester verb. *Votum*, 4. quæst. 4. & verb. *Dispensatio*, nu. 11. Nauarr. cap. 12. nu. 59. & 76. Sotus lib. 1. de Iustit. quæst. & artic. vltimis, Sanches lib. 8. de Matrim. disput. 9. num. 22. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 4. de Voto. dub.

dub. 18. & alij: & hi quinque vltimi, & aliqui alij hanc sententiam tenent cum moderatione, videlicet, si vel ob paupertatem, aut ob aliam causam nō sit facilis aditus ad Papam, aut ad eius Legatum, qui ordinariè nō habet hanc facultatem; ergo cùm constet hanc facultatem inesse Episcopis, vt inter alios tenet Suares de Relig. tom. 3. lib. cap. 18. eadem potitur confessarius regularis; cùm pari iure gaudeat ex priuilegio: & ita tenent Casarub. in dicto Compend. Lessius citatus num. 134. Henriq. de Indulg. cap. 28. num. 6. qui lit. Q. refert multos hanc sententiam sustinentes, Corduba in annotat. ad idem Compend. verb. *Dispensatio*, §. ib. & verb. *Absolutio quoad Saculares*, 1. §. 12. qui etiam dicit, præsentationē confessario regulari requisitam ab Innocentio ad illam facultatem possidendam, esse illam Clementinæ *Dudùm*. Hanc etiam facultatem concessam tacitè fatetur Sorbus eod. cit. Comp. verb. *Dispensatio*.

Num autem possit illa vota communitare? certum est, posse ex dictis in tract. de Facult. Prælat. ad dispensand. subditos in votis; nam quoties conceditur facultas ad dispensandum, censetur facultas concessa ad commutandum. Atque hæc facultas dispensandi non arctatur ad fideles huius aut illius diœcesis; sed ad omnes cuiuslibet diœcesis, vt superiùs dictum est: & ita tenent Sanches lib. 4. Summ. cap. 43. nu. 15. Portel. verb. *Confessor dispensans cum contingatis*, num. 12. Diana tract. 5. Miscell. resolut. 25. Maiorem autem hac facultatē possidet in Terris infidelium & hæreticorum existens, cùm gaudeat priuilegio dispensandi in omni voto castitatis, & religionis; si necessitas aut vtilitas conuersionis animarum hominum in illis partibus existentium exegerit, ex concess. Clement. VIII. quæ incipit, *Dominici gregis cura*, facta Carmelitanis Excalceatis: & sic tenet Thomas à Iesu lib. 12. de Procurand. salut. omn. gent. verb. *Dispens.* illam concessionem integram referens.

PROPOSITIO III.

CONfessarius Regularis habens à suo Prouinciali licentiam, vel à superiore locali, potest dispensare in certis casibus in foro conscientiæ super impedimento ad petendum debitum coniugale, propter incestum post consummatum matrimonium, incurso. Ac etiam super impedimento ab illis contracto, qui voto castitatis, vel Religionis emisso, matrimonium inierunt.

Constat hæc veritas quoad primam partē ex Pij V. concessione, viuæ vocis oraculo, in fauorem Minorū emanata, inserta in Bullario in fine Bullarum eiusdem Pontificis nn. 9. sub datis 27. Aprilis 1589. Sicque existimant Rodericus tom. 1. QQ. RR. quæst. 63. artic. 9. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 26. num. 6. Ioann. de la Cruz lib. 2. de Stat. Relig. cap. 6. dub. 9. & alij. Illa autem facultas facta confessario à suo Prouinciali, est perpetua: ratio est, quia non datur ab illo, sed à Papa: at licentia Papæ nunquam expirat: fuit verò ibi Prouincialis quasi minister declarans, vel designans, cum cui Papa illam concessit, eo modo quo designat confessores pro sæcularibus, quibus non dat iurisdictionem, sed solus Papa. Sic Portel. verb. *Confessor erga sæculares*, & verb. *Prælati potestas*: Sanches cum cæteris, quos citat lib. 8. de Matrim. disp. 28. nu. 77. & seqq. & alij. Quocirca Prouincialis non potest illam semel concessam absque iusta causa, nisi iniuriosè reuocare; vt etiam tenent citati Roder. quæst. 17. art. 2. Portel. Diana tract. 2. de Dub. regular. resol. 14. & Martin. à S. Ioseph. in Compend. facult. confessar. nu. 14. verb. *Dispensatio*.

Aduerto insuper, Prælatos locales posse Fratribus sibi subditis in suis Conuentibus, & non extra existentibus hanc facultatē concedere, ad nutum amouibilem, ex concess. Iulij II. sic limitata, Benedictinis facta, de qua Ioan. de la Cruz in Epitome li. 2. c. 7. dub. 9. conclu. qui refert priuilegium ad literam: sic etiam Henriq. cap. 20. citatus; non tamen ita specificè: & hæc sententia de confessario deputato à suo prouinciali, & superiore locali certissima est. Non reticebo tamen aliam sententiā esse probabilem, quæ asserit confessarium regularē ab illis non deputatem posse in hoc impedimento dispensare, quod iuxtà Sanchem & alios non incurritur, nisi sciatur. Sic docet Peregrinus in Comp. priuil. part. 1. tit. *Disp.* §. 8. & Sairus in Claui Reg. lib. 6. cap. 11. nu. 98.

Superest nunc secundam propositionis partem probare, quod fiet ex concessione Pij V. inter viuæ vocis oracula, §. duodecimo, in fauorem etiam Minorum emanato, his verbis: *Concessit ministris Prouincialibus vt possint committere confessoribus approbatis iuxtà Concily Trident. decretum, authoritatem dispensandi cum his, qui ante matrimonium vouerunt, castitatem, vt licitè possint petere debitum, & hoc in foro conscientiæ tantùm.* Atque hæc veritas intelligenda est, quòd possit dispensare vt rarum consummet, & vt post consummatum, petat debitum. Sic Sanches in Summ. lib. 4. cap. 43. num. 11. citatus, Sayr. num. 104. & Porrel. Illam etiam docet Vega tom. 2. cap. 119. cas. 118. puncto 2. qua facultate regularis vti potest non solum in locis in quibus reuocationes orac. viuæ vocis non fuerunt intimatæ, sed etiam vbi intimatę fuerunt, cum ea Episcopus polleat, ac sic tenent præcitati.

Aduerte pro huius propositionis corollario, Roffensem virum magnæ sanctitatis & doctrinæ, qui pro fide catholica gladiis impiorum occubuit, in libello qui inscribitur, *De causa Matrimony*, in principio affirmare, Leonem X. Augustinianis per totum Orbem existentibus concessisse per bullam, *vt cum his qui in primo gradu affinitatis scienter vel ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in iudicium productum, dispensare valeant; vt de nouo contrahant, & in eodem item matrimonio contracto maneant, prole etiam legitima.* Hæc Roffensis; de quo priuilegio non auderem dubitare propter viri eminentis sanctitatis, & doctrinæ testimonium.

Nec obstat 1. quòd non sit in vsu, quoniam præter quod non constat de hoc non vsu; cùm versetur circa occulta, quæ solis confessario, & pœnitenti sunt nota, probauimus in tract. de Priuileg. in comm. priuilegia non amitti per non vsum. Non obstat 2. quòd Episcopi ea facultate careant, cùm constet regulares in quibusdam casibus, priuilegiis aliquibus potiri, quibus Episcopi minimè gaudent, vt in casu percussionis Clerici, & aliis.

PROPOSITIO V.

POtest dictus Confessarius habens facultatem à suo Prouinciali dispensare super impedimento petendi debitum, contracto à patre, aut matre, baptisante filium, aut filiam priuatim in necessitate, aut sine illa, vel patrini munere in eodem fungente: potestque in omnibus illis, & aliis in propositionibus præcedentibus contentis, extra sacramentum Pœnitentiæ dispensare & commutare.

Hæc propositio quoad primam partem sustinetur à Roderico in addit. ad Cruciat. §. 9. num. 16. Villalob. 1. p. Sum. tract. 13. diffic. 51. num. 3. qui extendunt concessionem Pij V. superiùs positam, ad cognationem spiritualem. Verùm si benè res consideretur, hęc dispensatio non requiritur; quia illud impedimentum non contrahitur illis actibus; nulla enim in iure pœna super his actibus reperitur imposita, vt colligitur ex gloss. cap. *Si vir*, de cognat. spirit. verb. *Delict.* & ita tenent Suares in 3. part. quæst. 67. art. 8. §. penult. Conink de Sacram. disp. 34. dub. 8. num. 66. Sanches de Matrim. tom. 2. lib. 7. disput 62. nu. 16. citans Sotum, Roder. & Vegam, nec non Martinus à S. Ioseph. in Compend. facult. Confess. verb. *Dispensare*, nu. 14. Ratio est; quia in iure non contrahitur huiusmodi pœna, nisi per baptismum solemnem, hic autem baptismus est dumtaxat priuatus.

Non potest tamen Confessarius regularis in præceptis Ecclesiæ dispensare; cùm ad hoc non habeat priuilegium; sed quid potest in illis, hoc ex iure communi possidet. Potest tamen aperire literas Pœnitentiariæ directas magistris in Theologia; aut in iure canonico, si sit dispensatus à suo Prouinciali: de qua facultate videas Portel. verb. *Confess.* Quando autem dicitur, quòd potest illas literas aperire; intelligitur etiam, quòd possit illas executioni demandare; non debet tamen illa facultas concedi, nisi valdè doctis. Et hæc facultas societati Iesu à Greg. XIII. concessa habetur B. *Exponi nobis.*

Digitized by Google

Secunda pars propositionis colligitur ex dictis priuilegijs, quæ absolutè loquuntur absque restrictione ad confessionem: & ita tenent Tambur. de Iure Abbat. tom. 2. disput. 19. quæst. 2. num. 5. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 6. & in Selectis, disput. 14. num. 2. Laiman in Theolog. Moral. lib. 4. tract. 6. cap. 10. num. 11. Sanches in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 16. & cap. 43. num. 17. cum Suario, quem citat Villalob. in Sum. tom. 1. tract. 34. diffic. 29. num. 7. Diana tract. 2. de Dubiis Reg. resolut. 4. Aloisius Batiola in Aphoris. lit. R. verb. *Votum*. Et hæc propositio vera est, etiamsi in dictis priuilegiis ponatur ablatiuus *Confessionibus auditis*, vt alibi diximus, & ipse Diana affirmat in tract. 4. Miscel. resolut. 8. Porrel. proximè citatus num. 13. qui etiam num. 14. existimat, posse per literas pœnitentem absentem dispensare.



CAPVT VI.

DE CONFESSARII REGVLARIS FACVLTATIBVS IN ORDINE AD CONFESSIONES

Regularium audiendas.

EGIMVS de Confessario Regulari, eiusque facultatibus in ordine ad sæculares; nunc autem agendum est de eodem confessario in ordine ad Regulares & Moniales, de quo non erit longa disputatio; quoniam vnaquæque Religio suas habet constitutiones speciales, quibus regitur; quocirca fiet satis, si pauca, quæ ad omnes penitùs Regulares spectant, in medium proferamus. Sit ergo.

PROPOSITIO I.

CONfessarius Regularis ad audiendas Regularium confessiones, sola dumtaxat Ordinarij regularis, non autem Episcopi approbatione indiget: potestque omnes Fratres sui Ordinis, etiam alienæ Prouinciæ audire: eosque à peccatis mortalibus, non reseruatis absoluere.

Prima pars huius propositionis est manifesta; eamque tenet Portel. verb. *Confessor, erga Relig.* num. 10. & alij.

Secunda probatur ex bulla Pauli III. sæpiùs in præcedentibus adducta; & confirmatur ex more & consuetudine Fratrum Minorum per Pontifices, & maximè per Bonifacium VIII. admissa: vt constat ex constitutionibus eiusdem Ordinis, & ex Roder. in explicat Cruciatæ, §. 9. n. 22. Ac sic tenet etiam Martin. à S. Iosepho in Compend. facultat. confess. § 1. & Portel. eodem citato loco num. 11. Quæ doctrina intelligenda est cum hac restrictione, videlicet, dummodò statutum alicuius Prouinciæ illius Ordinis vsum illius facultatis non vetet, quia tunc essent huiusmodi

confeſſiones inualidæ. Hoc autem priuilegio poſſunt alij regulares gaudere, dummodò etiam ſuis conſtitutionibus non prohibeantur, vel niſi ſuperior repugnet; quoniam Pontifices in ſuis conſtitutionibus nunquam derogant ſtatutis Regularibus, quæ ignorant, cap. *Ex parte*, de Foro compet. & Silueſt. verb. *Confeſſor*, 3. nu. 6. & Ioan. de la Cruz in Epitome lib. 2. cap. 2. dub. 3. Quod ſimiliter exiſtimandum eſt de eodem confeſſario erga Nouitios; quoniam in fauorabilibus Nouitij participant in priuilegiis Profeſſorum, vt dictum eſt in tract. de Priuileg. & praxis docet, & tenet Ioan. de la Cruz in Epit. lib. 2. cap. 6. dub. 10.

Aduerte autem, quòd quilibet confeſſarius ſiue ſæcularis ſit, ſiue regularis, eſt idoneus ad confeſſiones audiendas Regularis itinerantis, etiamſi ab Ordinario non ſit approbatus; vt tenent idem Ioan. de la Cruz in dicto Epit. priuileg. lib. 1. cap. 6. §. *Nota idoneum*, Vega Minimus in Summ. 1. parte verb. *Confeſſor*. caſ. 2. Suares de Pœnit. diſput. 28. ſect. num. 5. dummodò accedat licentia Superioris. Hoc tamen fallit in Ordine Minorum quoad ſuperiores locales, qui non poſſunt nominare confeſſarios, illoſque approbare, cùm hoc ad Generalem, aut Prouincialem ſpectet; ita vt ſemper requiratur in huiuſmodi confeſſario, ſi ſit Sæcularis, Ordinarij approbatio; ſi autem regularis exiſtat, ſui etiam Prælati approbatio eſt neceſſaria, vt poſſint à Prælatis localibus, illi confiteri; Niſi praxis ita haberer in aliqua Prouincia; tunc enim cenſendum eſſet, Generalem, aut Prouincialem hanc facultatem concedere, quoties ſuperior localis iter ſubdito præcipit: ſic Portel. citatus num. 14.

Dixi in propoſitione prædictum confeſſarium illa facultate gaudere, dummodò in ordine non ſint reſeruatæ; quoniam nullus poteſt regularem ſibi aut alterius ordinis à reſeruatis in illo ordine, abſoluere abſque ſuperioris Regularis abſoluendi obtenta facultate, & optimè cum aliis notant Caſarubius vt & Corduba in compend. priuileg. Mendic. verb. *Abſolutio extraordin. quoad fratres*, qui duas deciſiones capituli generalis Minorum quoad hoc adducunt: quocirca fallitur Diana cum Suario, quem citat reſolut. 126. tract. de dub. regular. dum contrarium in vi cuiuſdam priuilegij ſuſtinent. Nam nullum priuilegium extat niſi Sixti IV. & Leonis X. quorum primus illud reuocauit B. *Pro noſtra in ſacrum ordinem*, & idemmet Leo, vt notant etiam præcitati: quod ſimiliter etiam ſucceſſiuè fecerunt Clem. VIII. B. *Romani Pontifices*, 1599. & Vrbanus VIII. 1630. in ſua bulla quæ habetur tom. 4. Bullarij. Prædictam Clementis bullam innouans, vt refert Archang. Roman. in addit. ad priuileg. pag. 12. qui huius noſtræ eſt ſententiæ.

PROPOSITIO II.

CONfeſſarius Regularis poteſt, quoties opus fuerit, abſoluere alios Regulares ſui Ordinis, ab omnibus cenſuris Sedi Apoſtolicę reſeruatis: necnon etiam in pœnis eidem Sedi reſeruatis ex eiſdem cenſuris reſultantibus diſpenſare.

Hæc veritas ex multis Pontificum conceſſionibus, Ordinibus ſingulis factis, probati poſſet; quarum quaſdam dumtaxat adducemus. 1. Conceſſionem Monialibus S. Claræ in qua Regulares communicant à Nicolao V. datam, bulla quæ incipit, *Digna reddimur attentione*, his verbis, *Quódque confeſſor Monialium, ſeu Sororum huiuſmodi, vel alius Frater eiuſdem Ordinis ad hoc per Vicarium Prouincia huiuſmodi pro tempore deputatus, in omnibus, & per omnia iuxtà formam & tenorem priuilegiorum; & conceſſionum eiſdem Monialibus, quoad ipſarum perſonas de ſuper à Sede prædicta, ſeu aliàs quomodolibet conceſſarum, in omnibus, præterquam dicta Sedi caſibus reſeruatis, quoties fuerit opportunum, necnon ipſarum ſeruitrices, ſi id petierint humiliter, ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quibus pro tempore innodatæ fuerint, in forma Eccleſia conſueta abſoluere poſſint.* Verùm cùm hæc conceſſio pauca impartiatur confeſſario quoad abſolutionem & diſ-

pensationem, requiratque in eodem deputationem confessarij à vicario, seu ministro generali faciendam.

Ideò secundo pono alias concessiones, primam factam Societati Iesu à Paulo III. relatam in eiusdem priuilegiis pag. 20. de qua in cap. præcedenti. Secundam à Gregorio XIV. Clericis regularibus infirmis ministrantibus, per bullam in eorumdem priuilegiis pag. 10. & seqq. contentam. Tertiam à Clemente VIII. Congregationi S. Mariæ in Portitu Lucen. vt est in eius constitutionibus fol. 1. Quibus concessionibus fit facultas confessario ad audiendas illorum regularium confessiones, deputato, vt possit eos absoluere à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis: & à quibuscumque sententiis, & censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ex illis resultantibus, iis exceptis, quæ in bulla Cœnæ Domini continentur; & casibus superioribus illorum reseruatis: sic Marcell. à S. Bened. verb. *Absolutio quoad Monachos.* §. 1. in quibus videre est, absolutam facultatem factam regulari confessario, ad absoluendos alios regulares sui Ordinis, exceptis bullæ Cœnæ casibus, & in Ordine reseruatis: quæ exceptio non est vera quoad illos bullæ Cœnæ, in locis in quibus non est recepta, vt aliàs probatum est in materia simili, & in 1. tract. de priuil. in comm. Quod etiam confirmatur ex dictis in præcedentibus, in quibus ostendimus, eam facultatem quam habet confessarius in seculares, extendi ad regulares pœnitentes, si eorum statuta non prohibeant.

Tertiò affero Sixti IV. concessionem factam Monialibus S. Claræ, quâ fit illis facultas, vt possint, quoties opus fuerit, à peccatis & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis per suos confessores absolui: quæ refertur in Monum. Ordin. in prima impressione, fol. 43. & in secunda fol. eodem concess. 48. vt refert Martin. à S. Ioseph. in explicatione Bullæ inchoatæ, *Inspecula*, in qua cùm nullius censuræ fiat exceptio, nec per bullæ Cœnæ publicationem abrogentur priuilegia, vt alibi probatum est, poterit confessarius regularis alios regulares ab illis in foro interiori absoluere. Accedit quòd potest sæculares ab illis absoluere; ergo & regulares; cùm nulla ratio disparitatis appareat.

Quartò adduco concessiones particulares, specialiter Fratrum Minorum, confessario regulari factas, quas legere quis poterit in compend. priuileg. Mendicant. sicut & multas alias factas aliis regularibus; ac primò illas concessiones in quibus datur facultas, quater in anno diebus à pœnitentibus eligendis; & semel in vita; & semel etiam in articulo mortis, atque etiam diebus S. Catharinæ virg. & Mart. ac festiuis Christi, & B. Virginis: & specialiter ex Sixti IV. concessione, in die Natiuitatis eiusdem Virginis, in quo pœnitentes Regulares, confessarius Regularis à supradictis cum peccatorum plenaria remissione absoluere potest, eodem modo quo Leo X. illam facultatem in die S. Catharinæ concessit. De qua concessione agit Casarubius in compend. prædicto priuileg. Mendic. *Absolutio extraordin. quoad Fratres*, nu. 12. quam Christoph. à cap. font. in compend. Minor. eodem verb. §. 9. notat esse viuæ vocis orat. emanatam: eam etiam refert. Compend. Cisterciens. verb. *Indulg.* 5. & Martinus à S. Iosepho in declaratione Breuis Vrbani VIII. quod incipit, *Inspecula*. Sub finem.

Potest etiam illos eò modo absoluere & bulla Leonis X. inchoata *dum præcelsa* in diebus Domini, in diebus sanctorum Petri & Domini Sabbaot, B. Mariæ Virginis, necnon in diebus SS. Petri & Pauli, Francisci Assisiatis, & totius Hebdomadæ sanctæ, ex consensu sui Prælati, qui semper habetur in Ordine eorumdem Minorum; dummodò pœnitentes non habeant peccatum in eodem ordine reseruatum; vt declarauit Franciscus de Angelis Generalis eiusdem Ordinis, teste Corduba, super Compend. verb. *Absolutio extraord. quoad Fratres.* Et sic docent Roder. tom. 1. QQ. RR. qu. 62. art. 11. & Martin. proximè citatos. Videant alij regulares quas facultates speciales quoad hoc possideant, & sciant se in præmissis communicare.

Quoad vero 2. partem probatur ex præcedentibus concessionibus, in quibus habetur expressè facultas absoluendi à pœnis resultantibus ex censuris, & à pœnis Sedi Apostolicæ minimè reseruatis; magis autem ex dicta concessione Monialibus S. Claræ data, in qua absolutè conceditur facultas dispensandi in pœnis Sedi Apostolicæ reseruatis; quæ cùm absoluta sit, & vniuersalis, absolutè & vniuersaliter est in-

S s iij

Digitized by Google

telligenda; ac propterea extendenda non solùm ad pœnas ex censuris resultantes, sed etiam ad alias. Nam ex alijs priuilegijs illos, ac etiam Nouitios habentes animum profitendi, semel auditis eorumdem confessionibus super omni irregularitate (Bigamiæ, Homicidij voluntarij, & Mutilationis membri exceptis) dispensare potest, de qua Roderic. qui eiusdem est sententiæ t. tom. QQ. RR. quæst. 62. art. 12. & Martin. in Compend. facult. Confess. frat. num. 10. Imò ex Eugen. IV. potest illos dispensare toties, quoties super omni irregularitate quam ignoranter incurrerint, aut inaduertenter in excommunicationem lapsi celebrauerint, vt tenent præcitati: quòd priuilegium non censendum est tale, sed ordinariæ potestatis confessarij declaratio.

PROPOSITIO III.

Confessarius Regularis cuiusuis Ordinis quemlibet pœnitentem regularem alterius Ordinis, à prædictis censuris absoluere potest, & super pœnis eisdem dispensare; nisi obstent priuilegia aut statuta Ordinis illius pœnitentis.

Hæc propositio in parte probata fuit superiùs in cap. 2. & in propositione hac militat eadem ratio, quæ in probatione præcedentis adducta fuit. Probatur autem vlteriùs ex concessione sæpius citata Pauli III. in qua casus Bullæ Cœnæ ab hac facultate, confessario prædicto concessa, dumtaxat excluduntur: & potestas confessario regulari absolutè traditur ad absoluendum, & dispensandum in omnes vtriusque sexus fideles. Sub quibus terminis regulares etiam comprehenduntur, vt in tract. de priuileg. in comm. assertum est: & tenet citatus alibi Suares cum alijs. Quoad verò secundam partem probatur propositio; quoniam Papa, (vt alibi dictum est, non confert aliquam facultatem ad absoluendas personas regulares cum præiudicio instituti regularis, & priuilegiorum eiusdem, nisi id exprimat: Esset autem in præiudicium instituti regularis, &c. si confessarius alieni Ordinis haberet hanc facultatem; nam sic vana, & inutilis Ordinis constitutio existeret. Vtrum autem facultas regulari itineranti fiat à superiori, dum iter agit, vt à reseruatis in Ordine absoluatur, est valdè dubium: Suares tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 19. post deductas hinc inde rationes, affert Innocentij VIII. concessionem inferram in compend. Cisterciens. verb. Confessor, q. 15. quæ dat Prædicatoribus Monachis facultatem, *vt extra Monasterium existentes de licentia Superiorum cuicumque regulari, seu sæculari Sacerdoti confiteri possint: & à quocumque casu quomodocumque reseruato absolui, sicut à confessariis Ordinis*: quæ concessio redditur dubia ex verbis in ea contentis. Nam 1. ignoratur ad quem referatur verba illa *de licentia superiorum*: si enim ad subsequentia, non est priuilegium; nam de licentia eorumdem superiorum possunt cuilibet sacerdoti, etiam sæculari, confiteri; vt diximus in tract. de Hierarch. cap. de facult. Prælat. ad absol. & sic hoc concessio non esset speciale quoad hoc priuilegium: si autem prædicta verba coniungantur cum præcedentibus, est quidem priuilegium; sed omnis vis illius tollitur per verba sequentia, videlicet, *sicut à confessariis Ordinis*, qui non possunt ab illis absoluere, nisi de licentia Prælati regularis. Quocirca cùm priuilegium ad hoc non extet, ipsemet Suares loco citato arbitratur, recurrendum esse ad regulam, vel consuetudinem Religionis, aut ad ordinationem Prælatorum: quòd si de ijs non satis constiterit; quia fortasse solet peti facultas à superiore, si contingat aliquem ex obliuione naturali discedere, non petita facultate, credendum est implicitè esse concessam à superiore in ipsa facultate peregrinandi, saluo postea onere se præsentandi superiori; cuius sententia rationibus non caret. Nam 1. qui vnum concedit, virtute concedit aliud, quod moraliter necessarium est ad illud conuenienter exercendum. 2. Quia vniuersalis consuetudo ita videtur interpretari voluntatem Prælatorum. 3. Quia periculosum esset cogere religiosum, qui fortasse ex fragilitate peccauerit, vt per mul-

tos dies absque Sacramenti confessione permaneat, & sine ea Missam celebret. Hæc tamen doctrina, si vera est, intelligenda est de Prælato, qui potest illam facultatem iter agenti dare, vt sunt in Ordine Minorum de Obseruantia Generales & prouinciales; prælati verò locales id nõ possunt; cùm illorum facultas non extendatur, nisi ad casus occurrentes; nec possint illam habitualiter dare: ac consequenti non possit inferior iter agens ex illorum obedientia, eam præsumere ab illis concessam. Ex sic quoad facultatẽ recipiendi absolutionem à reseruatis, absolutè tenet peregrin. in Compend. priuileg. tom. 1. verb. *Absolutio quoad Fratres*, §. 2. in scholio, Alphons. de Leone de Offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 2. num. 31.

Ex conclusis in hac materia constat, quòd idem Confessarius potest dispensare, & communitare vota regularium: sicut & sæcularium, siue illi regulares sint sui Ordinis, siue alieni; nisi vel suis, vel alieni Ordinis constitutionibus prohibeantur: quod similiter de irregularitatibus est asserendum.

Aduerte autem, sub finem huius capitis, 1. Confessorem præmemoratum, necnon etiam sæcularem, posse absoluere Nouitium etiam à casibus, in illo Ordine in quo probationem fecit, reseruatis: ratio est; quia Nouitius ante probationẽ est ad instar sæcularis quoad confessionẽ; & ideò si confiteatur eum approbato ab Ordinario, valet confessio: sic Diana tract. 2. de Dub. Regul. resolut. 4. cum ingenti multitudine doctorum quos citat. Si autem Confessarius a superiore suo ad audiendas confessiones in domo regulari deputatus, possit audire confessionẽ professi sub cura magistri Nouitiorum existentis: legatur citatus Diana resolu. 5.

2. Esse sententiam probabilem, Confessarium Regularium, & quemcumque alium siue Sacerdotem, siue Clericum, aut laicum non incurrere irregularitatem ex homicidio ex defectu lenitatis, ob conentsum ad illud, nisi sit Minister iustitiæ. Sic Diana tract. Miscellan. resolut. 15. in addit. & tract. 5. Miscell. resolut. 79. & 80. citans Vasquesium, Torrianum & Gaspar Hurtado qui etiam in 5. part. in addit. tract. 5. resolut. 46. citans Cœlestinum in Compend. Theolog. Moralis tract. 4. cap. 5. q. 1. eiusdem est sententiæ, vnde qui interrogatus à iudice, si est obligatur damnare reum ad mortem, & respondeat quòd sic, non fit irregularis: nec qui vendit, aut donat ligna ad comburendos reos viuos, nec qui gladios, & funes, & furcam facit, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes: nec confessarius consulens pœnitenti, iudici, & cuilibet alio in casu particulari, vt concurrant, & citò ad interfectionem delinquentis: nec quiuis alius, qui accelerat mortem. Nec denique confessarius, aut quilibet alius qui cum debita cautela vertit ægrorum, aut aliquid simile agit, vnde citius moritur: & quoad hunc casum citat, præter allegatos, octo alios graues auctores dicta resolut. 79.

Quæres hic num Regularis sacerdos possit absoluere Monialem à censuris & peccatis à quibus absoluere potest alios regulares, si superior, earumdẽ sæcularis aut regularis prohibuerit ne regulari confiteantur? Respondetur primo quod si contra Regulam aut constitutiones earumdẽ hanc prohibitionem facerit, possunt hac nonobstante Moniales regulari confiteri: ipseque eas absoluere; quoniam prohibitio huiusmodi est nulla & in iure quasi non apposita. Respondetur secundo quod si Regulę earumdem constitutiones non dent illis hanc facultatem, sed prohibeant, non potest regularis earumdem confessiones audire. Respondetur tertio quod si regula & constitutiones earumdem, non prohibeant, nec dent libertatem Monialibus confitendi Regulari confessario, possunt si voluerint, etiam prohibente earumdem superiore, confiteri eidem regulari confessario; ratio est; quoniam ipse habet facultatem à Papa earum confessiones audiendi, & à peccati eas absoluendi, quę à superiore earumdem restringi non potest: nec impediri, vt in primo tractatu vniuersaliter de Priuilegiis probatum est. Quod ita verum est, vt si non sit aliqua noua specialis constitutio Pontificia. Illud vetans & Moniales regulari confiteri, & regularis illas audire licitè & validè poterunt. Quæ responsio vltima, licet sequatur ex Priuilegij regulari confessario concessis, attamen contrarium in praxi est sequendum; quoniam non est credendum pontifices concessisse Priuilegium vni Ordini regulari cum præiudicio prælatorum alterius Ordinis, vt docent Siluester verb. confessio. Armilla verb. absolutio & Archang. Roman. li. 3. Priuileg. verb. confessario & vltimus ho-

rum cum alij quibusdam excipit pœnitentiarios Papæ, qui contradicentibus earumdem prelatis, eas confiteri & absoluere possunt; cæteri autem prohibente superiore earumdem id non possunt; cum id expressè prohibeatur Bulla Clementis VIII. quæ incipit *Romani Pontificis*, & alia Bulla Vrbani VIII. cuius initium *in specula*.

PROPOSITIO IV.

Confessarius Monialium Regularibus subditarum, independenter ab Ordinariis, earumdemque examine, instituitur; potiturque eisdem facultatibus in easdem, quibus Confessarius Regularis in Regulares.

Hæc veritas, quoad primam partem probatur; quoniam cùm Moniales sint ab Ordinariorum iurisdictione exemptæ, ab illo quoque actu iurisdictionis exemptæ sunt, ad eum pertinente, qui in ipsas plena iurisdictione lætatur; sed nullus ea potitur, nisi earumdem Prælatus: ergo non potest ab Ordinarijs huiusmodi confessarius institui. Sed à Prælato, & quoad hoc nulla apparet difficultas; sed tantùm quoad examen, quod tamen ad eos nulla tenùs spectat, determinante Pio V. bulla, *Etsi Mendicantium*, dum sic pronunciat, *Confessores verò Monialium quæ degunt sub cura Regularium ab Ordinario examinari nolumus*.

Varius autem est modus institutionis illius confessarij pro diuersitate constitutionum cuiuslibet Ordinis. In Minoritana enim familia, in capitulis & congregationibus prouincialibus à diffinitorio instituitur, amouendus tamen ab eodem diffinitorio: ac etiam cùm opus est, à solo prouinciali Facultates verò illius sunt eædem cum facultatibus confessarij Regularis erga Regulares, eiusque facultates sunt iuris ordinarij: cùm illj ex constitutionibus Ordinis concedantur: ac propterea non possunt illas artare superiores, nisi eisdem à constitutionibus, prædictis concedatur.

Facultates autem illæ multæ sunnt; quædam enim forum animæ dumtaxat respiciunt, aliæ administrationem sacramentorum, aliæ absolutionem à censuris, & dispensationem super pœnis, senetntijs, vocis, & iuramentis: & deuique in earumdem monasteria ingressum. De illis omnibus, excepto prædicto ingressu, nihil occurrit dicendum: quidquid enim dictum est de confessario regulari in regulares, illud etiam dictum habeas de eodem regulari in Moniales; communicat enim hic in priuilegijs cum alio: imo aliquid ampliùs habet in Ordine Minoritarum, vt declarauit Capitulum Generale Albiense, teste Rodetico tom. 1. QQ. RR. qu. 19. art. 2. hoc statuto, *Vniuersi confessores Monialium nostræ familia habeant præsenti decreto semper altinam aucttoritatem Prælatorum super Moniales quoad casus & sententias, habeantque similiter Guardiani, ac Vicarij Guardianorum, in eorum absentia*. Quibus manifestè constat confessarium Monialium habere iure ordinario facultatem absoluendi & dispensandi in casibus, & sententijs in prædicto Ordine reseruatis.

Num autem Moniales illius Ordinis, si Episcopo subjiciantur, possint gaudere huiusmodi absolutione, & dispensatione: Respondetur quòd non, quoniam cùm à iurisdictione Ordinis sint substractæ, illius affectu & gratia gaudere non possunt, quocirca ab Episcopo hæc facultas confessario concedi necesse est, vt ea potiti valeant: supponitur enim, quòd reseruatio in dictis casibus & sententijs semper permaneat; sicut & in dictis Monialibus statuta ab Ordine condita subsistunt alioquin ex mutatione superioris Regularis in sæcularem vel mutatione regularis vnius Ordinis in alium diuersi Ordinis, vniuersus status regularis Monialium mutaretur. Et hoc optimè obseruant Pontifices, dum subtrahunt Moniales à iurisdictione Prælatorum regularium: à solo enim earumdem iurisdictionis exercitio eas subtrahunt, cæteras obligationes, sicut & priuilegia eis relinquendo, vt notaui in rescriptis, quibus Moniales Carmelitanæ Excalceatæ, & sanctæ Catharinæ Regni Galliæ, alijs, à superioribus suorum Ordinum supponuntur. Vnde huiusmodi tum Ordinarij, tum alij in prælatos

Digitized by Google

latos earumdem Monialium sic instituti, non possunt quidquam mutare in earumdem regularibus institutis, nec eas transferre in alia sui Ordinis monasteria sibi subdita, nisi prout in iure constitutum est: & multò minùs possunt easdem in alia alterius Ordinis monasteria transferre; & Monialem diuersi Ordinis alijs Monialibus præficere. Non enim maiore pollent potestate, prælatis eisdem antea præfectis, qui ea omnia in subditas sibi Moniales nullatenùs operari valent. Aduertant autem prædicti confessarij quod sicut parochorum instar facti sunt Monialium parochi: *Quod*, iuxta cap. in decima 18. q. 2. *vt Patres spirituales eis dantur, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint*; ad hæc munera agenda totis viribus intendere debent. Aduertant vtique moniales, quod sicut sæculares alieno sacerdoti, nisi de licentia proprij qui est Papa, aut Episcopus, aut parochus confiteri non possunt sic ipsæ, nisi de licentia proprij confessarij aut Prælati. Sed vt iusta causa exigitur ob quā licentia à subditis petatur confitendi alieno, ita iusta admodū & grauis debet esse causa, vt ea negetur. Debet enim proprius sacerdos vti potestate in ædificationem, non in destructionem, omnibus omnia fieri, omnium infirmitates tolerare, vt omnes faciat saluos, cum infirmis infirmus fieri, vt infirmos lucrifaciat, vt ex ijs, qui ei dati sunt non perdat quempiam, mundus sit à sanguine omnium: & præsertim monialium confessor & prælatus considerare commissas sibi esse fœminas hoc est sexum fragiliorem pudori, verecundiæ, metui, minutisque sæpè causis faciliùs succumbentem. Vnde D. Thomas 4. sentent. distinct. 17. q. 3. art. 3, quęstiunc. 4. Sic disertè loquitur: *Peccaret sacerdos si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt adeò infirmi, qui potius sine confessione morerentur quam tali, vel tali sacerdoti vellent confiteri. Vnde illi, qui sunt nimium solliciti, vt subditorum conscientias norint per confessionem, multis inijciunt damnationis laqueum; & consequenter sibi ipsis.* Ex quo colligere est non rectè facere Prælatos, qui monialibus deputant confessarios, à quibus, etiam sine illorum demerito moniales abhorreant, nisi simul facultatem faciant alieno confitendi: nisi quoque innuant petituris non ægrè concedendam: aut si animaduertant ob reuerentiam non conqueri, vel licentiam; non poscere, eam sponte huiusmodi omninò sæpius offerant.

Et certè necessitatem ita se gerendi erga Moniales Meditati Patres Trident. sess. 25. de Regular. cap. 10. postquam easdem monuerunt singulis saltem mensibus sua peccata confiteri, prælatis earumdem iniunxerunt bis aut ter confessarium extraordinariū iisdem offerre, & ex consequenti confitentibus semel aut bis in hebdomada, eū posse duodecies in anno, & amplius offerre, vt existimat Zypęus in consult. canon li. 3. tit. de regul. consult. nec solum tot vicibus, sed etiam toties quoties iustè petierint, & arbitror. 4. Imò si quas moniales induci nulla ratione possint, vt regularibus sui Ordinis confiteantur Episcopus illis prouidere potest, de confessario extra eumdē assumpto, vt citatus Zypæus cum alijs à S. Cardin. Congreg. refert decisum; quod ego existimo, sanctum & iustum, vt sic saluti monialium debitè prouideatur.

Non putes tamen Abbatissam, aut præfectam monasterij ius habere sibi, aut subditis monialibus eligendi confessarium nisi adhoc à sede Apostolica habeat potestatem sicut quibusdam concessa habetur. Sic Zypæus citatis lib. & tit. consult. 5. vel hoc habeat ex Regula ab eadem sede approbata.

Plura possent hîc congeri de Monialibus, quæ quia ab antiregularibus non impugnantur; ideò ad alium tractatum progredientes, de industria omittimus cum examinata & probata in hoc tractatu sufficiant ad ostendendum quòd confessarius regularis, qui iurisdictionis Pontificiæ Episcopalis, Parochi, & simplicis sacerdotis communicatione pollet, in iurisdictionis Hierarchia; sicut Pontifex, Episcopus, parochus, & simplex sacerdos, saltem ex delegatione constituitur; vnde error antiregularium eumdem ab illa recludentium abundè arguitur & conuincitur.



TRACTATVS VI.

DE PRÆDICATORIBVS REGVLARIBVS, ET EORVMDEM PRIVILEGIIS.

HIRARCHAM essentialiter Pastorem esse, cuius munus est ex officio, pascere Christi gregem; maximè per verbum Dei prædicatum, nemo dubitat. Regulares, prout hic grex solos sæculares complectitur, illius nec Hierarchas, nec Pastores esse omnes norunt: Munus tamen hunc gregem per idem verbum pascendi, sibi concessum esse cum quibusdam circumstantiis, & conditionibus, probabit hic tractatus; ac ex consequenti, quòd sint in Hierarchia iurisdictionis: si priùs quædam preambula aliquibus propositionibus examinata, & digesta, certa constiterint.



CAPVT I.

AD QVEM SPECTET PRÆDICATIONIS Dispensatio; à quo facultatem prædicandi Episcopus recipit; ac si ad illam recipiendam Regularis idoneus existat?

PROPOSITIO I.

DIspensatio Prædicationis in vniuersam Ecclesiam ad Papam spectat, sine cuius auctoritate Episcopus prædicationis munus exercere non potest.

Prima pars huius propositionis probabitur, si priùs monnerimus, quòd à Christo capite deriuata est in membra eius mystica gratia, affectum & voluntatem inflammans, & peccata quæcumque etiam infinita remittens: necnon ab eodem Christo adhuc veritas intellectum illustrans, & viam æternæ vitæ ostendens. De quibus duobus apud Ioann. scribitur, *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Horum autem excellentissimorum bonorum primum absque vllo dubio populo Christiano communicatur per sacramentorum administrationem; nam gratia sacramentalis per legis nouæ sacramenta confertur; vnde nuncupantur *Vasa gratiæ*, sicut dicit Hugo I. libro de Sacram. Secundum verò, videlicet illuminare intellectum, veritatem & viam vitæ illi ostendendo, fit per verbi Dei prædicationem. Collatio autem sacramentorum, quæ respicit corpus Christi, verum vel mysticum, spectat præcipuè ad Ordinis potestatem; quoniam sacramentum Eucharistiæ continens corpus Christi, ad quod cætera sacramenta ordinantur, nonnisi sacerdos, & habens potestatem Ordinis potest conficere, & conferre. At verò verbi Dei prædicatio cùm respiciat corpus Christi mysticum, sine vllo prorsus dubio non ad potestatem Ordinis, sed ad potestatem iurisdictionis pertinere necesse est, vt etiam ex dicendis in capite secundo, proposit. 2. constabit. Quibus positis, prima pars propositionis probatur. Quoniam cùm omnis potestas iurisdictionis à Papa tanquam à fonte in vniuersam Eccle-

siam emanet, ex sequela euidenti potestatem prædicandi ab illo emanare necesse est. Quod confirmatur ratione sequenti deducta ex electione per quam quis in Romanum Pontificem creatur, quâ proculdubio illi potestas iurisdictionis spiritualis in vniuersam Ecclesiam confertur, quam statim potest cuilibet capaci conferre, & ex consequenti prædicandi facultatem concedere, sicut & ipse prædicare valet, si voluerit: non autem sacramenta conferre, si electus nondum fuerit sacerdos; quia potestate Ordinis caret. Ergo potestas prædicandi in Papa non est potestas Ordinis, sed potestas iurisdictionis: ergo etiam dispensatio prædicationis facta in vniuersa Ecclesia, à potestate iurisdictionis Papæ, & non à potestate Ordinis emanat; cùm, vt alibi probatum est, vniuersa iurisdictionis potestas, quę in ecclesia existit; à potestate iurisdictionis Papę procedat.

Secunda pars propositionis est euidens, quoniam potestas prædicandi à potestate iurisdictionis Papæ deriuatur, vt iam probatum est; & sicut omnis iurisdictio Episcopi à Papæ iurisdictione, & ab eiusdem concessione derinatur: sic similiter potestas Episcopi ad prædicandum à potestate dispensatiua prædicationis deriuatur. Quod vt meliùs intelligatur, & obiectiones in contrarium huius veritatis soluantur, sciendum est, quòd prædicare ex officio potest intelligi dupliciter. 1. Quantum ad ipsius officij commissionem. 2. Quantum ad eiusdem officij executionem. Primo modo prædicare posse conuenit omnibus, quibus animarum cura commissa est; vnde eo ipso quòd Episcopi, Archidiaconi, & Presbyteri ad animarum curam assumuntur, ex officio eis conuenit prædicare, quia in munere eis demandato auctoritas docendi, & instruendi animas sibi commissas includitur. Dixi auctoritas docendi, quia in potestate Ordinis, quia quis efficitur Episcopus vel Presbyter, recipitur potestas ligandi, & soluendi, quæ est vna clauis; scientia verò, vt denotat habitum acquisitum, vel infusum, non recipitur, nisi quantum ad auctoritatem; potest enim ex tunc scientiam administrare. Quemadmodum cùm Papa facit aliquem Episcopum, vel Presbyterum, non dat illi licentiam ligandi, licet det illi potestatem ligandi & soluendi; sed dando illi primam potestatem, quâ possit ligare & soluere, dat illi auctoritatem & potestatem prædicandi, & actum scientiæ exercendi ex officio; ergo conuenit Episcopis & Parochis prædicare, Episcopis in suis Diœcesibus, Parochis in suis parochijs. Cùm enim potestas ligandi atque soluendi, & potestas prædicandi, sit quædam potestas spiritualis, quæ semper datur cum aliqua consecratione; & Episcopi & Sacerdotes in consecratione Episcopali & Sacerdotali vtramque potestatem recipiant, Inde fit, vt quantum ad officij commissionem, vel receptionem, Episcopis & Presbyteris conueniat prædicare ex officio.

Secundò, Prædicare ex officio potest intelligi quantum ad officij executionem, & quoniam illa officij executio requirit iurisdictionem super determinatam diœcesim, vel super determinatam parochiam, & determinare diœceses & parochias ad Papam immediatè spectet; sic executio prædicationis & administrationis sacramentorum ex officio recepto, non conuenit Episcopis, vel Presbyteris: nisi eis à Papa concedatur. Quod vlterius ex comparatione facultatis prædicandi Magistris in Theologia concessæ, cum illa, quæ Episcopis datur, meliùs explicatur. Nam Magistri in Theologia sola auctoritate Papæ in laurea Magisterij collata, possunt vbique prædicare: Episcopi verò dignitate Episcopali collata in suis tantùm diœcesibus: nec hæc diuersitas ex alio originem habere potest; nisi ex differentia collationis huius facultatis à Papa, cuius causa differenter conuenit prædicare ex officio Episcopis, & dictis Magistris. Et sicut manifestum est, quòd illi Magistri etiamsi polleant eminenti scientia, non possunt prædicare, nisi Papæ auctoritate recipiant lauream Magistralem, & eam ipsa facultatem prædicandi: non secùs ac Iurisconsultos, qui ius reddere minimè potest, nisi officio iudicis fuerit decoratus: ita etiam euidens est, quòd Episcopus charactere Episcopali insignitus, non pollet facultate prædicandi, nisi cathedram Episcopalem acceperit, cum qua accipit eminentiam potentiæ, qua primò carebat: & per hanc, potentiam & auctoritatem communicandi scientiam in sua diœcesi, quâ antequam fieret Episcopus, pollebat.

Nec obest, huic veritati obijcere, quòd Episcopus electus absque alia à Papa concessione potiatur iurisdictione; ac proinde possit absque licentia Papæ prædi-

care: nam respondetur, quòd Episcopus potest tribus modis eligi; vel per nominationem, seu præsentationem Regis, aut Principis, vt in Gallia & alibi; vel per nominationem, seu electionem Cleri, & populi, vel solius Cleri; vel per electionem à Papa factam. Si primo modo est electus, non potest prædicare, quia adhuc est verè laïcus; cui iuxtà Innocentij III. constitutionem cap. *Cùm ex iniuncto*, de Hæret. verbi Dei dispensatio prohibetur, reddita eiusdem prohibitionis ratione, *Quia cùm ordo*, inquit, *Doctorum sit præcipuus in ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare: nam secundùm Apostolum quomodo prædicabunt, nisi mittantur: & veritas ipsa præcipit Apostolis: rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Laïco ergo electo hoc modo in Episcopum, cùm ei non sit ab ecclesia commissum prædicationis officium, prædicare verbum Dei non licet. Si autem secundo modo eligatur in Episcopum, videlicet per Cleri, & populi vota, non potest etiam prędicare, nec dispensationem verbi Dei alijs committere, quia adhuc laïcus est. Et supponendo, quòd non sit laïcus, non potest tamen prædicare: quoniam nec Clerus, nec populus hanc facultatem à semetipso habent: quòd si illa gaudeat, à sede Apostolica illam accipere necessum est, cùm aliunde illam habere non possit: & sic non poterit sine sedis Apostolicæ licentia prædicare. Cum huiusmodi eligendi modi sint à Papa concessi, vt probant Viuian. in prax. Iuris-patr. part. 1. lib. 3. num. 18. in vlt. impress. Iul. Lauor. var. lucubr. tom. 1. tit. 4. cap. 15. à princ. & Barbos. latè de Offic. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 3. Si autem tertio modo per nominationem Papæ eligatur, si electio illius terminetur præcisè ad illius consecrationem, non poterit prædicare, quamuis ex officio conueniat ei hoc munere fungi. Si autem electio non præscindat, sed absolutè in Episcopum talis diœcesis eligatur, tunc poterit prædicare, quia & potestas ordinis & iurisdictionis ei conceditur; ac ex consequenti licentia prædicandi, sicut & sacramenta ministrandi.

Obijcies, omnes Episcopi in persona Apostolorum à Christo ad prædicandum Dei verbum per vniuersum orbem missi sunt, iuxtà illud Matth. vlt. *Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* non ergo indigent missione à Papa concessa. Respondetur, quòd sicut Apostoli non fuerunt ad prædicandum missi; nisi præsuppositâ auctoritate Petri, cui iam singulariter dictum fuerat, *Tibi dabo claues regni cælorum*, sic Episcopi non admittuntur, & assumuntur in partem sollicitudinis, nisi præsupposita Papæ auctoritate, qui sicut dat eis facultatem exequendi officium receptum super tanta, vel tali materia, si bene vtantur; ita exigente culpa, ex abusu commissi sibi officij, potest eos dicta exequutione priuare.

Obijcies iterum, quòd Glossa in illa verba, *Tibi dabo claues regni cælorum*, docet, quòd Christus vocauit claues regni cœlorum potestatem soluendi & ligandi, & scientiam discernendi; atqui ambæ istæ claues includuntur in officio Episcopali; ergo absque auctoritate Papæ conuenit eis prædicare, sicut soluere, ligare, & discernere. Respondetur, Episcopum recipere vtramque clauem, quantum ad auctoritatem exercendi actum: sed quantum ad actus exequutionem, cùm requirat debitam materiam subditorum, non conuenit eis vti clauibus, nisi ex facultate Apostolicæ auctoritatis, qua obtenta pro sua diœcesi, potest ex priuilegio etiam in aliena prędicare, vt tenet Zabarella in Clem. *Dudum*, de Sepult. vers. *Ab olim*, n. 27. vbi dicit, quòd Episcopus potest in qualibet diœcesi prædicare, dummodò non prohibeatur à diœcesano; quod etiam censet Hostiensis in cap. final. n. 2. de Auctorit. & vsu Pallij; licèt glossa in Clement. *Archiepiscopo*, versu *Etiam celebrare*, de Priuileg. & in cap. *Scriptum*, 6. q. 3. dicat, quòd in aliena diœcesi non possit publicè prędicare: sed hanc contradictionem facilè tollit Campanile, in diuers. Iuris. rubr. 12. cap. 13. n. 7. dicendo cum dictis Zabarella & Hostiensi, quòd *Ex sua spontanea voluntate Episcopum adire non debeat, ab ipso petiturus licentiam; sed absque illa prædicare valeat, nisi Episcopus loci hoc præsentiens interdixerit, & tunc nequeas, nisi illius præcedat consensus & facultas: verba si quidem Hostiensis & Glossæ ea sunt, quòd sine licentia possunt solemniter celebrare, & etiam prædicare, nisi specialiter prohibeantur.* Hæc Campanile. Cuius etiam sententiæ sunt Fuscus de Visitatione lib. 2. cap. 20. nu. 23. in fine Praxis Archiepiscopatus Neapolitani, cap. 58. Stephanus Gratian. in disceptation. Forens. cap. 394.

Obijcies vltimò ex XI. Concilio Tol. cap. 3. & ex Trident. sess. 5. cap. 2. prædica-

tionem Euangelij esse, *Præcipuum Episcoporum munus*; quocircà declarat illos teneri ad prædicandum per seipsos. Respondetur, ex Clem. VIII. referentibus proximè citatis, non intelligi de munere prædicandi per orbem vniuersum; sed tantùm per suas diœceses, cùm videlicet à Pontifice Romano hanc facultatem acceperint.

PROPOSITIO II.

Regularis est admodum idoneus ad recipiendam à Papa auctoritatem prædicandi.

Supponendum est, duos errores extremè contrarios circà personas ad ministeria Ecclesiastica idoneas antiquitùs extitisse: primus erat illorum hæreticorum, qui potestatem Ecclesiastici ministerij in vitæ sanctitate sic posuerunt, vt qui sanctitate carerent, ordinis quoque potestate priuarentur: & qui sanctitate fulgerent, ordinis quoque potestate potirentur. Quorum errorem professio quorumdam Monachorum secuta, in tantum de sua sanctitate præsumebat, vt ministrorum Ecclesiæ officia proprio arbitrio vsurparet; absoluendo, & prædicando absque Papæ, Episcopi, vel alicuius alterius superioris auctoritate. Contra quorum temerariam præsumptionem sic scribitur 16. quæst. 1. cap. *Peruenit ad nos. Vnde valde miramur, quòd quidam Monachi, & Abbates in parochia vestra, contra Sanctorum Patrum decreta, Episcopalia iura, & officia sibi vsurpantes vendicant, & absque propria Episcopi licentia, vel Apostolicæ Sedis auctoritate: mandamus itaque dilectioni tuæ, vt eos conuenias, & ne talia deinceps præsumant, prohibeas.*

Secundus error erat quorumdam, qui nimis incautè à primo illo errore recedere volentes, in contrarium errorem prolapsi sunt, asserentes, monachos, & religiosos, quantumcumque idoneos, & priuilegio Papali, vel Episcopali munitos, nullomodo posse prædicare, & alia officia Ecclesiastici ministerij exercere. Quorum dogmata damnantur 16. quæst. 1. cap. *Sunt nonnulli.*

Verùm Ecclesia virtutis, doctrinæ & veritatis magistra, mediam viam determinat esse tenendam; videlicet vt cum authoritate sedis Apostolicæ, viri idonei ad munus prædicationis possent assumi, qui essent coadiutores Episcoporum, & presbyterorũ in prædicationis, & sacramentorum administratione in populo Christiano. His positis, & notatis, Probatur propositio expressè ex multis decisionibus Pontificum, ac Patrum in tract. de Confessariis Regularib. adductis, & præcipuè ex dicto cap. *Sunt nonnulli*, & ex cap. *Ex auctoritate*, 16. quæst. 1. & ex vsu in Ecclesia Dei nusquam interrupto, quo regularis ad prædicandum assumitur; qui proculdubio in regulari maximã idoneitatem supponit: quod etiam sustinent Doctores cum D. Tho. 2. 2. qu. 187. art. 1.

Accedit, quòd Regularis ex Ordine Mendicantium, ipso facto quòd talis est, idoneus existit ad munus prædicationis exercendum; cùm regulæ Mendicantium hoc expressè habeant; quæ cùm ab Ecclesia sint approbatæ, ea iudice legitimo pronunciante, regularis Mendicans capax est recipiendi auctoritatem prædicandi.

Nec obiiciendum est, quòd sit indecens & indecorum regulari, sibi munus prædicationis procurare, seque sponte ad illud exercendum offerre; nam respondetur; munus prædicationis procurare, vel recusare ex duplici radice bona, & ex duplici radice mala procedere posset: si enim procuretur ex charitate, & ad auditorum vtilitatem, proculdubio meritorium & laudabile est; si verò recusetur ex humilitate propriam imperfectionem considerando, similiter laudabile & meritorium est. Exemplum primi est illud Isaiæ cap. 6. qui se obtulit Deo ad illud exercendum dicendo, *Ecce ego, mitte me.* Exemplum secundi est illud Ieremiæ 1. dicendo, *Ecce nescio loqui, quia puer sum.* Si autem ex ambitione, & turpis lucri gratiâ prædicationis officium procuretur, vituperabile est: recusare autem illud ex quietis suauitate & desidia, similiter damnabile est: & de hoc modo illud sibi procurantibus dicit Petrus 1. Canonica, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non turpis lucri gratiâ, neque vt dominantes in Cleris.* De taliter verò recusantibus dicitur Isaiæ 6. *Canes sunt, non valentes latrare.* vbi alia litera habet, *Non volentes latrare.* Non ergo damnandus regularis, si officium prædicationis sibi procuret, cùm id agere possit laudabiliter & meritoriè, & iuxta instituti sui regulas; & cùm aliunde sit ad hoc, & ad ministeria

Ecclesiastica idoneus minister. Ex to. hoc capite sequitur, nullam iniuriam facere Episcopo Pontificem Romanum, cùm aliis, quàm Episcopo, facultatem prædicandi concedit; quoniam vtitur iure suo: & sicut illi iniuriam non facit, cùm Archidiacono, & parocho eam concedit; sic nec cùm aliis quibusdam idoneis eam impartitur: alioquin iniuriam etiam faceret parocho Episcopus, dum prædicationem in illius parochiam ad prædicandum mittit: quod nemo sanæ mentis affirmare audebit.



CAPVT II.

DE FACVLTATE PRÆDICANDI REGVLARI A SEDE APOSTOLICA CONCESSA:

Deque dispensationibus & conditionibus in illo requisitis ad legitimè prædicandum.

DVBITARE, quòd Regularibus sit concessa prædicandi facultas, est in dubium vertere, si dies sit, cùm sol lucet: ipso enim clariora sunt priuilegia ad hoc munus exercendum illis concessa. Sed ne videamur hoc gratis asserere, propositiones quoad hoc instituendæ sunt; vt hac facultas specificè & distinctè probetur, & cognoscatur.

PROPOSITIO I.

PRædicandi facultas Regulari absolutè concessa est.

Hæc propositio ex præcedentibus præmemoratis probata fuit, cùm ostendimus, priuilegia ad hoc munus illis concessa esse. Nilominus expressiùs probanda est, ac primò ad hoc se offert Innocentij III. concessio, quâ Beato Francisco, & sociis eius, prædicandi, ac verbi Dei semen in omnem terram spargendi licentia concessa est per bullam, vt habetur in Compend. priuileg. Mendic. §. 1. verb. *Prædicatores*. 2. Huic concessioni accessit Clementis IV. bulla cuius initium *quidam temerè*, quâ fit facultas Ordinis Minorum Prouincialibus, vnà cum suis Diffinitoribus in capitulis Prouincialibus congregatis, committendi facultatem prædicandi suis subditis; vt habetur eodem compendio citato loco §. 2. atque eadem facultas facta fuit Carmelitis & Augustinianis, vt refert Christoph. à Cap. font. in Compend. priuileg. verb. *Prædicare*: estque conformis regulæ eorumdem Minorum, in qua cap. 9. hæc verba habentur. *Nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare; nisi à ministro Generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus: & ab eo sibi officiū prædicationis concessum.* Quæ facultas, cùm sit iure ordinario concessa ministro generali, potuit ministris prouincialibus & diffinitoribus delegari, vt factum est.

3. Omissis aliorum Ordinum quoad hoc munus priuilegiis, occurrit concessio Pauli III. facta Societati IESV, bullâ quæ incipit, *Cùm inter cunctas*, his verbis, *Vobis, & cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per vestræ Societatis Præpositum pro*

tempore existentem deputatus fuerit, in quibusuis Ecclesiis & locis, ac plateis communibus, seu publicis, & aliàs vbique locorum, Clero & populo verbum Dei prædicandi, ac eos viam veritatis edocendi; & ab bene beatéque viuendum: ita vt in vobis verbo, & exemplo pariter ædificentur, in Domino hortandi & admonendi, plenam & liberam facultatem auctoritatis Apostolicæ beneplacito concedimus. Quæ concessio licèt à Tridentino reuocata videatur, postea tamen à Gregorio XIII. fuit conualidata, bullâ quæ incipit, *Vigore priuilegij*, cum clausula reuocatoria cuiuslibet generalis Concilij, his verbis, *Vigore priuilegij vestræ Societati à fæl. rec. Paulo Papa III. prædecessore nostro concessi, vt vestrum quisque idoneus, & à Præposito pro tempore existenti eiusdem Societatis deputatus, verbum Dei publicè prædicare*, &c. Quod priuilegium postea confirmat, & prohibet Ordinariis, ne in illius possessione huiusmodi regulares molestent: *nonobstantibus Apostolicis, ac in generalibus, & prouincialibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Quartò & vltimò suffragatur Regularibus quoad munus prædicandi Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. in qua fit facultas Generalibus, & Prouincialibus ordinum Prædicatorum, & Minor. & cõnsequenter aliorum ordinum prelatis huiusmodi, ac eorum vicariis, eligendi prædicatores, his verbis, *Quare decernimus, vt Priores, & Ministri generales & prouinciales Prædicatorum, & Minorum ordinum præfatorum, & eorum vicarij de Discretorum consilio ad tam salubre officium Fratres diuina scientia doctos, discretione vigentes, vita probatos, & expertos moribus (alioquin districtam reddent in futuro examine rationem) eligant, & assumant.* Ex quibus manifestum exsistit. 1. Tum dictos præmemoratos regulares, cùm cæteros, qui eorumdem priuilegiis participant, habent à sede Apostol. facultat. prædicandi, & prædicatores è suo Ordine eligendi, & faciendi. 2. Hanc facultatem prædicandi absolutè concessam non pendere ab alterius licentia, sed independenter ab ea posse exerceri, vt in terminis vniuersalibus de facultatibus à sede Apostol. concessis tenent Doctores cum D. Tho. alibi citati, & docet optimè Moronus respon. 99.

PROPOSITIO II.

Regularis aptus est prædicare, etiamsi nullo sacro Ordine insignitus est.

Hæc propositio sequitur ex præcedentibus, & ex concessione præfata Pauli III. facta Societati Iesu, quam ita intellexit Gregorius XIII. bulla in præcedenti propositione citata verbis sequentibus, *Ex illo concessionis huiusmodi tempore, etiam scholares, & alij religiosi vestri sacris ordinibus non initiati: aliàs tamen idonei ad prædicandum verbum Dei passim, & vbique mittuntur. Verùm quia nonnulla dubitatio curiosius incessit, an dictum priuilegium prædicandi etiam eos comprehendat, qui ad ordines ipsos nondum ascenderunt. Nos quemcumque hoc scrupulo eximere volentes præsentium auctoritate declaramus, ac etiam decernimus, vestrum vnicuique etiam ad sacros ordines prædictos non promoto, prædicationis munus in vim priuilegij huiusmodi exercere potuisse, & posse: vobis insuper concedenies, vt etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti (prout hucusque fecerunt) valeant deinceps ipsum Dei verbum vbique populo prædicare: districtius inhibentes*, &c. Quibus manifestè ostenditur, ex illa absolutè prædicandi concessione à Paulo III. emanata concludi, quòd Regularis non insignitus ordine sacro prædicare potest. Quod ita certum est, vt etiam quilibet sæcularis sola tonsura insignitus id possit, vt vniuersaliter declarauit sacra Cardinalium congregatio, his terminis: *Munus prædicationis committi potest, etiam clerico qui non sit in sacris ordinibus constitutus; non enim alterius Ordinis sacri videtur actus esse: neque officium diuinum interdicto, aut suspensione à diuinis prohibitum.* Cuius sententiæ sunt etiam Emman. Sa in Aphor. verb. *Prædicatores*, & Portel. eodem verb. nu. 16. & Diana tract. 4. de Sacram. resolut. 137. Ac propterea videtur, quòd illud priuilegium non sit priuilegium; sed tantùm iuris communis interpretatio, quo clericis simplicibus prædicare licet; non verò laïcis: vt in proximè dicto decreto Cardinalium habetur his verbis, *Fuit tamen dictum, quòd secus de laïcis;*

Obiicies, decerni 16. quæst. 1. cap. 119. nullum præter sacerdotes esse aptum ad prædicandum, dum ita pronunciatur, *Adiicimus illud etiam, quod nobis propter improbitatem quorumdam Monachorum regionis vestræ verbo mandastis per vicarios nostros; & hoc specialiter statuentes, vt præter Domini sacerdotes, nullus audeat prædicare, siue monachus, siue laicus ille sit.* Vnde eadem cauta cap. 21. & 24. licentia monachis sacerdotibus dumtaxat prædicandi conceditur: ergo solus sacerdos Regularis, & non alius, est muneris prædicandi capax. Respondetur, ius illud antiquatum esse, tum per contrarium vsum, tum etiam iure illo nouo superiùs adducto.

PROPOSITIO III.

NVllus Regularis potest populo prædicare, nisi fuerit à suis superioribus de doctrina & moribus examinatus, & ad illud officium ab eisdem deputatus: non tenetur tamen examen ab Episcopo tolerare.

Hæc propositio quoad primam partem vniuersaliter sumpta, constat ex sess. 11. Concilij generalis Lateran. sub Leone X. in quo habetur expressè his verbis, *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, vt nullus tam clericus sæcularis, quàm cuiuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis regularis, aut quiuis alius, ad quem facultas prædicandi tam de iure, quàm de consuetudine, vel priuilegio, aut aliàs pertinet; ad huiusmodi officium exercendum admittatur: nisi priùs per superiorem suum respectiuè diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius oneramus) ac morum honestate, ætate, doctrina, probitata, prudentia, & vita exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur.*

Quibus conforme est concilium Trident. cap. 2. sess. 20. vbi ita habetur, *Regulares, verò cuiuscumque Ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint.* Quam formam Minoribus B. Franciscus præscripserat cap. 9. suæ regulæ his verbis, *Nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus: & ab eo sibi officium prædicationis concessum.*

Quoad verò secundam partem probatur primò ex præcedentibus; quoniam cùm examen de prædicatoris capacitate ad superiores Regulares spectet, nec de obligatione ad aliud examen in Iure, & Pontificiis concessionibus sermo habeatur, nulla ratio illud admittendi apparet. 2. Quoniam etiam vigente Tridentino non est imposita huiusmodi obligatio: nam de illo nullam facit mentionem, quando de prædicatore regulari agit, sed tantùm illi imponit onus sese præsentandi, & benedictionem petendi ad prædicandum suis Ecclesiis; & vltra hæc duo ad prædicandum in alienis Ecclesiis. Tertium, videlicet licentiam ab Episcopo accipiat, sic habetur sess. 5. cap. 2. Et hanc sententiam veram esse, ac de iure, sustinet Mauritius Abzedus in Praxi Episcopi. p. 2. cap. 13. nu. 104. Barbosa de Potest. Episcop. part. 3. alleg. 76. num. 23. Hieron. Roder. in Compend. quæst. Regul. resol. 112. nu. 2.

Nec obstat, sacram congregationem Cardinalium in vna Vgentiua sub die 22. Ianuarij 1622. ex relatione Antonini Dianæ, tract. 4. Miscell. resolut. 22. declarasse, *posse Episcopos examinare Regulares, prædicare volentes in Ecclesiis quæ non sunt suorum Ordinum*; quoniam nec de illo decreto authenticè constat: nec si constaret, reuocat priuilegia, ius commune, & Trident. Quod etiam in literis Apostolicis; imo & in Conciliis, quando aliquid determinant, necessum est. Accedit, quòd ab illo tempore fuerunt confirmata priuilegia regularia, quæ Tridentino nō aduersantur: illud autem priuilegium exemptionis ab examine non est illi contrariū, vt probatum fuit.

Nec obiicias, Regularem pati illud examen ab Episcopis, antequam prædicandi licentiam obtineat: imò à multis obligari iuramēto interposito, se ordinationes diœcesis obseruaturum. Respondetur 1. illud examen ab omni regulari non sustineri; nam notum est omnibus, à Fratribus Minoribus Capuchinis non tolerari: si alius illud

illud sustineat, non propterea amittitur priuilegium; vt in 1. tract. probatum est; sed violentiæ, & iniuriæ sibi factæ indulgens, priuilegio non vtitur. Quod similiter facit, cùm iureiurando promittit, se seruaturum Diœcesis ordinationes; qui si non æquiuocè iuret, non dubito, quin peccet. Potest autem amphibologicè verbis iuramentum exprimentibus, vel, & meliùs, verba illa exprimere absq; iurandi intentione. Nam sicut incompetente iudice illud à non suo subdito extorquente in iudicio potest non subditus id facere, cur similiter id agere non potest Regularis, cùm ab Episcopis vtpote iudicibus incompetentibus, iurare cogitur? Aduertant autem Illustrissimi Domini Episcopi, quòd hoc agendo, grauiter peccant; cùm actum iurisdictionis & torturæ exerceant in non subditum, sitque illis hoc prohibitum, tum ex iure, tum ex priuilegiis: vt alibi diximus.

Debet autem Regularis præter communes, ex Extr. *Inter cunctas*, allatas dotes, sequentibus esse decoratus, quas D. Franciscus exprimit, vt habetur apud Marcum Vlisipon. in 1. part. Cronic. lib. 1. cap. 40. & apud D. Bonauent. in Legend. cap. 8. his verbis. *Prius prædicator haurire debet secretis orationibus, quod posteà sacris ostendat sermonibus; priùs intùs calescere, quàm extrà verba proferre. Laudandi sunt prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt, sibi gustant. Illi verò malè sciunt diuidere, qui prædicationi totum, deuotioni verò nihil impendunt: alij etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpe quod faciunt oleo vanæ laudis. Officium prædicationis Fratres Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maximè si studio fuerit impensum, vt ad id labores Prædicator magis exemplo, quàm verbo; magis lacrimosa prece, quam loquaci sermone.* Hæc Franciscus, qui in sua Regula cap. 9. Prædicatores docet modum prædicandi, dum ita loquitur, *Moneo quoque, & exhortor eosdem fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi: annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum breuitate sermonis: quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.* Quorum verborum auream explicationem apud D. Bonauenturam, Hugonem, expositionem sine titulo, Cordubam & alios reperies: sicut & plura alia de qualitatibus prædicatori requisitis apud Mirandam in Manuali tom. 1. quæst. 50.



CAPVT III.

DE NONNVLLIS FACVLTATIBVS REGVLARI IN SPECIE AD PRÆDICANDVM concessis.

PROPOSITIO I.

Regularis potest absque præsentatione coràm Episcopo, & petitione benedictionis ab eodem in Ecclesijs propriis, ac plateis communibus prædicare.

Hæc propositio ex præcedentibus colligitur: si enim à Pontifice Romano pendet omnis prædicandi facultas, & ab eodem absoluta facultas prædicandi concessa est Regulari dependenter à iudicio & examine propriorum prælatorum, & non Episcopi; ad quid præsentatio coràm Episcopo, & petitio benedictionis, vt in propriis Ecclesiis & plateis prædicet? Certè nulla apparet iusta causa illam petendi: sed quoniam

Digitized by Google

in rebus moralibus magis attenditur ad ius expressum, quàm ad consequentias ex discursu deductas; ideo probanda est ex illo: ac 1. Benedictus XI. extra. *Inter cunctas*, de Priuileg. (quam confirmatam nonobstante Clement. *Dudum* de sepul. quoad illa quæ Regularibus fauent, diximus in tract. de Confessar.) facultatem absolutè concedi Regulari in suis Ecclesiis & plateis prædicandi, nulla facta mentione præsentationis coràm Episcopo, petitionis benedictionis, aut ad Episcopum recursus: ergo petitio benedictionis non est requisita, nec ad ipsum recursus. Confirmatur antecedens, ex eo quòd eadem extrauag. Pontifex exprimit, in quibus casibus Episcopi consensus est requisitus. Quod manifestè patet, his verbis, *Statuimus de Fratrum nostrorum consilio, vt prædictorum Ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Ecclesiis ac locis ipsorum, quæ impræsentiarum habent, & in posterum obtinebunt; ac in plateis communibus, seu publicis liberè absque Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum petita licentia valeant clero, & populo prædicare, eique proponere verbum Dei. Caueant tamen omnino, ne hora in qua Diœcesani prædicti prædicarent, vel facerent coràm se prædicari, prædicent ipsi Fratres, nisi forsan hoc facerent de voluntate Diœcesanorum ipsorum*, &c. Nec in hoc ius posterius per Clementem V. renouantem constitutionem Bonifacij VIII. in concilio generali Viennensi renouatum insertum in Clement. *Dudum*, de Sepult. huic iuri derogat: imò confirmat, & auget, vt sequentia verba ostendunt: *De ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, vt dictorum Ordinum fratres in Ecclesiis ac locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant clero, & populo prædicare, ac proponere verbum Dei: hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coràm se facere solemniter prædicari; in qua prædicare cessabunt, præterquàm si aliud de prælatorum ipsorum voluntate processerit, ac licentia speciali.* In quibus video eadem ordinari, imò ius illud prædicandi à Benedicto concessum augeri per illud aduerbium *Solemniter*: ità vt, si Episcopus non faciat coràm se solemniter prædicare, possit regularis sine præsentatione coràm eo, ac sine eius benedictione, & licentia in dictis locis prædicare. Solum in hac iuris dispositione perpẽdo omissa illa verba, *absque Diœcesanorum, & aliorum prælatorum petita licentia*: quorum omissio ius quæsitum minimè aufert; cùm, vt dictum est, prædicandi facultas sit absolutè concessa regulari, absque obligatione se Episcopo præsentandi, ac propterea posse absque præsentatione prædicare. Cùm nullo alio iure antiquo huiusmodi præsentatio, & petitio requiratur. Accedit, quòd Bonifacius IX. longe post Clementem V. Clementinæ *Dudum* conditorem, Fratribus Prædicatoribus indulsit, vt de sola Pontificis Romani facultate possent in dictis locis prædicare, *cuiuscumque inferioris summo Pontifice super hoc licentia minimè requisita*, vt habetur in compend. priuileg. Mendic. verb. *Prædicator.* §. 13. & ita tenent Barthol. Fumus in sua Summa, verb. *Prædicare*, §. 7. Tabienna eodem verb. §. 2. & 3. & Sorbus in compend. priuileg. Mendic. verb. prædicatores, supposito quod B. Pij V. *Etsi Mendicantium* vigeat quam subsistere probauimus in tract. 1.

Obiicies 1. In concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. decernitur, vt *Regularis præcedente examine ad munus prædicatoris à suis prælatis electus, quocumque postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua per literas authenticas, seu alias sui examinatoris, & approbatoris, Episcopis, & aliis locorum ordinariis fidem legitimam faciat.* Ergo Episcopo tenetur se præsentare Regularis, antequam prædicet. Respondetur 1. Concilium non loqui de prædicatione facienda in Ecclesiis & locis propriis. Respondetur 2. nullam mentionem facere de præsentatione regularis, sed tantùm, quòd ipse certum faciat Episcopũ de sua capacitate, quod sine præsentatione facere potest. Denique vltimò reuocatum esse dictum conciliũ in his quæ priuilegiis Regularium erant contraria per eumdemmet Leonem, vt in 1. tract. probatum fuit.

Obiicies 2. Tridentinum sess. 5. de Reformat. cap. 11. sub Paulo III. celebrato decernit, vt Regularis qui prædicaturus est in suis propriis Ecclesiis, petat priùs ab Episcopo benedictionem, his verbis: *Regulares verò cuiuscumque Ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint; ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coràm Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant.* Quod decretum idem Trident. sess. 24. cap. 4. sub Pio IV. celebrata con-

firmatum est; imò in fauorem Episcopalis potestatis auctum, dum his terminis pronunciatur, *Nullus autem sæcularis, siue regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat: in reliquis, ea quæ de prædicationis munere sub sub eodem Paulo III. decreta fuerunt, suum robur obtineant.* Ergo regularis tenetur se Episcopo præsentare, & ab illo benedictionem petere, antequam in suo Episcopatu prædicet. Respondetur, hanc obiectionem nullam habere vim in locis, in quibus Tridentinum non est receptum: vbi autem viget, respondetur, 1. Hæc duo decreta non habere clausulam reuocatoriam necessariam ad priuilegia regularia tollenda: non enim ius commune reuocant, quod esset necessarium, vt alibi pluries diximus: ad id attendisse videtur Pius V. qui in bulla inchoata *Etsi Mendicantium*, interpretando præfatum decretum sess. 24. & ex consequenti illud sess. 5. in eodem inclusum, declarat, regulares Mendicantes sub illo minimè comprehendi, his verbis, *Declaramus, canonem sess. 24. c. 4. per quem omnibus regularibus, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, contradicente Episcopo prædicationis officium interdicitur: Mendicantium ordinum Fratres huiusmodi, &c. non comprehendere, nec eos afficere: imò volumus, quòd in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licitè, & absque vllo impedimento, vel contradictione etiam Episcopi; nisi ipse prædicauerit, prædicare possint.* Idemmet Pius bulla inchoata, *Ad hoc nos Deus pretulit*, hanc facultatem illi concessit, dum vult, *vt in propriis Ecclesiæ prædicet, absque eo quòd se præsentauerit Episcopo, & absque petita benedictione, eoque contradicente, etiã dum in Cathedrali prædicatur; dummodo non prædicet eo tempore, quo ipse prædicauerit.*

Adiunge, quòd etsi sub illo decreto Tridentini, Mendicantes comprehenderentur; non propterea necessaria esset acceptio benedictionis, sed sola præsentatio cum petitione benedictionis, licet recusatæ: nam in iure petita benedictio iniustè negata, censetur concessa; vt tenent Tambur. de Iure Abbat. tom. 2. dup. 11. quæst. 2. & alij quos citat Archan. Rom. de Priuileg. verb. *Prædicatores*, & Henriques cum pluribus aliis quos citat lib. 6. de Pœnit. cap. 13. qui etiam asserit, hoc declarasse sacram congregationem Cardinalium 1597. cuius decretum his verbis refertur, *Sacra congregatio censuit, quòd regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Episcopo licentiam obtinere. Sed tantùm à suis superioribus examinati personaliter Episcopo se præsentare: ab eoque petere benedictionem; tametsi eam minimè obtinuerint.* Verum Vrbanus VIII. bulla inchoata, *Aliàs à nobis emanarunt*, in qua explicat quasdam facultates, quas per aliam bullam Cardinali de Sandoual, priuilegiis regularium contrarias, fecerat, sic omne dubium resoluit, *Ad hæc quòd in eisdem præinsertis literis dicitur, regulares non posse verbum Dei prædicare, sine Episcopi licentia, hoc sibi vendicare tantum in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt: cùm in aliis sui Ordinis Episcopi benedictio petita: licet non obtenta sufficiat: ita tamen, vt si Episcopus non modò benedictionem simpliciter non concesserit; verùm etiam Regularibus prohibuerit, quominus prædicent: tunc illo contradicente in sui quidem Ordinis Ecclesiis, liceat illis prædicare, quemadmodum S. Concilij Tridentini decretis salubriter est cautum.* Ex quibus vides, quòd posito, quòd præsentatio, & benedictionis petitio requireretur in regulari, posset tamen illa non obtenta in suis Ecclesiis prædicare. Sic tenet Zypæus in consultat. canon. 5. vbi multis id disertè probat & extẽdit ad prędicationẽ in domibus sæcular. priuatis & in plateis publicis.

Dices; ergo ex Vrbani proximè posita declaratione requiritur petitio benedictionis, & Tridentinum hanc regulari vt necessariam desiderat. Respondetur, ita esse in regulari, qui non est ex aliquo ordine Mendicantium; non autem in regulari qui talis est; alioquin contradictoriam interpretationem illi, quam Pius vt supra dederat dicto decreto Tridentini, interponeret; quod non est credibile. Accedit, quòd prędicta bulla Vrbani caret clausula reuocatoria iuris communis; & ex consequenti non adimit priuilegium in illo insertum. Plura de hoc decreto in sequentibus.

Ibi autem obiter notabis, quòd hæc facultas prædicandi in propriis Ecclesiis, & plateis communibus, sic regulari est annexa, vt Prælati Ecclesiarum, aut alij quicumque populum, aut parochianos retrahere præsumentes, quominùs accedant ad illius prædicationes, quoties & quando voluerint, excommunicationis latæ sententiæ vinculo irretiantur: vt notat Corduba in Comp. priuil. Mend. §. 13. referens quoad hoc Bonifacij IX. priuileg. Quod intelligendum puta, non solùm in dictis casibus, sed etiam in omnibus aliis, in quibus contradicentibus Episcopis & Curatis prædicare possunt.

PROPOSITIO II.

PRædicator Regularis poteſt prædicare, etiam contradicente & volente prædicare Epiſcopo: non ſolùm in præmiſſis, verùm etiam in proximè ponendis caſibus; non tamen in Eccleſijs parochialibus, niſi de Parochorum licentia, aut Epiſcopi mandato.

Hæc propoſitio quoad primam partem conſtat ex verbis eiuſdem Clementinæ, *Dudum*, quæ ita habet: *In ſtudiis autem generalibus, vbi ſermones ad clerum ex more fieri ſolent, diebus illis quibus prædicari ſolemniter conſueuerint, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſiue peculiaribus eorumdem Fratrum, poſſint iidem fratres, & liceat eis liberè prædicare, niſi forte illa hora, quâ ſolet ad clerum in prædictis Dei verbum proponi, Epiſcopus vel Prælatus ſuperior Clerum ad ſe generaliter conuocaret; aut ex aliqua ratione, vel cauſa vrgente, Clerum ipſum duceret congregandum*, & eiuſdem ſententiæ ſunt proximè citati. Ratio autem illius propoſitionis eſt; quoniam in illis caſibus ex dicta Clementina excerptis aliquid ſpeciale conceditur; nam per primam clauſulam poterat Regular. omni tempore in ſuis conuentibus, & plateis communibus prædicare; ergo cùm præter illam facultatem, ſpecialis hęc clauſula fuerit addita, aliquid per illam regulari conceditur, quod non fuerat ante conceſſum: videlicet, vt in iſtis caſibus poſſit in eiſdem locis liberè prædicare, etiamſi Epiſcopus velit prædicare. Quod expreſsè dicit Benedict. XI. Extr. *Inter cunctas*, his verbis, *quia in his caſibus cum Diœceſanis in prædicatione concurrere poterunt*: quod intelligendum eſt cum proximè poſitis per dictam Clementinam limitationibus.

Secundam verò partem expreſsè probat dicta Clementina, nec alia probatione indiget; cùm antea probatum fuerit, Clementinam vigere: ex quibus manifeſtæ patet, multùm differre onus Clementinę, ab onere Tridentini; quoniam illa ſolam licentiam parochi poſtulat ad prædicandum in Eccleſijs parochialibus: at verò Tridentinum, vltra licentiam huiuſmodi, aliam etiam Epiſcopi deſiderat, ſine qua etſi licentiam parochi obtinuerit, non poterit vllo modo prædicare ille regularis; ſi quis eſt qui Clementina non gaudeat. Prudenter tamen his 2. priuilegiis in hac & præcedenti propoſitione poſitis, & in ponendis inferiùs ſe gerere debet regularis, ne ordinarius ad iracundiam prouocet.

PROPOSITIO III.

POteſt Regularis dum eſt in itinere prædicare vbique in via, etiamſi ibi non ſe præſentauerit Epiſcopo, dummodo in aliquo alio Epiſcopatu & licentiam prædicandi ab Epiſcopo impetrauerit: nec contradicat Parochus: neue huius rei gratia diuertat ab itinere.

Hæc propoſitio non intelligitur; niſi de prædicatione facienda in Eccleſiis alienis; non autem de ea facienda in propriis plateis, & aliis locis, & caſibus, de quibus ſupra; quoniam in his non eſt neceſſaria prę ſentatio, & licentia Epiſcopi, vt concluſum fuit in præcedentibus, etiam vbi Tridentinum vigetimo; iuxtà ſuperius aſſerta, nec præſentatio nec licentia requiritur vt poſſit prædicare in Eccleſiis propriis, ſi de mendicantibus eſt ſermo dumtaxat; cùm eos Tridentinum non comprehendat nulloque alio iure ſe præſentare & licentiam impetrare teneantur. Sed poſito quod Tridentinum mendicantes comprehendat, noſtra propoſitio eſt manifeſta ex priuilegio facto Societati Ieſu, quod habetur in Compend. priuileg. eiuſdem Societatis, verb. *Confeſſarius*, §. 2. non poterit tamen inibi prædicare, ſi adſit Epiſcopus, niſi illi ſe præ-

sentauerit licentiā impetraturus: poterit verò bis aut ter prædicare, si sit vir grauis, notus, & doctus, licet nō se præsentauerit Episcopo absenti a loco, in quo moratur, si illi Parochus det facultatem in sua Ecclesia illis vicibus prædicandi: & ita non ex priuilegio, sed ex Epicheia tenent Rodericus citans alios id opinanres. to. 3. q. 33. art. 1. & Portel verb. *Prædicatores*, §. 2. Imò D. Bonauentura in cap. ix. reg. Minor. absolutè pronunciat Minores prædicare vbique ex præsumpta Episcopi licentia ne impedimentum esse possit verbi Dei, expectario licentiæ expressæ; dum sic loquitur *vt ostendatur præsumptam licentiam sufficere* his dumtaxat, quotum prædicatio est pet sedem Apostolicam approbata, &c.

Potest etiam in quibuscumque infidelium etiam Schismaticorum tegionibus prædicare de licentia Prælatorum Ordinis, ex concessione facta Carmelitis à Clemente VIII. num. 3. bulla quæ incipit, *Dominici gregis cura*, & ex multis alijs concessionibus Pontificum: ac sic tenet cum alijs Thomas à Iesu, de Conuetsione omnium gentium, verb. *Prædicare*.

PROPOSITIO IV.

Regularis, etiam vbi Tridentinum viget, Episcopo præsentatus, & ab eodē approbatur, vel etiam indebitè recusatus, potest vbique in Ecclesiis prædicare, etiam eodem contradicente.

Hæc propositio, quæ magni ponderis est, probabitur, si ptiùs supponatut primò, quòd ius commune disponit in Clementina *Dudum*, de Sepult. & in Extrauag. *Super cathedram*, eodem tit. & in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. quòd prædicator regularis potest legitimè in proprijs Ecclesijs, & in plateis publicis sine licenria Episcopi prædicare, vt supra dictum est. 2. Quòd in Ecclesijs alienis non potest prædicare sine beneplacito, seu licentia Parochorum, aut superiorum illarum Ecclesiarum obtenta. 3. Quòd non potest illa hora prædicare, quā Episcopus prædicare, aut cotàm se facere prædicare voluerit. 4. Quòd Pius V. in tribus suis constitutionibus, quarum prima incipit *Etsi Mendic.* de anno 1567. secunda, *Ex superna*, de eodem anno: tertia, *Ad nos*, de anno 1571. quas citat Augustinus de Bellis in libello idiomate hispanico composito, cui titulus, *Allegaciones en Deretcho.* dicit, *quòd regularis irrequisito Ordinario potest prædicare*. 5. Quòd ex eadem Pij V. constitutione, quæ incipit, *Etsi Mendic.* non reuocata per Greg. XIII. *admissus semel ab Episcopo in vna Diœcesi, habeatur pro admisso, tam quoad prædicationes, quàm quoad confessiones*. 6. Quòd sufficit præsenratio regularis ad prædicandum, licet iniuste reprobetur.

His positis ptobatur ptopositio, Primò, quoniam ex iure communi potest regularis prædicare absque dependentia licentiæ Episcopi; ergo *illo contradicente*, cùm absoluta, & non restricta concessio absolutè & sine testrictione sit intelligenda. Confirmatur consequentia ex eo, quòd ius commune quando voluit, regularem *contradicente Episcopo* non prædicare, illud expressit, vt suprà in duobus casibus fecit; etgo cùm in alijs casibus non expressetit, *illo contradicente* poterit prædicate. 2. Confirmatut eadem consequenria ex eo, quod Pontifex quando concedit facultatem prędicandi, illam de licentia Episcopi non impartitur, iuxta cap. *In his*, de Priuileg. & exceff. priuilegiat. in quo Gregorius IX. definit, quod quando aliquod priuilegium conceditur, debet illud intelligi concessum absque dependentia à voluntate Episcopi, alioquin esset inutile; cùm illud idem Episcopus, non habita licentia Papæ, si sui iuris est, possit concedere. Arque ita in hac speciali materia determinatum exiftit per declarationem sacræ Congregationis relatam à Farinacio sess. 24. Concil. Trident. cap. 4. & à Rota volum. 3. ad eamdem sess. his verbis, *Sedes Apostolica nemini licentiam prædicandi concedere solet de licentia Episcopi.* Ergo cùm concessa sit absolutè prædicandi licentia regulari, & absolutè & absq; limitatio-

ne est intelligenda, & ex consequenti contradicente, vel non contradicente Episcopo. 3. Confirmatur consequentia; nam officium prædicandi competit regulari de iure communi, excepto illo tempore, quo Episcopus vult prædicare, aut mandat vt coràm se prædicetur, vt euidenter declarauit Xistus IV. Extrauag. quæ incipit, *Vices illius*, de Treuga & pace: & tenet Rodericus in explic. bullæ Cruciatæ, §. 9. nu. 32. & Miranda tom. 1. qu. 41. art. 6. Tambur. de iure Abbat. tom. 2. disp. 11. qu. 2. cum alijs quos citat Archang. Roman. de Priuileg. verb. prædicatores lib. 3. Ratio est, quia facultas prædicandi, quæ illi conceditur à constitutionibus præmemoratis, in corpore Iuris insertis, impertitur sine dependentia ab Episcopo; ergo illi competit de iure communis, licet in principio concessionis esset ex priuileg. Vt tenent eum Parth. leg. 1. in authent. *Qua in Prouincia*, vers. *Vel diuersus*, Greg. Lopes lib. 2. tit. 18. part. 3. gloss. 6. *Hares Absens*. ff. de Iud. authent. *Qua in Prouincia*, vbi de crim. agi oportet. vers. *Illic*, in fin. Et ibi Baldus & Felinus cap. 1. de Rescriptis num. 12. Peres, Menoch. Sanches, Mirand. Rebuff. Laudens. Federic. Specul. Cokier & alij. Ergo cùm illi competat iure communi & ordinario, & sine dependentia ab Episcopo, poterit illam exercere sine dependentia ab ipso; & sicut potest Parochus in sua parochia, ipso contradicente, prædicare, cùm illi hæc facultas de iure communi competat, ita & regularis.

Probatur 2. quia si illa verba *Contradicente Episcopo*, se extenderent ad alia tempora, quàm ad tempus quo Episcopus vult prædicare, aut coràm se facere prædicare: sequeretur 1. Concilium Trident. illis verbis ius commune reuocasse. 2. Duo etiam Concilia generalia, scilicet Viennense sub Clemente V. & Lateranense sub Leone X. reuocasse. Sequeretur 3. reuocasse semetipsum, sed hoc non est præsumendum: ergo non extenduntur ad aliud tempus quàm ad illud, quo Episcopus vult prædicare, aut mandat coràm se prædicari. Triplicem sequelam antecedentis probamus, ex eo quòd ius commune in constitutionibus præmemoratis de Sepult. dat facultatem Episcopo contradicendi in duobus casibus proximè dictis: duo etiam prædicta Concilia Viennense, & Lateranense eamdem, & non ampliorem tribuunt facultatem; & denique Trident. sess. 5. cap. 2. dat Regulari facultatem, vt cum sola benedictione ab Episcopo petita possit absque necessitate licentiæ eiusdem Episcopi, in propria Ecclesia prædicare. Consequentia autem, videlicet quòd non sit præsumendum, quòd Trident. voluerit his verbis, *Contradicente Episcopo*, tot iura reuocare, & annullare probabitur, si rem probandam in tres partes diuidamus: quarum prima probat, quòd non sit præsumendum de Concilio Trident. quòd ius commune voluerit reuocare: secunda, quòd etiam non sit præsumendum, quòd voluerit reuocare Concilia Viennense, & Lateranense, ac tertia & vltima, quod semetipsum non reuocarit.

Quantum ad primam partem, ea facilè consequentiam probabit, 1. Ex doctoribus Nauarro cap. 27. nu. 265. Portel. in dub. Regul. Hieron. Roder. resolut. 2. num. 2. Miranda tom. 1. qu. 45. art. 6. multos ad hoc authores allegando, qui omnes existimant, Tridentinum his verbis, *Contradicente Episcopo*, non correxisse nec reuocasse ius commune. 2. Probatur fusè admodum ex iure Canonico, & Ciuili, si priùs supponatur pro generali regula, 1. Quòd correctio & reuocatio iurium semper est vitanda, & quando leges videntur aliquo modo contrariæ, debent ad inuicem glosando conciliari, vt iura iuribus concordentur; quia sicut dicitur cap. *Ecclesia vestra*, 2. de Electionibus, non est credendum, Romanos Pontifices qui iura tuentur, aliàs excogitatum multis vigiliis, vno verbo subuertere voluisse. Quod constantissimum exiistit ex cap. *Cùm expediat*, de elect. in 6. & leg. 1. *Quando*, cod. de Inoff. test. & leg. cap. de inoff. dol. & leg. *Pracipimus*, in fine, cap. de Appellat. quod etiam tenent Abb. cons. 75. l. 2. Geminian. cons. 131. Auchar. consil. 19. Roman. consil. 40. visis. num. 5.

Imò hoc suppositum ita verum est, & receptum, vt etiam leges nouæ, habentes clausulam derogatoriam nonobstantiæ, vel taxatiuam (dumtaxat) possint potiùs conciliari cum veteribus per limitationes, distinctiones, aut glosas tolerabiles; quàm illas reuocatorias declarare, vt habetur authent. de Succ. ab intest. in princip. & glossa,

Ibi, vers. *Vacantibus*, & tenent Bart. extrauag. *Ad reprimendum*. §. *Nonobstantibus*, num. 9. & ad l. *Sciendum*, num. 2. Iason ibidem, num. 4. & in l. 1. num. 9. ff. *Sol. matr.* Menoch. remed. 4. adipisc. num. 21. Franc, Bera cons. 1. num. 13. Monet de distri quot. p. 2. 9. 11. num. 29. Rom. cons. 322. num. 2. Sanches de Matrim. lib. 2. disput. 24. num. 6. Barb. axio. 60. num. 1. & Cephal. cons. 323. num. 1. & Portel in dub. regular. verb. priuileg. num. 66. & 67. qui asserit hanc sententiam esse communem: vnde nullo modo censendum est, legem nouam, veterem, aut ius commune reuocare, nisi in duobus casibus; primus est, quando lex habet clausulam expressè derogatoriam his verbis, *Nonobstante iure communi*, *vel priuilegio in iure communi inserto*. Secundus casus est, quem non libenter concedimus, quando lex noua ita expresse contraria & incompatibilis est cum iure antiquo, vt non possit vllam interpretationem, aut limitationem pati, vt habetur leg. *Sed & posteriores leges*, ff. de Leg. & Glossa, *Cupientes*, de Elect. in 6. vers. *Petere*, & tenent Nauarr. cons. 17. num. 4. de Spons. Miranda tom. 2. qu. 25. art. 16. concl. 17. Coxier tom. 2. p. 2. quæst. 105. num. 3. & Portel citatus. Requiritur tamen in hoc 2. modo, vt in inferente dictam legem; sit notitia priuilegij reuocati, sic Portel citatus, & communiter Iurisperiti. His positis probatur intentum aliquibus fundamentis a doctoribus vtriusque iuris receptis & probatis.

Primum est, quod decretum Trident. *Non Regularis prædicet, contradicente Episcopo*, non habet clausulam irritantem constitutiones iuris præmemoratas, nec etiam est expresse contrarium dispositioni illarum quoad facultatem regulari factam ad prædicandum: quinimò dispositio illius decreti potest accommodari dispositioni illarum: nam tum in illis, tum in dicto decreto Trident. datur facultas Episcopo, vt possit contradicere regulari prædicare volenti, cum hac sola differentia, quòd in dictis constitutionibus tempus, & occasiones in quibus contradicere potest, declarantur: videlicet, *quando ipse vult prædicare*, & *cùm mandat prædicare in sua præsentia*: Tridentinum indefinitè loquitur, & illa in specie non declarat; quocirca istæ duæ leges non sunt contrariæ, sed vna magis se explicat, quàm alia: vnde datur locus illas inter se conciliandi, iura iuribus concordandi. Ergo decretum Tridentini non habet adiunctam circumstantiam, vt ex illa concludatur reuocatio dictarum constitutionum.

Obijcies 1. quòd Pontifex cap. *Licet*, de Constit. in 6. determinat, quòd lex vltima derogat primæ, etiamsi de illa non faciat mentionem; ergo etiam Tridentinum derogat illis constitutionibus, etiamsi de illis non faciat mentionem. Respondetur, Pontificem hoc cap. loqui de lege posteriori facta à Pontifice, quæ derogat legi priori à Pontifice conditæ: non autem legi in iure communi insertæ, vt diximus in præcedenti tractatu. Vel si velis, licet non concedamus, de lege posteriori, quando priori est euidenter contraria, vt explicat glossa eodem cap. vers. *Casus*, & versic. *Reuocare*: ac etiam summarium dicti capitis, cuius generis minimè est decretum Tridentini cum dictis constitutionibus; sibi enim inuicem conciliantur.

Obijcies 2. vniuersalis & particularis propositio sunt contrariæ: propositio autem illarum constitutionum iuris est particularis, quoniam limitat tempus, in quo potest Episcopus prædicationem regularibus interdicere: vt verè Tridentini propositio cùm sit indefinita, non determinans tempus particulare, est vniuersalis, quoniam indefinita æquipollet vniuersali, leg. *Si seruitus*, 22. ff. *De seruit.* leg. *Si ita relictum*; ergo decretum Trident. & dictæ constitutiones sunt inter se propositiones contrariæ.

Respondetur 1. indefinitam propositionem non sumi pro vniuersali, sed pro particulari in odiosis, sicut est præsens casus, vt tenet Barth. 15. l. *Si plures*, nu. 6. vers. *Si verò cadit*, Franc. Mol. lib. 3. quæst. 85. num. 59. Tuscus verb. *Indefinita*, concl. 86. num. 28. Barbosa axiom. 123. num. 13. & ita vtraque erit particularis; & sic non inter se contrariæ. Respondetur 2. posito quòd propositio Tridentini esset vniuersalis, non esset tamen contraria propositioni dictarum constitutionum; quoniam cùm vna lex aliam moderatur, non dicitur illi contraria, moderatio enim non est contrarietas: quia quæ in totum non abrogant, non dicuntur contraria, vt asserit Tuscus verb. *Contrarietas*, num. 1005. §: 10. & colligitur ex cap. *Cùm impediat*, de Elect. in 6.

Digitized by Google

& ex glossa, *Ibi*, & docet Auchat. consil. 6. num. 8. Ergo licet dispositiones decreti Tridentini limitent dictas constitutiones, non erunt illi contrariæ, nec ex consequenti reuocatæ.

Secundum fundamentum est, quòd leges quæ à iure communi recedunt, ex eo quòd sunt nimis vniuersales, vt iuris correctio vitetur, debent limitari, & restringi, vt docet Miranda tom. 2. qu. 15. art. 26. concl. 11. & maxime si huiusmodi leges sunt odiosæ, cap. *Odia*, de Reg. Iuris in 6. & cap. *Pœna*, de Pœnit. distinct. 1. Sed ita est, quòd posse contradicere Regularibus in omnibus occasionibus, vt non prædicent, ex eo quòd sit lex nimis vniuersalis, à iure communi dictatum constitutionum, & à decreto Concilij Lateranensis sess. 11. recedit; & ex consequenti est lex odiosa, cùm sit iuris communis correctiua: ergo limitari, & restringi debet, ac intelligi iuxtà dictas constitutiones; quia lex desiderat redire ad ius commune, iuxta glossam in cap. *Statutum*, vers. *Numerandum*, de Præbendis in 6. Tiraquell. de Prin. q. 14. num. 2. & Nauarr. de Pœnit. disp. 6. cap. 1. §. *Labores*, num. 16. ergo Tridentini, & dictarum constitutionum eadem est dispositio.

Tertium fundamentum est, quod plus in legibus mens Legislatoris est spectanda, quàm ipsius verba, vt habetur l. *Habeo*, ff. de Supell. l. 2. *Nominu, & rei*, § *Verb.* ff. de Verb. signif. Et sic tenet Scaccia de Appellat. qu. 4. num. 21. Ergo potius mens Concilij, quam verborum in hac propositione, *contradicente Episcopo*, est spectanda; sed mens Concilij & Legislatoris in legibus ferendis semper præsumitur adhærere iuri communi, vt tenet Iason in l. *Causas*, num. 6. cod. de Trans. grammat. cons. 34. num. 3. & cons. 45. num. 33. Decius cons. 64. num. 7. Gozad cons. 101. num. 10. Ergo debet intelligi, quòd Concilium in his verbis, *contradicente Episcopo*, vult menti dictarum constitutionum adhærere; cùm expediat, iura iuribus concordare, vt dictum est suprà. Objicies contra hoc fundamentum, quòd verba sunt intelligenda secundùm communem loquendi vsum, l. *Librorum*, §. *quod tamen*, & l. *Cùm autem*, cod. de Donat. ante nub. Ergo hæc verba *contradicente Episcopo*, absolutè pronunciata, absolutè intelligenda sunt, & pro omni tempore. Respondetur huic obiectioni, dicendo, quòd vt correctio iurium vitetur, potest verborum sensus in non proprium, sed veluti alienum sensum explicari: nam iuxta commune axioma Canonistarum, & Iurisperitorũ à propria verborum significatione recedendum est, vt iura concordemus; vt tradunt Anton. cap. *Cùm dilectus*, nu. 15. de Consuet. Imola ibid. num. 12. Abbas cap. *Cùm olim*, fin. de Re iudic. Felin. cap. *Non potest*, eodem titul. num. 8. vers. *Limita*. Alex. con. 33. num. 12. lib. 3. Gozad. cons. 43. num. 2. Gotier lib. 3. Pract. qu. 15. num. 34. Beroïus cap. *Quoniam*, num. 1. de Iure Patr. Ergo licet abutatur propria illorũ verborum significatione, videlicet *contradicente Episcopo*, vt Tridentini decretum cum dictis constitutionibus concordetur (quod tamẽ in hoc casu non fit) non aberrabitur à vero.

Quartum fundamentum est, quòd sacri canones vtuntur in modo differenti hoc verbo *contradicere*: Nam 1. sumitur imperatiuè, & authoritatiuè, vt cap. *Contradicimus*, 35. qu. 2. & 3. Secundò sumitur in iure, in contradictorio iudicio, vt in capite *Nicæna*, distinctione 31. & glossa ibi vers. *Sententiam*. 3. Sumitur pro contradicere facto, & per vim, vt vocat Rota in vna *Calagurritana*, sicut habetur apud Barbosam claus. 9. num. 16. Sed quando Trident. in præfato decreto vtitur verbo *contradicere*, non explicat quo prędictorum modo intelligi debeat: ergo est casus omissus, ac proinde relinquitur intelligendus iuxta iuris communis dispositionem, per legem *Commodissimè*, ff. de Liber. & posth. vt etiam tenet Panormitanus consil. 579. cap. 2. lib. 2. At sicut Episcôpus ex iure communi non potest contradicere, nisi in duobus casibus expressis in dictis constitut. sic etiam in vi decreti Trident. nõ poterit contradicere, nisi in duobus casibus. Et hęc dicta sufficiant quoad primam partem.

Veniamus iam ad secundam partem quæ facile probabit, quòd Tridentinum non intendit his verbis, *contradicente Episcopo*, derogare duobus præmissis Concilijs general. Viennensi & Lateran. ac 1. ex doctoribus inter quos sunt Nauarrus cap. 27. nu. 265 citans Archidiaconum & Felinum: Miranda tom. 1. qu. 45. art. 6. & Portell. in dub. reg. Secundo probatur ratione, quoniam decreta Conciliorum generalium nõ censentur reuocata per alias leges nouas, etiam contrarias, sine derogatione quæ faciat

ciat

ciat expressam de eisdem conciliis mentionem, vt habet sententia doctorum collecta ex cap. vlt. de Capell. Monach. & ex glossa ibi vers. *Casus*, & cap. *Eam te*, de Ætat. & qualitat. ac denique ex cap. *Nonnullis*, de Rescriptis, num. 12. Et ita tenent Couarr. 4. var. cap. 16. num. 6. Felin. in dictum caput, *Nonnulli*, Archidiac. cap. 1. de Consist. in 6. Alexand. cons. 185. lib. Iacobatius, tract. de concil. lib. 5. art. 18. Nauarr. loco citato: Sanches tom. 2. concil. lib. 7. cap. 1. dub. 19. num. 20. Cokier tom. 1. part. 1. quæst. 50. num. 33. Layman. lib. tract. 4. cap. 21. num. 2. Sed præcitatum decretum Tridentini non habet clausulam derogatoriam prædictorum conciliorum Viennensis & Later. ergo illa non reuocat; maximè cùm dispositiones illorum quoad Prædicatorem regularem nō sint contrariæ dispositioni Trident. Ergo inter se sunt conciliandæ, vt euitetur correctio.

Tertia pars probabit, quòd non sit præsumendum, Tridentinum voluisse per illa verba, *contradicente Episcopo*, derogare decreto suo cap. 2. sess. 5. in quo idem met Tridentinū determinat, regulares posse prædicare in Ecclesiis propriis petita solùm ab Episcopo benedictione, absque obtenta eiusdem Episcopi licentia: & ita tenent Doctores in 1. & 2. parte adducti. Et probatur 1. ex Iure, quoniam non est vero simile, quòd statuentes voluerint se corrigere, l. *Præcipimus*, in fine C. de Appell. & l. *Cùm hic status*, §. in fio. ff. de Donat. inter virum & vxorem; & Tuscus verb. *Correctio*, concl. 1036. Alex. cons. 59. n. 13. l. 3. Rom. cons. 104. col. 2. in princ. & cons. 438. num. 6. Surdus cons. 241. n. 19. Rota decis. 363. num. 14. p. 1. diuers. Monach. de esump. lib. 6. Gonzal. de Reg. Cancell. à Reg. 8. Glos. 8. num. 86. Ergo si Tridentinum in sess. 5. cap. 2. determinauit, quod regulares possent in propriis Ecclesiis prædicare petita solùm benedictione, sine licentia; vt clarè hoc dicit, & confirmant communiter doctores omnes, & tradunt Barbosa ad caput 2. sess. 5. & Roder. tom. 3. q. 32. ac etiam sacra Cardin. congregatio, vt inferiùs dicemus; non est autem verosimile, quòd postea Tridentinum sibi contradixerit, seque correxerit cap. 4. sess. 24. reuocando illud quod antea fuerat determinatum; ergo hæc duo decreta sunt conciliandа inter se per ius commune dictarum constitut. videlicet quòd non possit regularis prædicare, quando voluerit Episcopus prædicare, aut facere coràm se prædicare.

2. Probat intentum Cardinalium, declaratio allata superiùs in 1. proposit. quæ ostendit regularem posse in Ecclesiis suis prædicare petita solùm benedictione ab Episcopo, ipso etiam contradicente; sicut etiam Vrbani VIII. declaratio inibi relata. Ergo ex declarationibus potest Regularis prædicare in suis Ecclesiis, *contradicente Episcopo*; ergo decretum sess. 5. non est reuocatum per decretum sess. 24. in quo dicitur, quòd Regulares non prædicent, etiam in propriis Ecclesiis, *contradicente Episcopo*; alioquin & Pontifex, & sacra Congregatio illud explicando non declarassent, quòd possunt Regulares sine licentia Episcopi prædicare. Ex quibus concluditur, quòd illa duo decreta proximè memorata non sunt contraria, cùm vnum alteri non deroget; & vt contraria non sint, necesse esse glosare illud sess. 24. iuxtà commune decretum prædictarum iuris communis constitutionum: videlicet quod regularis non possit prædicare illa hora, qua Episcopus prædicare voluerit, aut coràm se prædicare mandauerit.

Denique 3. probat sequens ratio intentum; esto quod præmissæ rationes, & authoritates non dicant clarè & euidenter, quod per Tridentinum non sunt reuocatæ dictæ iuris constitutiones: nilominus illud dubium relinquunt; ergo per Tridentinum non sunt reuocatæ; cùm in dubiis præsumendum sit, nō esse correctum & reuocatum ius commune: vt habetur l. *Si quando*, C. de Inoff. testam. c. 1. & C. de Inoffi. dot. l. *Præcipimus*, in fine, & C. de Appell. c. 1. de Noui oper. nunt. & cap. *Cùm expediat*, de Elect. in 6. Et ita tenent Rom. cons. 4. visis num. 5. & Portell. verb. *Lex*, num. 15. qui affert hanc rationem, quod in dubio pro possidente iudicandum sit; cùmque ius illarum constitutionum possideret antequam ius Tridentini existeret, non credendum est, illud per hoc reuocatum esse.

Dices 1. Episcopus ex vi illarum constitutionum non habet facultatem suspendendi Regulares à prædicatione, sed ex Tridentino (vt sæpiùs congregatio Cardinalium declarauit) illam habet: ergo cùm illud quod continet Tridentinum, sit contrarium

dispositioni earumdem, dictam dispositionem reuocabit. Respondetur, sacram Congregationem sæpius declarasse vt suprà, non in vi dispositionis cap. 4. sess. 24. videlicet, *Nullus regularis prædicet, contradicente Episcopo*, quoniam huiusmodi declarationes ex dictis verbis minimè colligi possunt: neque ex contrarietate dispositionis illius capitis cum dictis constitutionibus, sed tantum ex dispositione cap. 2. sess. 5. eiusdem Tridentt. in qua expressè habetur, vt possit Episcopus suspendere regulares in tribus casibus, de quibus inferius agendum erit.

Dices 2. hæc omnia sic se habere in regulari, dum prædicat in propriis Ecclesiis, sed non dum prædicat in alienis: nunquam enim præfatæ constitutiones facultatem concedunt regulari, vt *contradicente Episcopo* prædicet in Ecclesiis alienis. Respondetur prædicta iura, testimonia, rationes & constitutiones concludere de regulari prædicante in Ecclesiis tum propriis, tum alienis, extra tempus quo Episcopus prædicat, aut prædicare facit, *ipso etiam contradicente*, si prius licentiam prædicandi obtinuerat, aut legitimè præsentatus irrationabiliter recusatus fuerat: quoniam vt in principio huius propositionis suppositum est ex tribus Pij V. constitutionibus, semel admissus pro prædicatione, semper & in perpetuum admissus est; admittitur autem Regularis ad prædicationem per legitimam superioris coràm Episcopo præsentationem, siue ille prædicandi licentiam concedat, siue non. Accedit, quòd ex prædicta bulla Pij V. quæ inchoatur, *Etsi Mendicantium*, expressis verbis constat, quòd prædictum decretum cap. 4. sess. 24. non comprehendit Mendicantium Ordines regulares.

Obiicies 3. *Si contradicente Episcopo*, regularis prædicare potest, vt supra, erit potestas parochi maior quàm Episcopi; cùm illo renuente, & contradicente non possit regularis in sua Ecclesia parochiali prædicare: hoc autem absurdum esse manifestum est ex eo, quòd Hierarcha maior potest eminenter, quod potest Hierarcha minor. Hæc difficultas facilè soluetur, si dicas, facultatem contradicendi prædicationi à regulari faciendæ, esse diuersimodè concessam Episcopo, in sua vniuersa Diœcesi in certis casibus, vt quando ipse vult prædicare, aut coram se facere prædicare: Parocho verò in sua parochia, quoties voluerit, cuius tamen contradictio est subordinata imperio Episcopi: ita vt si contradicat Parochus prædicationi faciendæ à regulari in sua parochia, & velit Episcopus, vt regularis in ea parochia prædicet, tunc nonobstante contradictione Parochi, poterit prædicare. Ac sic apparet, quòd potestas Episcopi est superior, & maior potestate parochi quoad hoc, cùm possit eneruare contradictionem parochi: quod autem Episcopus extra casus prædictos non possit contradicere, & tamen hoc possit parochus, nõ arguit maiorem potestatem. Sed tantùm quòd habeat illam contradicendi facultatem, donec illi in hac facultate contradixerit Episcopus, cui ablata est potestas contradicendi omni tempore in vniuersa sua Diœcesi ob Christianæ Reipublicæ bonum; posset enim Episcopus maleuolus, si haberet absolutam potestatem contradicendi, retrahere regulares à prædicationibus faciendis cum damno animarum, ac etiam fidei, si malè sentiret de fide.

Obiicies 4. saltem Fratres Minores non poterunt *contradicente Episcopo* in sua diœcesi prædicare, cùm hoc in eorumdem regula expressè prohibitum habeatur cap. 9. Respondet Nicolaus III. in expositione regulæ in iure inserta his verbis: *Verùm quia expressè continetur in regula (quòd Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum) nos in hoc & deferentes regulæ, & nihilominus authoritatem Apostolicæ plenitudinis conseruantes: Dicimus, quòd prædictum verbum ad literam sicut Regula ipsa protulit, obseruetur: nisi per Sedem Apostolicam circà hoc pro vtilitate populi Christiani sit concessum, vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur, seu etiam ordinetur.* Ex quibus videre est, quòd illud præceptum non fuit absolutè à Sede Apostolica approbatum, sed dependenter à dispositione eiusdem sedis, quæ cum aliter expresse pro Minoribus disposuerit (vt supra probatum est) non est contra eorumdem regularem; si *contradicente Episcopo* in sua Diœcesi, sicut alij regulares, prædicent: cum ad hoc habeant Apostolicam dispositionem, sitque regula Minorum, sicut & aliæ regulæ, quæ non obligant, nisi eo modo, quo à sede Apostolica sunt approbatæ. Ex quibus satis apertè con-

Digitized by Google

Ex quibus satis apertè concluditur, regularem posse in Episcopatu Episcopi prædicare, etiamsi ipse contradicat, dummodò non prædicet, quando ipse prædicat, vel prædicare coràm se facit, nisi in quatuor casibus quos enumerat Benedict. XI. e xtr. *Intercunctas*. Primus est in studiis generalibus diebus illis dumtaxat, quibus ad clerum sermones fieri solent solemnitet. 2. In funeribus mortuorum. 3. In eorumdem Fratrum festis specialibus, & peculiaribus. 4. In suis Ecclesiis, & plateis. In quorum tribus primis possunt in prædicationibus cum diœcesanis licitè concurrere, ac etiam in 4. si Diœcesani non prædicent, aut faciant coràm se solemniter prædicari.

Quæres, quid fiet si multi regulares diuersorum Ordinum concurrant vna, & eadem die, & hora ad prædicandum in plateis, vnde scandalum apud sæculares generetur? Respondetur, in hoc casu recurren dum ad Prælatos eorumdem, quòd si in promptu non prouideant, vel absint, & sic prouidere non valeant, tunc poterit prouidere Episcopus, & illis prohibere prædicationem illa hora faciendam cum scandalo; nam in hoc casu & in aliis, vt alibi diximus, redintegratur in suum pristinum ius.



CAPVT IV.

SI IN ALIQVIBVS CASIBVS SVBDATVR PRÆDICATOR REGVLARIS castigandus ab Episcopo, necne?

PROPOSITIO I.

POsito quòd Regularis contradicente Episcopo teneretur abstinere à prædicatione, vt in certis casibus tenetur, non posset tamen (vt nec in illis certis casibus iam potest) Episcopus illum sic prædicantem castigare.

Hæc propositio licet fuerit in genere sufficienter probata in tract. de priuilegio Exempt. nihilominus probanda venit, vt nihil in hac materia relinquatur intactum; Ac 1. sic argumentor. Si hoc posset Episcopus, hanc facultatem haberet à Tridentino. vbi receptum est, quod dat ei facultatem, vt possit prohibere Regulari ne prædicet: sed ex sacræ congregationis declaratione relata à Barbosa allegatione 76. nu. 24. & à Quaranta verb. *Priuileg. Regul.* à Campan. decis. 13. n. 10. & à Praxi Episcop. verb. *Excomm. causa mat.* §. 4. manifestè constat, quòd ex eo, quòd à Concilio datur potestas Episcopo aliquid prohibendi Regularibus, non illi datur potestas illos castigandi in casu inobedientiæ; ergo etiamsi à Concilio Episcopo detur facultas prohibendi Regulari, ne prędicet, non datur illi ex eo, vt illum prædicantem castiget. Nam vt bene distinguit Sanches de Mattim. lib. 7. quæst. 33. nu. 3. concessa iurisdictione conceduntur subinde ea, sine quibus explicari non potest; nisi per speciale priuilegium sit ligata potestas per aliquam specialem pœnam; vt contingit in casu nostro, in quo manus Episcopi per priuilegia ligatæ sunt, vt non possint regularem castigare, nisi in casibus expressis. Probatur 2. propositio, quoniam sub Concilij Trident. præcepto, videlicet vt *Nullus præsumat prædicare, contradicente Episcopo*, comprehenduntur alij Episcopi, & Archiepiscopi extra suum territorium, contradicente Episcopo loci prædicantes, vt tenent Riccius tom. 2. decis. 180. nu. 5. Barbosa alleg. 75. n. 3. Praxis Archiepisc. nu. 58 Gratianus discept. 393. nu. 9. Sed dicti Episcopi, & Archiepiscopi contradicente Episcopo loci non sunt subiecti castigationi per dictum Episcopum loci faciendæ, quoniam priuilegio gaudent, quo, ratione

Digitized by Google

delicti non fiunt subditi, vt tenet Auila de Censf. 2. p. chp. 3. disp. 2. dub. 6. qui ad hoc citat Tabiennam verb. *Excom.* 4. num. 2. & Armillam. verb. *Excom.* num. 29. Ergo nec Regularis prædicans contradicente Episcopo fit castigationi illius subditus; cùm habeat ad hoc priuilegium, vt probarum fuit in dicto tract. de Priuilegio Exempt. Probatur 3. quoniam si prohibendi potestatem sequeretur potestas castigandi, posset Curatus Regularem ipso contradicente prædicantem castigare; cùm Pontifices dent Curato facultatem prohibendi Regulari, ne in sua parocha, ipso contradicente, prædicet; sed non potest curatus Regularem ipso contradicente prædicantem castigare, vt manifestum est; ergo nec Episcopus potest. 4. Quia iuxta cap. *Ne Sede vacante*, & glossam ibi lit. C. quod non inuenitur concessum, expressè intelligitur esse prohibitum: sed non est expressè concessa illa facultas Episcopo castigandi regularem: ergo censetur illi denegata.

Nec obstant 1. veritati huius propositionis capita, *Præterea*, & *Sanè*, de Offic. & potest. Iud. deleg. quoniam non loquuntur de illis qui sunt priuilegiati, sed de aliis non priuilegiatis, fueruntque dicta capita reuocata ab Innocent. IV. in cap. *Licet*, de Officio vic. in quo determinatur, *Quòd in generali iurisdictione delegata concessa ad mandata facienda, & causas ventilandas, non intelligitur concessa iurisdictio corrigendi; & puniendi excessus; nisi specialiter hæc committantur*; vt probatum est in dicto tract. de Exempt. priuileg. Accedit, quòd caput *Præterea*, declarat, quòd per simplicem concessionem potest delegatus citare, contumacem punire, & reliqua facere quæ spectant ad causam; caput verò *Sanè* declarat, quòd Iudex delegatus à Papa in causa sibi commissa, iurisdictionem habet super ordinarium, & quemcumque maiorem; ac proinde illa duo capita nihil faciunt contra propositionem nostram; cùm causa iudicanda contra Regularem prædicantẽ Episcopo cõtradicente non sit vllo iure commissa.

Non obstat 2. cap. *Excommunicamus*. §. *Quia*, de Hæret. in quo omnes qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem a Sede Apostolica, vel Catholico loci Episcopo susceptam, publicè, vel priuatim prędicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodantur, vel nisi quàm citiùs resipuerint, alia competenti pœna plectantur. Non obstat inquam, quoniam illud caput non loquitur de Regulari, sed de sæculari, vt aduertit glossa lit. L. 2. Posito quòd etiam regularem comprehendat, dicta Clementina *Dudum* illud reuocauit, dando facultatem regulari vt prædicare possit cum sola sui Prouincialis, aut Generalis licentia; quam facultatem Concil. generale Lateran. V. anno 1316. confirmauit. Quod etiam Pius V. similiter fecit tribus constitutionibus allegatis superiùs in propositione, quòd possit regularis prædicare, contradicente Episcopo: in quibus dicitur, quòd irrequisito Episcopo regularis prædicare potest. 3. Quia etiam Clemens IV. & Alexander V. illud caput, *Excommunicamus*, reuocarunt, cùm Regularem ab Episcopo excommunicari, suspendi, & interdici non posse concesserint, vt superiùs ostensum fuit. 4. Ad hanc censuram incurrendam requiritur, vt Prædicator prædicet (sicut verba illius capitis habent) pręter auctoritatem à Sede Apostolica, vel Catholico loci Episcopo susceptam: ergo ad hanc vitandam, sufficit vt Prædicator habeat; vel licentiam ab Episcopo, vel à Sede Apostolica: nec vtraque requiritur, sed vna illarum sufficit, cùm particula illa, *vel*, ostendat alterutrum ex dispositis sufficere, vt tenet Baldus consil. 410. §. *In causa*; Ægidius con. 2. num. 7. ex L. *Si ii qui durante*, §. *Vtrum*. ff. de Rebus dubiis. Nec prodest dicere, quòd licentia Apostolica sufficit, dummodò non contradicat Episcopus; quoniam sic non sufficeret alterutrum ex dispositis, cùm vtraque licentia foret necessaria: ac ex consequenti clausula *Vel*, esset frustratoria. Ergo cùm prædicator regularis prędicat per auctoritatem Apostolicam, nõ potest illius capitis excommunicationem incurrere. 5. Etiamsi hanc censuram incurreret regularis, quæ est latę sententiæ, & à iure, vt hæc verba testantur, *Excommunicationis vinculo innodentur*, non posset Episcopus quidquam ex vi illius in regularem. Dices, posset illum denunciare nominatim excommunicatum: Respondetur, non posse ab Episcopo regularem denunciari excommunicatum, licet excommunicationem à iure incurrerit, vt probatum est in tract. de Priuil. Exempt. & tenent Zerola in Praxi Episcop. p. 1. verb. *Excomm. mat.* in fine, Nauarr. cons. 2. cap. 4. limit. 2. nu. 7. Boer. cap. vlt. *Ne clerici vel Mon.* num. 2. Cokier tom. 1. p. 1. quæst. 45. num. 39. Diana 3. p. tract. 2. resol. 35.

quia non potest quis declarari quòd incurrexit excommunicationem, nisi ante citetur ad videndum se declarari; sed Regularis non est subditus ad comparendum coràm Ordinario, cùm ipsi non sit subditus ratione delicti aut contractus, vt suprà in eodem tract. probatum est; ergo non potest ab Episcopo declarari excommunicatus. Ex quibus omnibus manifestè puto concludi, Regulares ex Ordinibus Mendicantium, ac similiter alios eorumdem Priuilegiis participantes, non posse ab Episcopo castigari, si in ipsius diœcesi, eodem contradicente, prædicent.

PROPOSITIO II.

NOn potest Episcopus Prædicatorem Regularem, etiam in casibus à iure expressis, à prædicatione suspendere, aut suspensum declarare.

Notandum est 1. ex Concilio Later. V. sub Leone X. prædicatorem ipso facto in tribus casibus à prædicatione esse suspensum, his verbis: *Et vt eorum exemplo alij attentare similia minimè audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuò decernimus.* Primus illorum casuum est, *si prædicet miracula falsa, aut incerta.* Secundus, *si prædicet prophetias, quæ in sacra Scriptura fundamentum non habent, aut à Sede Apostolica non sunt approbata; aut saltem ab Ordinario ad hoc trium, aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, si tempus ad dictam sedem accedere non permiserit.* Tertius est, *si prædicando, de Episcopis, vel de suis Prælatis detrahat,* qui etiam casus habetur in Clementina, *Religiosi.* §. *Quibus etiam*, de priuileg. & excess. priuilegiat. Super quo glosa sic loquitur, *intelligo autem hanc literam, cum nominatim detrahunt, vel per circumlocutionem, quæ vim habeat proprij nominis, aliàs in genere bene liceret Prædicatori tangere vitia Prælatorum; vnde Dominus dixit, super cathedram, &c.* 2. Notandum est, quòd sunt tres alij casus ex Tridení. cap. 2. sess. 5. in quibus regularis ab Episcopo tanquam à Sedis Apostolicæ delegato suspendi potest, licèt de facto non sit suspensus. Primus est, *si prædicet propositiones erroneas*: secundus, *si prædicet propositiones scandalosas*: tertius, *si prædicet propositiones hæreticas.*

His positis, probatur propositio, quia vt suprà vniuersaliter ostendimus in proximè dicto tract. non potest Episcopus citare, & processum contra regularem facere, etiam ratione delicti extra Monasterium commissi: ergo illum regularem (de quo nostra propositio) non potest pœna suspensionis castigare; vel declarare, quòd dictam pœnam incurrerit, cùm ad hoc agendum, citatio & processus confectio (quę duo sunt actus iurisdictionis, qua caret Episcopus) requiruntur. Et confirmatur: nam vniuersaliter exemptus, non potest ab Ordinario vlla pœna castigari: regularis autem est vniuersaliter exemptus ab Ordinario, vt in eod. tract. probatum est, & inferiùs ostenditur; ergo non potest ab Ordinario vlla pœna castigari: ergo nec hac pœna suspensionis. Accedit, quòd Tridentinum non habet clausulam priuilegiorum reuocatoriam: sed tantùm prætensionem eorumdem, ac propterea vera priuil. non excludit.

Obiicies 1. Ergo decretum Tridentini quod hanc pœnam ab Episcopo imponendam relinquit, erit superuacaneum, & absque effectu. Respondetur, non esse tale, cùm suo effectu potiatur in regularem non Mendicantem, si priuilegiis Mendicantium non participet: In Mendicantem verò nullum effectum sortiri potest ex constitutione Pij V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, in qua querelæ Mendicantium eidem præsentatæ continebant videlicet, *quòd Episcopi in vi decretorum Tridentini eos citabant, & contra ipsos processus faciebant, incarcerabant, & denique prohibebant superioribus eorumdem, ne processus contra delinquentes subditos facerent, illos sub sua protectione recipientes*; quocirca prouidendo. Pontifex Trident. interpretatus, Episcopis prohibuit de cætero prædicta attentare: sed ea omnia suis superioribus facienda relinquere, adhibita clausula nonobstantiæ dicti Tridentini, aliorumque Conciliorum generalium, & Prouincialium, vt expresè declarat nu. 26. his sequentibus verbis, *Quoniam verò ex nimia Episcoporum sibi arrogata authoritate, ipsi personas regulares suæ iurisdictioni subiicere omninò student, ac decreto Concilij sess. 25. cap. 14. edito, quo cauetur, quòd si Regularis intra claustra existens, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scan-*

Digitized by Google

dolosus sit, termino ab Episcopo præfigendo à suo superiore omninò puniatur; sin minus ab ordinario delinquens puniri possit, confisi, variis indebitisque grauaminibus regulares afficiant: Ordinarios præfatos aliquid contra regulares in claustris degentes huiusmodi, quouis prætextu, occasione, vel causa innouare non posse, vel debere: nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare, aut facere posse volumus; nisi propter manifestum scandalum, & suorum Ordinum superioribus priùs consultis, & negligentibus. Hæc Pontifex: In quibus vides, huiusmodi regulares per Tridentinum declarante Pio Pontifice à correctione, & punitione Episcopi, *in quauis occasione & causa*, eximi. Et hujus sententiæ in simili materia ex eisdem terminis proximè positis sunt Suar. in 3. par. tom. 5. sect. 5. nu. 12. & Francisc. à S. Iosepho de Authoritate Guardianor. ad dispensandum. num 5.

Instabis, hos terminos comprehendere, non illos casus in iure & Tridentino insertos, sed tantùm omnes alios; quoniam illa verba nimis generalia sunt, quæ ad eos extendi non debent, iuxtà tritam regulam, *in generali concessione non veniunt eà*, &c. Respondetur, debere sic intelligi; quia hæc regula explicanda est, quando verba concessionis sunt tantùm generalia, non autem quando illi adiunguntur alia verba admodum vniuersalia, vt sunt *quauis occasione & causa*, quæ iuxtà glossam quandam in Clement. 1. de Re iudic. comprehendunt maiora expressis: estque illa dictio *quauis*, signum vniuersale amplians dispositionem: & hanc glossam vt singularem commendant Panormit. 1. part. Concil. cons. vltim. num. 5. & Barbatia in cap. 3. de Probatione.

Instabis iterum, quòd Episcopus potest regularem hæreticum denunciare; cùm ei à iure concedatur; ac propterea eum in hoc castigare. Respondetur sicut responsum est in tractatu de Exempt. & huic responsioni addo, quòd exemptioni ab Inquisitoribus factæ Minoritis à Clemente & Sixto IV. Innocentio VIII. & Leone X. accessit concessio Pauli III. inchoata, *Romani Pontificis prouidentia*, confirmatiua illius exemptionis, quam confirmando priuilegia regularibus ab eisdem Leone X. & Paulo III. concessa, etiam confirmauit Pius V. eadem citata bulla: Episcopus autem non tanta pollet facultate in regularem per ordinem ad illud crimen, quanta Inquisitores; cùm tamen Episcopus ab Inquisitoribus citari, & cogi ad coràm se comparendum, & ab eisdem moneri possit, iuxtà eiusdem Pij bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex*: ergo sicut illi non possunt, ex dicto priuilegio castigare regularem, sic nec Episcopus; ergo nec etiam denunciare regularem hæreticum; licèt antiquo iure id posset, quod per dictum priuilegium, & alia huiusmodi sublatum est.

Nec obiiciendus est Felinus à quibusdam in contrariam sententiam citatus in cap. *Non potest*, de Sentent. & re iudic. num. 3. Qui videtur existimare Episcopum posse denunciare regularem excommunicatum, & ad hunc effectum illum citare; saltem extra iudicialiter: nam præter quòd hic Iurisconsultus, qui viuebat anno 1500. ignorabat regularia priuilegia, sicut illi quos citat, citationem regularis & castigationem ipsius expresè prohibentia, bulla præcitata à Pio V. ampliata, & explicata; suam sententiam in cap. *Præterea*, de Offic. deleg. fundat. quòd nullatenùs loquitur de exemptis: sed de non exemptis, vt legenti patebit.

Nec instandum quòd declarare non est quid noui facere, quia contrarium ostendimus in tract. de Exempt. illudque pertinere ad proprium superiorem, & esse iurisdictionis actum, sicut & citationem: sine qua declaratio huiusmodi fieri non potest iuxtà glossam in Clement. II. de Censibus verb. *Consisterit*, & in Clement. II. de Pœnis, eodem verb. Ac propterea sicut iuxta eumdem Felin. & Butrium & Abbat. quos citat, concilium non potest Episcopum, quia exemptũ, condemnandũ dicere, vel condemnare; sic nec Episcopus regularem: quia sicut non potest propter hæresim à regulari exempto contractam, illum excommunicare, sic non potest excommunicatum declarare.

Obiicies 2. si Episcopus non potest in vllo casu regularem à prædicatione suspendere, sequitur, sacræ congregationis Cardinales sæpiùs in suis declarationibus errasse: sed hoc de tantorum virorum cœtu minimè asserendum est: ergo potest regularẽ, saltem in prædictis sex casibus, à prædicatione suspẽdere. Sequela primæ propositionis probatur, quoniam Eminentissimi illi iudices sæpiùs declararũt, Episcopũ pos-

Digitized by Google

se regularem à prædicatione suspendere. Huic obiectioni, quæ videtur magnam habere vim, posset responderi, sicut sæpè alibi responsum est, videlicet esse doctorum illorum sententiam, non verò legem; duplici tamen responsione satisfiet dicendo 1. illos iudices id declarasse, non de omni Regulari, sed de illo qui non est ex ordinibus Mendicantium; alioquin contra mentem Pij V. superiùs explicatam iudicassent, quod de illis nequaquam sentiendum est. Vel dicendum 2. posito quòd in genere de Regulari loquuti fuerint, id arbitratos fuisse in vi decreti cap. 2. sess. 5. Trident. nulla facta mentione prædictæ constitutionis, seu declarationis Pij V. huiusmodi decreto expressè (si contrarium sit) deroganti, vt suprà ostensum est; quoniam de intelligentia illius constitutionis non fiebat quæstio, sed tantùm de intelligentia prædicti decreti, ideò non mirum est, si ita declarauerint eminentissimi Iudices.

Quòd si quis, his duabus responsionibus minimè contentus, dixerit, quòd absolutè id declarauerint de omni Regulari consideratis & perpensis ipsius priuilegiis, de quo tamen non constat; respondebitur, quòd quotiescumque duæ declarationes, aut decreta sibi inuicem pugnant, præferendum illud quod à maiori iudice pronunciatum est: cùm ergo constet ex prædicta declaratione, & constitutione Pij V. cum derogatione Tridentini, Regularem non posse à prædicatione per Episcopum suspendi, præferenda sine dubio illa sententia iudicio illorum Eminentissimorum iudicum, quorum est Conciliorum, & Summorum Pontificum decretis, & declarationibus inuiolabiliter inhærere, nec ab illis deflectere nisi de assensu Pontificum, cum derogatione contrariorum decretorum, & declarationum: quod cùm in prædictis decretis factum minimè fuerit, existimandum est, illos noluisse iuri Regularium in hac parte derogare, sicut nec Pontifices, cùm similia decreta approbãt, & promulgare iubent.

Petes, quid fiet de hæresim prædicante, si ipse sit superior, aut si non sit talis, si superior ipsius non possit conueniri, nisi cum damno Ecclesiæ notabili, aut nolit ipse prouidere? Resp. sicut alibi, tunc temporis Episc. iurisdictionem in illum regularem ablatam restitui, ac proindè posse illum castigare, vt supra ex Pij V. declaratione patet.

PROPOSITIO III.

POsito quòd Prædicator Regularis subderetur Episcopo in prædictis sex casibus, pœnâ suspensionis à prædicatione castigandus, non tamen posset in aliis casibus illum suspendere.

Hæc propositio probatur 1. quia cùm Episcopus Regularem suspendit, illud non ex ordinaria, sed ex delegata iurisdictione facit, vt Tridentinum sess. 5. cap. 2. declarat his verbis, *quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat*; quæ cùm sit iuris communis correctiua (regularis enim facultatem habet ex ipso prædicandi etiam independenter, ab eodem Episcopo etiam contradicente, vt suprà probatum fuit) proculdubio odiosa & pœnalis est iuxta cap. 1. de Offic. del. in 6. & tenet Rota decis. 30. part. 2. Ergo ad alios casus, qui in dictis conciliis non exprimuntur minimè se extendit: & ex consequenti hæc iurisdictio delegata Episcopi ita restringi debet, vt non se extendat ad ea, quæ in commissione non exprimuntur, vt tenet Gaspar. Thesaur. decis. 3. Riccius decis. 124. nu. 5. part. 1. ergo Episcopus non potest in aliis casibus Regularem à prædicatione suspendere; & ideò in dicto Tridentini capite monentur Episcopi his verbis: *Curent autem Episcopi, ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniosè vexetur, iustam ve de eis conquerendi occasionem habeat*: quasi concilium diceret, in tribus dictis casibus potest Episcopus regularem à prædicatione suspendere, & in eisdem potest Regularis iustè de illo conqueri, si vexetur. Et ad hoc propositum decisionem congregationis referunt Hieron. Rod. resolut. 1ta. nu. 10. & Portel verb. *Prædicator*, nu. 8. his verbis, *hos & quoscumque alios prædicatores ab antecessore suo approbatos, à prædicatione poterit suspendere Episcopus: attendant tamen Episcopi, propter quas causas id imperent; volumus namque, quòd si illicitè iusserint, ad ius liis deferatur, & interim cessent.* Ex quibus videre est 1. posse regularem in prædictis casibus iustè contra Episcopum conqueri. 2. Debere Episcopum appellationi, seu querelæ à Regulari super hoc factæ deferre.

Probatur 2. Quoniam quod non inuenitur in iure expressum, intelligitur esse prohibitũ, iuxtà glossam in cap. *Pastoralis*, vers. *Expressè*, de Appellat. & multò magis hoc axioma verum est, cùm agitur de Exemptis, & in odiosis & pœnalibus, vt sunt casus de quibus agimus: ergo si in concilijs non exprimitur, quòd Episcopus possit declarare causas legitimas ad suspendendum regular. à prædicatione, id non potest, nec habet iurisdictionem id agendi: imò intelligitur, ei esse prohibitum, cùm præsertim concil. illas causas ad suspendendum declarent; quæ declaratio esset superuac. si facult. illas causas declar. esset in Episc. arbitr. Et confirmatur, nam quoties pœna in iure expressa reperitur, non potest Iudex vice illius aliã imponere, vt patet ex c. *De causis*, §. *Illis autẽ*, de Offic. deleg. ergo nõ potest Epis. decl. causas legitimas ad susp. regularem à prædicatione, cùm illæ causæ expressæ reperiantur in Iure.

Probatur 3. Quoniam si foret aliqua causa vltra sex prædictas à Conc. general. expressas, illa esset, cùm regularis vbiq; prædicat, non habita licentia ab Episc. sed illa non est legitima, ergo nulla alia potest inueniri, propter quã possit Episc. regular. à prædicat. suspendere.

Prima propositio certa est, secunda probatur ex decreto sacræ Congreg. relato à Barbosa alleg. 76. nu. 24. & à Farinacio ad cap. 2. sess. 5. Trident. de Reform. his verbis: *Congregatio Concilij censuit, Regulares qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesijs, quæ eorum Ordinum non sunt, tametsi decreto eiusdem Conc. sess. 5. cap. 21. contra fecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum à suis superioribus regularibus.* Quod decretum cum alijs priuilegijs confirmauit Vrbanus VIII. per bullam subdata 13. Maij 1628. quæ bulla reperitur in quodam libello autenticato, & impresso, de mandato Eminent. Cardinalis Pamphilij, tunc in Hispania Nuncij Apostolici, nunc autem summi Pontificis, Innoc. X. Ergo non potest Episcopus in alijs casibus ab illis sex prædicatorem Regularem à prædicatione suspendere, posito, sed non concesso, quòd possit illum suspendere.

Dices, quomodo prædicta possunt stare, cùm vt suprà in præcedenti propositione dictum est, sæpiùs congregatio declarauerit, Episcopum seu Ordinarium posse Regularem à prædicatione, iusta existente causa, suspendere, absque limitatione ad aliquam causam particularem, ac propterea, videatur sequi, quod iudicium causæ sufficientis ad suspendendum Regularem, ad Episcopum spectet. Sed hæc difficultas facilè soluitur, si dicatur, quod tunc temporis iudicium de causa iusta ad Regularem suspendendum ad Episcopum apparenter spectare videretur, si concilia causas non expressissent; sed cùm expresserint, ideò iuxta dictum caput *De causis*, hoc iudicium ad Episcopum minimè pertinet. Imò ex eo quòd sacra congregatio non exprimit iustas causas illius suspensionis, reputatur casus omissus, qui relinquitur dispositioni Iuris per legem *Commodissimè*, ff. *de Lib. posth.* Et sic dicendum est, quòd per illas iustas causas ad suspendendum, intelligantur illæ sex in concilijs expressæ: maximè cùm simus in odiosis & pœnis, quæ non sunt dilatandæ ad casus non expressos, imò potiùs restringendæ, iuxtà glossam in cap. 1. *De pœnis*, vers. *Casus*, & iuxta cap. *Vbicumque*, de Pœnis in 6.

Multa de censuris aduersus prædicatorem regularem à Iure & ab homine, non tamen ab Episcopo, latis aut ferendis, hîc adjici possent; sed quoniam hæ priuilegia non sunt, ideo disceptatio de illis ad tractatũ de Iudice regulari (si Deus dederit) prælo dare remittimus: sicut ad tractatus in Hierarchia Ordinis, quædam alia illius priuilegia, quæ cum alijs regularibus sunt communia, quæque in hierarchia Iurisdictionis propriè non habent locum; vnum duntaxat priuilegium ad dictam Iurisdictionis hierarchiã hîc apponentes; videlicet, quòd prædicator regularis prædicans quocumque anni tempore, potest cõcedere suis auditoribus 18. annos, ac 320. dies Indulgentiarum; extra verò suas Ecclesias vltrà dictos 18. annos 222. dies tantum. Tempore verò Quadragesimæ prædicans in suis domibus feria 2. 4. & 6. 156. annos, & 24. dies. Et hæc ex varijs priuilegijs Pontificum concessis prædicatori Dominicano, & Minoritæ, quę videre poteris in Cõpend. priuileg. Mendic. verb. *Indulg. quoad sæculares*, in quo sicut in cæteris priuilegijs regularis alterius Ordinis communicat; Debet tamen prædicator illas indulgentias expressè concedere nomine suæ Sanctitatis, aliàs auditores illas non lucrantur. Ita Hieron. Roder. in Compend. QQ. RR. resol. 112. n. 20. & resol. 77. n. 59. Portel in Dub. regular. verb. *Prædicatores*, n. 15. Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. q. 50. an. 2. Diana tr. 4. Miscell. resol. 22. Casarub. in dicto compendio, & alij. Videat Antiregularis exprobatis in hoc tractatu, si Prædicator regularis à Hierarchia Iurisdictionis est excludendus; an verò in illa locandus.



PRIVILEGIA
REGVLARIVM.
PARS SECVNDA:
IN QVA AGITVR
DE PRIVILEGIIS IN ORDINIS HIERARCHIA, REGVLARIBVS CONCESSIS.

TRACTATVS VII.

PRÆLVDIVM.



LIQVIS fortaßè mirabitur cur priùs de priuilegijs ad Iurisdictionis Hierarchiam spectantibus, quàm de illis, quæ sunt Hierarchiæ ordinis egerimus? cùm sicut potestas iurisdictionis suam originem ab Ordinis potestate trahere creditur: sic quoque Hierarchiam iurisdictionis à Hierarchia Ordinis; ac proindè priuilegia illius ab huius priuilegijs omninò pendere, necesse videatur. Verùm meritò mirari desinet, si consideret primo iurisdictionis potestatem sæpißimè præcedere potestatem ordinis, vt in electo ad supremum Pontificatum nondum Sacri ordinis charactere decorato; ac propterea argui vnam ab alia intrinseca connexione & prioritate minimè pendere.

Secundò vtramque Hierarchiam ab vtraque potestate maximè differre, licèt nomine conueniant: latiùs enim aliquando patet potestas Iurisdictionis Hierarchia Iurisdictionis, & potestas Ordinis Hie-

rarchia Ordinis: & licèt amba ha Hierarchia per respectum ad diuerta obiecta se mutuò superent, se tamen inuicem sapiùs comitantur: actúsque vtriusque ab vtraque simul imperentur; ita vt vnus & idem sape sit vtriusque actus, cum ea tamen conditione, vt Hierarchia Ordinis quod exercitium ab Hierarchia Iurisdictionis potiùs pendeat, quàm hac ab illa; priùs enim concipitur Hierarcham in subditos iurisdictione pollere, quam illis ordines seruandos prascribere.

Tertiò & vltimò, priuilegia Hierarchia Ordinis, supponere vt plurimùm ea qua sunt Hierarchia iurisdictionis; ac proindè ordinem debitum seruando de priuilegijs in prima parte exploratis priùs agendum erat, vt egimus, quàm de illis, qua ad Hierarchiam Ordinis spectant: de quibus in hac secunda parte agemus, ac primo in hoc 7. tractatu de illis, qua quasdam facultates solis Episcopis, iure communi antiquo debitas, regularibus impartiuntur.



Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

DE NATVRA ET DIFFINITIONE HIERARCHIÆ

ORDINIS IN QVA REGVLARES LOCVM HABENT: necnon de Facultatibus Prælatis eorumdem concessis quoad sacrorum Ordinum, per suos subditos Regulares suscipiendorum.

PROPOSITIO I.

Hierarchia Ordinis est Ordo sacer ad diuini cultus ministerium Hierarchica consecratione destinatus, per sanctificationem ad diuinitatis similitudinem adducens: & ad eam pro rata & proportionaliter ascendens.

Hæc veritas explicatione terminorum constabit. Genus & finis illius diffinitionis sunt communia cum genere & fine Hierarchiæ iurisdictionis: est tamen aliqua priuata Ordinis in ordine necessitas, quam in alia auctores minimè postulant; Nam Dionysius cap. 5. Eccles. Hier. hanc Hierarchiam describens vult quod inordinatum est indigestum & confusum sine vlla communione, atque admixtione improbare & excludere. Quod autem digestum est, quod ordinatum, quod bene dispositum cum rationem suorum ordinum habeat, ostendere. Neque quicquam grauius in Demophilo epist. VIII. ad eumdem reprehendit, quam quod contra ordinem sacra contigerit, & in valuas sacras ingressus sit, Apostoli quoque constitutiones suas eo claudunt præcepto Constit. Apostol. lib. 8. cap. 46. vt *vnus quisque in ordine sibi dato maneat: neque transeat regulas; neque fas sit Diacono sacrificium offerre, aut baptizare: neque Presbytero ordinationes Clericorum facere: siquidem non licet ordinem inuertere, cùm non sit Deus dissensionis.*

Differentia verò huius diffinitionis ab his verbis incipit: *ad diuini cultus ministerium*: nam Deus prima Sacramentorum causa, Pontifices autem & Sacerdotes se tantum ministros illius profitentur, qui verè ministri baptizant, absoluunt & vngunt: inferiores autem Clerici longè apertiùs ministerium exhibent, aut sacrificium opera sua promouendo, aut precibus, aliisque sanctioris vitæ operibus Ecclesiam adiuuando, vt ab ea destinati: & ad tales actiones constituti; nam hæc est vis illorum verborum *Hierarchica consecratione destinatus*, in 1. enim parte huius operis ostensum est priuatam orationem strictè loquendo Hierarchicam non esse; sed illam publicam, quæ nomine Ecclesiæ fit à delegato per ipsam. Nam vt optimè notat Guillelmus Parisiens. lib. de Sacram. in ordine cap. 4. *Aliud est interpellare vt amicum, aliud vt Nuncium, & preces interpellationis afferre alienæ charitatis. Illud enim primum omnium est & singulorum Sanctorum: istud autem proprium est sacerdotum: ex offi-*

cio quippe sacerdotali sacerdos non preces suas, sed supplicationes Ecclesiæ vt eius ad eum inter nuncius, & mediator affert ex parte Ecclesiæ.

Itaque qui ad hoc non est à Hierarchis, vel potiùs à Deo & Ecclesia per Hierarcharum suorum ministerium, destinatus, ille dici non potest apud Deum internuncius ex parte Ecclesiæ, licet ad eum preces & supplicationes fundat.

Altera pars differentiæ in diffinitione allatæ medium exhibet, quoad finem tenditur, videlicet *per sanctificationem ad Dei similitudinem adducens*, quam distinguendam iudicamus vt intelligatur, triplicem sanctificationem ponendo, quæ non tam est sanctitas, quam eius donatio & perceptio.

Prima est illa, quam percipimus vel per Sacramenta: vel extra ea diuinæ gratiæ, & hominum ministerio cooperando: hæc autem propria sanctificatio nuncupatur, non verò Hierarchica, quæ Ecclesiam sanctificat; licet etiam aliquo modo illam sanctificet; quemadmodum venustum membrum corpus venustat; sanctificatione enim membri Ecclesiæ ipsa sanctificatur: cum in illius sanctificatione participet.

Altera sanctificatio est illa, quæ Ita tendit in alterum, vel Ecclesiam, vt de se tantum fit exterior: neque omni & stricta necessitate connexionem vllam habeat cum interiori sanctitate: quæ sanctificatio exterior dicitur: eaque præcisè in Hierarchis iurisdictionis sufficit: potest enim Episcopus nondum consecratus (licet peccato lethali constrictus) imperare Archidiacono, vt aliquem censuræ fulmine feriat, aut potestatem dare Sacerdoti absoluendi aliquem à censuris, quæ duo sunt actus iurisdictionis, & exterioris sanctificationis: potest inquam & validè & licitè, quia sanctificationem interiorem nondum ab Ecclesia accepit; non potest autem sacerdos contrariam ob causam licitè conferre Sacramentalem, absolutionem, dum est in peccato mortali.

Tertia sanctificatio est illa, quæ sic exterius prodit in alterum vt tamen interiorem sanctitatem requirat, sine qua nec licitè nec debito modo exercetur: & hæc est Hierarchiæ Ordinis sanctificatio: cui quàm necessaria sit sanctitas, hinc apparet quod Sacramenta per ministrum non debitè, nec licitè conferuntur, nisi ille sit sanctus & gratia præditus: peccat enim Diaconus, qui in peccato baptizat, Laïcus verò non peccat, quia ille, non hic ad hoc munus sanctificatus est.

Ex dictis patet diffinitio Hierarchiæ Ordinis, & quod distincta sit à iurisdictionis Hierarchia: necnon ab Ordinis Sacramento; licet illi, qui in ea reponuntur sint vt plurimùm eo insigniti, vt sunt illi, quos in Hierarchia existere declarauit Tridentinum sess. 23. can. 6. his verbis; *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris & ministris, anathema sit.*

Actus autem Hierarchici multiplices enumerantur, Guillelm. Parisiens. Lib. de Sacramen. in Ordine cap. 4. septem enumerat, dum sic scribit: *huius prima pars est Adoratio. 2. Collaudatio cum partibus suis, quæ sunt gratiarum actio, benedictio, & glorificatio. 3. est Purificatio propria 4. solemnizatio, seu festinatio; huius autem tres sunt partes propriæ, videlicet, apparatus ministrorum, ornatus templi, siue in parte, siue in toto, sacrarum cantionum celebritas. 5. est interpellatio, quæ propriè est intercessio pro alijs. 6. Sacrificatio. 7. Sacramentatio seu initiatio aliorum.*

Septem alios actus Hierarchicos enumerat idem auctor in Apolog. resp. 4. cap. 3. qui propriè ad pastores, vel ex delegatione eorumdem ad alios spectant: possuntque ad actus Hierarchiæ iurisdictionis vt plurimùm reduci, in quibus non immorer; cùm sit codex satis communis, in quo eos legere poterit. Quibus satis constat, qui sint actus Hierarchici Hierarchiæ ordinis.

Ex quibus omnibus manifestum existit Regulares in dicta Hierarchia includi, quia 1. sunt presbyteri & ministri ac si aliquid habent de potestate ordinis Episcoporum maximè Abbates, alijque Prælati. 2. quoniam enumeratos actus, aliosque quos D. Bonauentura recentet ex imperio Hierarcharum, aut saltem supremi Hierarchæ exercent: & ordinem sibi à Hierarchis traditum tenent, vt in decursu huius 2. partis apertè constabit.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

PRælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus literas dimissorias ad Ordinis ab Episcopo loci: & etiam à quolibet alio suscipiendos, absque dimissorijs Episcopi illius loci.

Licentiam, aut dimissorias, seu commendaritias literas Episcopi loci ad sacros ordines suscipiendos in aliena Diœcesi fuisse necessarias subditis tum sæcularibus, cum regularibus, euidenter constat antiquissimo iure, videlicet distinct. 71.72. & 73. (in qua vltima huiusmodi literarum forma ex determinatione Concilij facta opponitur) *Iure* posterieri a Lucio III. relato cap. *Ad aures de tempor. ordinat. prohibetur Episcopis, ne sine licentia Prælatorum regularium subditis eorumdem ordines conferant:* Postmodum Bonifacius VIII. vt scribitur cap. *Cùm nullus*, eod. tit. in 6. eamdem prohibitionem fecit, & specialiter Prælaris regularibus: *ne sine speciali sedis Apostolicæ priuilegio subditos ordinandos ad alienum Episcopum mitterent.* Qui etiam Bonifac. vt refertur cap. *Ininncta de elect. extr. idem quoad sæculares decernit, dum sic pronunciat, similiter Clerici ad alienam diœcesim sine suorum ordi tariorum literis venientes, nec in suis recipiantur ordinibus: nec ad superiores ascendant.* Nouissimè Tridentinum statuit, vt inferiùs dicetur.

His prænotatis nostræ propositionis prima pars probatur ex multis priuilegijs concessis varijs monasterijs ordinis S. Benedicti, ex quibus, alijs omissis, tria seligo: primum concessum fuit à Benedicto IX. Monachis S. Crucis ciuitatis Burdigalæ in prioratu B. Mariæ de Solaco, ab eodem monasterio S. Crucis pendente, commorantibus his terminis: *Damus quoque licentiam vobis, & vestris fratribus in monasterio sanctæ Mariæ de Solaco habitantibus, à qualicumque malueritis Episcopo omnia vasa sanctuarij ordinare, atque consecrare: & vestros Clericos, & chrisma accipiendi.*

Secundum priuilegium concessum fuit ab Innocent. III. monachis S. Dionysij in Gallia his terminis: *Ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad sacros ordines, fuerint promouendi, à quocumque malueritis suscipiatis Episcopo &c.*

Tertium priuilegium huic simile & penitus idem concessit præfatus Innocentius monasterio B. Magdalenæ Virgiliacensis his verbis, *Benedictionem Abbatis, Ordinationes monachorum & clericorum &c. à quo malueritis &c. suscipiendos &c.*

Quibus omnibus patet non esse recentioris beneficij opus, concessionem priuilegij, quo facultas fit prælatis dimissorias subditis, vt ordines ab Episcopo accipiant, licitè & legitimè conferendi. Verum veteribus his & alijs priuilegijs omissis ad recentiora quæ magis vigent priuilegia nobis est veniendum, inter quæ occurrit priuilegium ab Eugenio IV. monachis S. Benedicti concessum Bulla quæ incipit. *Etsi quaslibet* in qua expresse habetur. *Volumus & auctoritate Apostolica ex certa scientia statuimus, & decernimus, quatenus ipsius congregationis monachi præsentes, & futuri, omnes etiam sacros Ordines, ad quos per eorum superiores præsentati fuerint, à quocumque maluerint Catholico Antistite gratiam & communionem sedis Apostolica habentes, statutis à iure temporibus, absque aliquo dictorum monachorum examine recipere valeant, atque huiusmodi Antistites in dictis congregationis monasterijs, & locis aduocare, quibus Apostolica auctoritate absque alia licentia & conditione &c. monachos ordinare &c.*

Hanc quoque facultatem concessit Minoritis Alexander IV. Bullæ, quæ incipit, *Conuenit vt sacer.* in sequentibus inserenda: eamdem & Alexander VI. fratribus S. Hieronymi impartitus est, relatam in comp. priuileg. mendicant. verb. Ordines §.11. & successiuè regularibus Leo X. & Paulus III. Quorum concessionis, & quibus factæ fuerint videre poterit Lector in compend. priuileg. Ordin. Cisterc. tit. Ordinar. §. 2. & in compend. societ. Iesu verb. Ordines §. 1. & 2. Quocirca ad has attendens vt arbitror Pius V. Bulla etsi mendicantium sæpissimè in 1. parte memorata interpretando cap. 8. sess. 23. Concil. Tridentini statuentis, *Neminem posse ordinari, nisi à proprio Episcopo,* Quod à maleuolis in prauum sensum retortum, ic sta-

AAA iij

Digitized by Google

tur Pontifex, illud decretum locum non habere in regularibus apertè declarat his verbis: *in regularibus locum non habere omninò declaramus; ita quod fratres huiusmodi præfatos etiam sacros ordines à quolibet Antistite gratiam, & communionem sedis Apostolicæ habente, Ordinarij loci licentia minimè requisita in locis seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint.* Quid clariùs.

Demùm vt ostendatur hanc facultatem adhuc vigere etiam post Tridentinum Clemens VIII. eam concessit Congregationi Vallis Oleti priuilegio, quod in Compend. Priuileg. Fuliens. verb. Ordines §. 3. reperitur; sed eo omisso, nec non declaratione Cardinalium ad omnes regulares extensa, quam refert Barbosa post multos alios, quos citat de Offic. & potestate Episcopi part. 2. alleg. 7. n. 18.) veniamus ad aliam illius Pontificis concessionem in fauorem Cisterciensium editam, inchoatam, *Vt ea* in qua sic legitur: *Sanè dilecti filij &c. nobis exponi fecerunt, quod cum aliàs per Congregationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium declaratum fuerit licere &c. nec non monachos à diœcesanorum superioritate & iurisdictione exemptos absque illorum literis dimissorijs, à quibusuis locorum Ordinarijs cum testimonialibus litteris suorum Superiorum tantum, etiam ad omnes sacros & presbyteratus ordines admitti debere*; & post aliqua, *Nos igitur &c. Decreta & ordinationes huiusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, eaque per quoscumque Archiepiscopos, vel alios locorum Ordinarios inuiolabiliter perpetuò obseruari debere statuimus, & ordinamus.* Integram hanc concessionem legere poterit curiosus Lector apud Rodericum to. 1. qq. RR. q. 8. art. 5.

Probatur 2. Hæc veritas ex Trident. sess. 24. de reformat. cap. x. & eadem sess. 24. de reformat. cap. 2. in quibus docet, *posse Abbates exemptos dare dimissorias suis subditis Regularibus ad ordines suscipiendos.* Ergo & superiores Regulares exempti id etiam poterunt; cùm in vtrisque par sit ratio. Dices Tridentinum expressè contrarium docere; Respondetur nequaquam: quoniam Pius V. & Clemens VIII. quatenus Pontifices citati interpretati sunt, non id docere. 3. Quoniam Tridentinum cap. 8. sess. 23. de reformat. decernit, quòd Ordinandi dimissorias à suis Ordinarijs accipiant. Sed Ordinarius Regularium est illorum superior Prouincialis, & Localis; nisi quoad hunc vltimum statuta Regularia aduersentur: non autem Episcopus, vt tradunt citati, Roderic. & Barbosa post Quintil. Mandos. & alios, quos citant, vt etiam in prima parte sustinuimus; ergo ad ipsum, non autem ad Episcopum spectat tradere subditis Regularibus dimissorias. Probatur 4. ex eo, quod Trident. nullam facit mentionem Regularium; ergo de illis non loquitur; cum exprimi deberent iuxta ea, quę tradidimus in prædicto tract. primo de priuileg. in comm. & huius sententiæ sunt Nauarr. lib. primo Consil. tit. de tempor. Ordinand. Consil. 21. Henriq. lib. 7. de Indulgent. cap. 26. in princip. Roder. tom. 1. q. Reg. quæst. 1. art. 5. Diana tract. 2. de Regular. dub. resol. 7. Peregrin. in Compend. priuileg. Minim. parite 2. tit. Ordines. §. primo, & citati à Barbosa cum alijs. Atque hanc sententiam veram supponunt Marcellinus à sancto Benedicto vers. Ordines, præcipuè §. 2. in Scholio, & Renatus Chopin. qui lib. 1. Monast. tit. n. 2. 18. cum aliis quos citat existimat hoc ius spectare ad Prælatos regulares ex consuetudinis lege, nec distinguas de Regularibus, quia priuilegium Reformatos, & non Reformatos, Clericos Regulares, Monachos, & Mendicantes comprehendit; nec est Iuri antiquo contrarium: imò conforme vt illud legenti manifestum fiet. Quam etiam facultatem extensam habeas 1. ad Abbates per respectum ad subditos sæculares, quibus possunt dimissorias concedere. 2. ad Abbatissas, quæ illud habent ex priuilegio, vt docet Praxis in Abbatissa Fontis Errardi: solet enim dimissorias dare subditis suis Regularibus: Vnde annis proximè elapsis Episcopus Lectorensis à supremo Regis consilio per placitum damnatus fuit; quod in vi huiusmodi dimissoriariâ noluerit Regularem ordinare: nec huiusmodi Regularium priuilegio Tridentinum derogauit, & ita tenent Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 21. n. 6. & Tamburin. de Iure Abbat. tom. 2. disput. 2. quæst. 7. n. 1. atque hæc sententia ratione minimè caret, cùm enim à duobus dimissoriæ dari non queant, ille præferendus est præ alio, qui mores Regularis dimittendi melius nouit; hic autem est superiori Regularis; & hanc rationem indicat cap. *Ad aures* præcitatum.

Pars 2. Propositionis, videlicet quòd habeant facultatem ad quosuis Episcopos

Digitized by Google

dimissorias concedere, expresse habetur in dictis concessionibus Eugen. IV. & Pij. V. Quàm facultatem Minoritis antea Alexander IV. Bulla præcitata; & successiuè Clemens IV. concesserant. Dixi ad quosuis Episcopos, cum hac tamen conditione, *vt habeant gratiam, & communionem sedis Apostolicæ.* Sic habet etiam priuilegium Pauli III. præcitatum in fauorem Societatis Iesu concessum in Bulla quæ incipit *licet debitum*, quod etiam concessum est Congregationi infirmorum à Greg. XIII.

Obijcies 1. Hoc priuilegium sublatum esse per Trid. sess. 14. cap. 2. in quo statuitur. *Vt vnusquisque à suo Episcopo ordinetur, aut si ab alio cũ dimissorijs proprij Episcop.* quod Greg. XIII. voluit etiam de Religiosis intelligi. Imò Congregatio Cardinalium de mandato Sixti V. auditis quoque Procuratoribus circa hanc materiam, idem ac Greg. proximè dictus declarauit. Respondetur. 1. prædictum Greg. suam declarationem reuocasse, vt alibi ostensum est; ac eundem Sixtum posteà ex sententia Congregationis pronunciasse, *Prælatos Regulares, suis subditis posse concedere dimissorias ad Episcopum Diœcesanum, illo absente, aut ordines non conferente, vel in sede vacante (de quo fiat mentio in dimissorijs) ad quemlibet alium, modo ab isto quoad doctrinam examinetur*, vt Referunt Roder. in Compend. & Prosper Tarinac. decis. 240. & alij; Respondetur 2. has restrictiones Sixti V. sublatas fuisse per Clement. VIII. & absolute concessum dictis Prælatis Ordinis Cistercienſis, vt possent subditis dimissorias ad quoslibet Episcopos dare, & hoc primilogium habetur apud Roder. tom. 1. q. 18. art. 6. quod priùs Vrbanus II. Bulla 1. Benedictinis. Alexand. IV. Bulla 10. Minoribus; & Sixtus IV. Bulla 33. Prædicatoribus, & alij etiam Pontifices concesserant: ac sic tenent Ioann. de la Cruz. lib. 2. de Stat. relig. c. 8. Roder. citatus tom. 3. q. 14. art. 1. Respondetur 3. sub illis terminis generalibus Trident. videlicet. *Vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur* non comprehendi Regulares, vt declarauit expresse Pius V. Bulla præcitata, *Etsi Mendicantium*, n. 19. vt etiam supradictum est.

Nec obest decretum Sacræ Congregationis sub Clem. VIII. die 15. Martij 1596. de ipsius mandato editam relatum à Miranda in man. tom. 1. q. 38. art. 2. quod præscribit, quasdam conditiones apponendas in dictis dimissorijs, quoniam non est certum quòd mandante Clem. emanauerit, quòd satis manifestè probatur ex eo, quòd idem Clemens Bulla, quæ incipit *Ratio pastoralis* sub data 2. Decembris 1595. ex certa scient a Mendicantium priuilegia confirmauit. Qui autem fieri potest, vt tam citò mentem Pontifex mutarit? certè hoc non est credibile: sed esto, quòd illud decretum emanasset, non valeret tamen aduersus illud priuilegium authenticum, cùm vt alibi probauimus, decreta Cardinalium non præualeant Bullis 2. quia idem Clemens die 2. Augusti eiusdem anni Congregationi S. Benedicti Vallisoleti concessit, *vt cum literis dimissorijs suorum Prælatorum possent à quibuscunque locorum Ordinarijs ad omnes etiam presbyteratus ordines promoueri absque Diœcesani licentia, seu commendatitijs literis*, vt habetur in Compend. priuileg. Fuliensium, verbo Ordines §. 3. de quo supra, denique ab illo tempore Regularium Mendicantium priuilegia fuerunt confirmata pluribus Pontificum Bullis, & præcipuè per Paulum V. die XI. Octobris 1612. in quâ declarat, manere in suo robore omnia priuilegia quomodolibet à Prædecessoribus, etiam per viam communicationis concessa. Quod similiter facit Vrban. VII. Bulla alias adducta, quæ incipit *In plenitudinem.*

Obiicies Episcopos Galliæ in Generalibus comitiis congregatos sæpiùs iudicasse, non Reformatos, qui sub Generalibus, aut Prouincialibus non existunt, nequaquam posse à suis Abbatibus, aut Prioribus dimissorias accipere; sed tantùm à Diœcesanis.

Respondetur, Hæc comitia auctoritate Papæ, aut Iuris ad effectum condendi leges vniuersales, respicientes Regulares, non fuisse coacta; ac proinde validitate carere, quoad .... huiusmodi & ex consequenti quoad hanc legem. Accedit quòd illi Illustrissimi Episcopi in hac causa partes sunt, non autem Iudices, habentes facultatem agendi contra Ius Papæ, vt sunt priuilegia, quòd similiter dicendum est de eisdem in Conciliis Prouincialibus, & synodis congregatis.

Nec dicas hoc priuilegium, sicut & alia fuisse huiusmodi Regularibus concessa in fauorem obseruantiæ Regularis, quæ cùm apud illos non vigeat, eo & aliis priuilegiis priuatos esse censendum est; quoniam huic argumento, (cui satis in 1. tract.

in communi satisfactum est,) nunc in specie satisfit, dicendo, quòd priuilegium hoc, sicut & alia ob plures causas Regularibus fuerunt concessa, & maximè ob merita, & obsequia earumdem Dei Ecclesiæ præstita, ac propterea subsistere, cum nullo Iure abrogata sint, licèt Tridentinum sess. 21. cap. VIII. eos visitationi, & correctioni Episcopi, vbi illud viget, subiecerit; non enim propter huiusmodi subiectionem, alia priuilegia, quæ non afficiunt subiectionem, censenda sunt abrogata, nulla facta de eisdem mentione.

Nec dicas iterum Henricum III. Gallorum Regem pro suo Regno hoc statuisse; quia vt alibi diximus id non fecit recipiendo Concilium; sed tantum conformiter ad illud subiecisse Episcopo huiusmodi Regulares, noluisse tamen, (sicut nec Concilium) à cæteris priuilegijs illos deijcere; ac propterea illo priuilegio gaudere, sicut etiam illo potiuntur Carthusienses per communicationem priuilegiorum Mendicantium, quam à Greg. XV. Bulla Et *Ad vberes* subdata 3. Febr. 1623. obtinuerunt.

PROPOSITIO III.

PRælati Regulares possunt dare Nouitijs dimissorias ad Sacros ordines à quolibet Antistite Catholico suscipiendos.

Hæc propositio licèt in genere sit sufficienter probata in præcitato tract. de priuileg. in quo ostensum fuit Nouitios participare in omnibus priuilegiis illius ordinis, in quo probantur, vt tenent Henriq. lib. 7. c. 22. n. 7. Azor. part. 1. lib. 12. c. 2. q. 10. Sagr. de censur. lib. 7. cap. 13. n. 6. Sanch. in summ. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 17. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 16. n. 17. & Diana part. 3. tractat. 4. Miscell. resol. 7. & Dominic. in cap. *Religiso* 5. quamuis n. 3. de sententia excommunicationis in 6. vbi sic asserit, *Nota quod ingrediens professionem alicuius generis personarum gaudet priuilegijs concessis personis illius professionis; licèt non firmato proposito sit affectus illius*, Quamuis inquam sufficienter probata sit; attamen nunc in specie probanda est ex priuilegio speciali concesso societati Iesu, relato à Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 19. quòd dat facultatem Prælatis eiusdem societatis, & consequenter Prælatis aliorum Ordinum dandi dimissorias Professis, cum ampliatione illud priuilegium communicandi Nouitiis; ex quo sequitur illos habere facultatem concedendi dimissorias Nouitiis; & ita tenet Barbosa de Iure Pontificio lib. 1. cap. 17. n. 171. Tambur. de Iure Abbat. tom. 2. dispur. 2. q. 27. n. 2. Bartholom. de Verbis in prax. Nouitior. disput. 11. dub. 8. n. 3. Ioan. Bapt. Tiber. in instruct. præordinand. c. 7. n. 5. Sanch. in sum. tom. lib. 6. cap. 10. n. 22. in fine, & Diana de dub. Regular. resolut. 71. & 72. & alij ac huius sententiæ, si eam restringas ad Nouitium alterius Diœcesis in hac probatione agentem posse videlicet ab Episcopo huiusce ordinari, sunt Campanile in diuers. Iuris canon dub. 9. cap. 3. n. 3. Alois. Riccius in actis Cur. Archiep. Neapol. 118. n. 6. part. 4. Legana in summa qq. RR. cap. 24. n. 6. & Barbosa, qui hos refert in cap. VIII. sess. 23. Tridentin.

Superest illam difficultatem soluere, quæ potest obijci ex eo, quòd ille Nouitius, si recederet à Religione, maneret ordinatus sine patrimonio; vndè Episcopus Ordinans teneretur ei prouidere, iuxta cap. *Cum secundum* de præbend. ac ipse ordinatus ipso facto esset suspensus: & si exerceret ordinem sacrum, fieret Irregularis iuxta Pij V. extrau. quæ incipit *Romanus Pontifex sacrorum* publicatam pridie Idus Octobris 1568. & licèt Greg. XIII. ab illis pœnis Clericos Regulares societatis Iesu exemerit, vel potius declarauerit, illa constitutione non comprehendit; cæteri tamen Regulares illis pœnis plectuntur; Ergo ex illis maximum ducitur argumentum, præfatos superiores non posse illis concedere dimissorias; Verùm huic difficultati fit satis, si supponamus Ius Canonicum cap. penult. de simonia, dum præcipit, non posse aliquem ordinari sine titulo patrimonij, aut beneficio, non loqui de Regularibus, sed tantum de Clericis Regularibus, vt optimè aduertunt Antonin,

3. parte

Digitized by Google

3. parte tit. 4. de Temp. & loco ordinand. & Nauarr. c. 27. n. 159. quo posito respondeo. 1. Regulares, quibus, (vt ait præfatus Antoninus) est pro titulo Spotta, non comprehendi sub illo Iure, sed tantum Clericos Regulares. 2. respondetur, quòd posito, quòd comprehendantur sub illo Iure, Prelatos antedictos posse dimissorias Nouitijs concedere, seruatis de Iure seruandis (videlicet) dummodò habeant patrimonium; vel patres eorum sint diuites, vt in hoc casu in vniuersum resoluit Surdus de Alimen. tit. 7. q. 37. n. 2. Imò verò cæteri Regulares Nouitij, si sine titulo patrimonij, aut patribus pauperibus sacros ordines susciperent, indictas pœnas non inciderent; quoniam licèt illa declaratio Greg. XIII. non sit priuilegium, vt diximus in tractat. de priuileg. ac ex consequenti cum Clericis Societatis Iesu in illa non communicant cæteri mendicantes; attamen cùm sit priuilegium sub illa rigorosa Pij V. Constitutione non comprehendit Clericos Societatis Iesu; & alios Regulares in cæteris eiusdem Societatis priuilegiis communicare sit certum, in eo quoque communicare censendum est.

Cæterum omnem difficultatem sustulit idem Greg. XIII. priuilegio citato *quo præcipit Ordinarijs, vt dictos nouitios societatis*, & consequenter alios priuilegiorum eiusdem participes *cum licentia suorum superiorum ordinent sine inquisitione licentiæ proprij Ordinarij, & attestationis proprij parochi in vita & moribus*: & sic tenet Ioann. de la Cruz lib. 2. de stat. Relig. cap. 8. Marcell. à sancto Bened. verb. ordines §. 5. & alij.

Obijcies præfatum Greg. Bulla inchoata *pium & vtile* prohibere alijs Regularibus vsum huius priuilegij his verbis; *præsentis autem gratiæ communicationem omnibus etiam qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participare poterunt quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus*; ergo alij Regulares in hoc priuilegio nullatenus communicant: Huic obiectioni in t. tractatu de priuilegijs in comm. vniuersaliter respondimus, nunc autem in specie respondemus, ex dicto Marcell. à Sancto Bened. verb. ordines §. 5. in Scholio, quod per concessionem factam congregationi S. Bernardi in Hispania à Greg. XIV. 1591. illa prohibitio sublata est per sequentem clausulam, videlicet *Nonobstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, etiam communicationis prohibitiuis.*

Notabis hic obiter nullam pœnam impositam esse à Iure suscipientibus ordines prædictos absque patrimonij titulo, etiam patentibus paupertatem patientibus, sed tantùm à præfato Pio V. & ita censuerunt Salzed. ad Bernard. c. 18. n. 5. in nouiss. edit. Hugolin. de Irregul. c. 62. n. 2. Eman. Roder. in sum. tom. 1. c. 15. n. 16. Quintand. Ecclesiast. lib. 3. n. 17. Pet. Ledes. in sum. part. 1. tract. de Sacram. Ordinis cap. 7. ad finem, Flamin. de Relig. lib. 2. q. 6. n. 4. Nicolaus Garcias de benefic. parte 2. cap. 5. n. 4.

PROPOSITIO IV.

PRælati Regulares possunt subditos suos in interstitijs dispensare.

Supponendum est 1. instertitia esse interualla temporis inter assumptum ordinem & alium assumendum, quæ vnius anni sunt ex Trid. decretis sess. 23. de reformat. c. 11. & 13. 2. assumentes Ordines non obseruatis interstitijs nullam incurrere censuram, vel irregularitatem cùm in Iure nulla sit, vt tenent Henriq. lib. 6. c. x. n. 3. In Glossa litt. 4. Riccius in collat. decis. p. 3. collect. 176. Zerola in praxi pagina 1. verb. ordo 2. 8. Villalob. In summa tomo 1. tract. 11. diff. 12. n. 2. Laurerus de Franchis de controuersiis inter Episcopos & Regulares q. 31. Campan. In diuers. iur. Canon. dub. 6. c. 3. n. 15. Barbosa in collect. D. D. sup. Trid. sess. 23. c. 14. n. 23. quod Episcopi sine dispensatione interstitiorum conferentes Ordines nullam censuram aut irrigularitatem incurrunt, vt citatus Barbosa n. 11. asserit & alij 4. non esse peccatum mortale non obseruare interstitia, vbi receptum est Tridentinum, & Bulla Sixti V. contra male promotos in qua *strictè præcipit obseruari Trident. quoad*

Digitized by Google

interstitia nonobstantibus quibuscumque nam habentes priuilegium, aut dispensationem excipiendi sunt: his præmissis.

Probatur propositio 1. ex priuilegijs Monachis S. Benedicti concessis superius citatis, & interiùs exprimendis; ex quibus manifestè concluditur, quod possint illa interualla temporis seu interstitia inter Ordines assumendos omittere, &, sic dispensare in illis. Probatur 2. ex priuilegio Gregorij XIII. societati Iesu concesso Bulla inchoata *pium & vtile* de qua superius, quod refertur in Compend. priuileg. eiusdem Societatis verb. Ordines §. 3. *qua præcipit omnibus Episcopis, alijsque Antistitibus, vt Religiosis illius societatis à suo Præposito generali licentiam habentes absque vlla functione in ipsis ordinibus, aut obseruatione interstitiorum ad Minores & sacros Ordines, etiam presbyteratus recipiant*: & sic tenent Villalob. in summa tom. 1. tract. XI. diff. 22. n. 8. Ioann. de la Cruz. in direct. consc. parte 2 de Sacram. Ordinis dub. 5. concl. 2. & de stat. Relig. lib. 2. cap. 8. conclu. 1. Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 12. 2. n. 21. & Sanches lib. 3. consil. Moral. cap. 1. dub. 54. n. 1. & 8. qui multis rationibus id probat & extendit cum proximè citatis hoc priuilegium ad alios Regulares: nec huic sententiæ obstat declaratio Cardinal. relata à Tambur. de Iure Abbat. tom. 2. disp. ut. 2. q. 25. his verbis concepta, *sacra congregatio censuit superiores Regulares non posse dispensare super interstitijs Regularium ordinandorum: sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensandi iudicium suum formare debet ex attestatione superiorum regularium*; non obstat inquam, quoniam vltra quod hæc declaratio fauet Regularibus; cum ex illa Episcopi teneantur formare iudicium conformiter ad attestationem superiorum [quæ semper est cùm mittuntur, vt illa interstitia non seruentur [non habet vim: cùm sit tantùm declaratiua Tridentini, illudque priuilegium post ipsum Concilium sit concessum Societati prædictæ, nec habeat clausulam priuilegiorum reuocatoriam.

Adiunge quod cap. XI. XIII. & XIV. sess. 23. Trident. in quibus dispensatio in interstitijs relinquitur Episcopo, seu ordinario, non tangunt Regulares; sed proprios illius Episcopi, seu Ordinarij subditos, vt constat ex eo, quod quando proprius Episcopus dat dimissorias suo subdito, vt ab alieno Episcopo ordinetur, non potest alienus Episcopus dispensare illum subditum alterius Episcopi, si ille alter non dispensauerit, aut alieno Episcòpo ordinanti facultatem non dederit, ad id faciendum; ergo similiter dicendum de ordinaria Religiosi quem in interstitijs dispensare potest, aut facultatem Episcopo ordinanti concedere; cum habeat in illum auctoritatem Episcopalem; & sic censet citatus Martin. à S. Iosep. & Suares tomo 4. de Relig. lib. 2. de prælat. cap. 12. an. 11. vsque ad 23. vbi vtramque sententiam pro prælat. relig. & Episcopis conciliat, & Cardinalium declarationes explicat.

Hic autem notabis posse prælatos in interstitijs Nouitios dispensare, quia eadem est ratio de illis ac de professis, vt in superioribus latè probauimus.

CAPVT III.

DE IIS QVÆ SPECTANT AD REGVLARES IN ORDINIBVS AB EPISCOPO SVSCIPIENDIS.

PROPOSITIO I.

Regulares ab Episcopo ordinante examen de capacitate pai non tenentur; sed sufficit examen prælatorum Regularium.

Hæc propositio expressè probatur ex præcitato priuilegio Clementis IV. in quo post concessam facultatem prælatis Regularibus Ordinis Minorum suis subditis dandi litteras dimissorias ad quemcumque Episcopum, addit *quod illud conceditur absque vlla examinatione per huiusmodi Episcopos facienda*, quod ante ipsum eisdem concesserat Alex. IV. Bulla præcitata inchoata *conuenit vt sacer* his verbis : *vt liceat vobis ordinandi fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem & gratiam prædictæ sedis habentibus præsentare : ipsisque Pontificibus præsentatos à vobis fratres sine aliqua examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione & obligatione ipsorum ordinandorum fratrum ad Ordines promouere, vobis & ordini vestro auctoritate præsentium Indulgemus* : eamdem facultatem concessit Eugen. IV. Monachis S. Bened. Congrega. Italiæ (videlicet) *accipiendi omnes Ordines etiam sacros, ad quos per eorum superiores, præsentantes, à quocumque maluerint Catholico Antistite gratiam & communionem Sanctæ sedis habente, statutis à Iure temporibus, absque aliquo dictorum monachorum examine* : idem priuileg. expressiuos concessit Gregor. XIII. post Paulum III. societati Iesu, de quo supra, relatum in compend. priuileg. eiusdem societatis verb. Ordines quo *præcipit Episcopis, vt Religiosos illius societatis ordinent absq; inquisitione de cantu, Officijs, & cærimonijs Ecclesiasticis, idoneitate proprij Ordinarij licentia, & alijs in alios requisitis, ac si omnibus illis essent præditi* : Idem priuilegium reperitur antea concessum & Sixto IV. In mari magno fratrum prædicatorum cum addito *ne poßint obligari ad aliquam promißionem Episcopo faciendam.* Nec illud priuilegium est contra cap. *Illiteratos* dist. 36. & contra cap. *cum in canctis* de Elect. nec etiam contra cap. vlt. de Tempor. ordinand. in 6. quibus illiterati ordinari: ac etiam semel ordinati etiam bona fide Ordines exercere prohibentur; quoniam sacri illi Canones Regulares non comprehendunt, vt consideranti perspicuum est. Imò veritas hæc manifestè collegitur ex cap. *Nullus* de tempor. ordinand. in 6. in quo illiteratus tonsurari prohibetur : nisi Religionem intret; ergo illiteratus Regularis potest ordinari. Ratione autem hæc sententia firmatur; quoniam in Regulari non requiritur tanta scientia sicut in Clerico seculari; cùm non habeat curam animarum & ex conuictu & communicatione cum alijs regularibus doctis, maneat spes discendi; qua propter sufficit Episcopo ordinanti, quòd illi constet per litteras commendatitias prælatorum, Regulares ordinandos esse examinatos, & sufficienter litteris instructos ad suscipiendos Ordines, ac huius sententiæ sunt Roder. tom. 1. quæst. 18. art. 6. Hieron. Roderic. In compend. quæst. Reg. resolut. 52. n. 22. Diana parte 2. tract. 16. resolut. 29. & 3. parte tract. 2. resolut. 74. Pertin. 2. tractatu de Relig. prælat. q. 3. c. 7. n. 28. Aloiś. Bariola in aphoris. litt. R.

verb. Regulares ad Ordines Ioann. de la Cruz de Statu Relig. c. 8. conclus. 1. Portel. in dub. Regul. verb. Ordines Sacri. n. 6. Henriq. lib. 1. c. 2. Villalob. in summa tom. 1. tract. 21, dub. 34. n. 5.

Obijcies 1. Leonem X. in Concilio Lateranensi statuisse, *quod fratres ad Ordines promouendi possint per ordinarios de Grammatica & sufficientia examinari: & quod dummodo competenter respondeant per eosdem ordinarios debeant liberè admitti:* ergo Regulares non eximuntur ab illo examine. Respondetur 1. quod fratres Minores, & consequenter alij qui eorumdem priuilegiis gaudent ad huiusmodi decretum obseruandum in foro conscientiæ non obligantur, cum eorumdem priuilegia postea, ab eodem Leone viuæ vocis oraculo in vigilia visitationis Beatæ Mariæ. 159. Francisco Licheto ministro generali eorumdem Minorum facto, nonobstante sess. XI. dicti Concil. Lateran. fuerint reualidata, vt testatur collector priuil. Mendic. verb. Concil. §. 7. & doctissimus Christophor. §. cap. font. eorumdem Minorum Generalis Minister verb. Concil. §. 7. qui asserit dictum viuæ vocis oraculum asseruari in dicti Ordinis registro, in actis præfati Francisci Licheti Respondetur 2. quod non solùm in foro conscientiæ ad illud examen non obligantur, sed nec in foro exteriori; quoniam idem Leo X. post præfatum Concilium fratribus prædicatoribus per Bullam & consequenter alijs mendicantibus, priuilegia reuocata de nouo concessit cum nonobstantijs infra positis videlicet, *nonobstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, Reuocationibus & Restrictionibus, siue Constitutionibus, Ordinationibus necnon in Prouincialibus & Synodalibus Conceditis specialibus, vel generalibus,* & ita referunt & tenent præmemorati Collect. & Christoph. verb. Concil.

Obijcies 2. ex cap. XII. sess. 23. in quo hæc verba habentur, *Regulares quoque, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* Respondetur 1. Tridentino posterius esse priuilegium societati Iesu, ac etiam aliis Regularibus mendicantibus concessum, cum clausa dicti Trident. reuocatoria. 2. Respondetur hoc priuilegium, esse eidem Tridentino conformem cap. 8. eiusdem sess. in quo prohibetur titularibus Episcopis ne ordinent quempiam, nisi prius habitis literis testimonialibus proprij Ordinarij, rationemque reddit *quia plerumque fit, vt minus idonei & ignari ordinentur sine sui Ordinarij licentia* quibus supponit examen debere fieri per proprium Ordinarium; ac proinde proprium Superiorem, qui illorum Ordinarius est; & ex consequenti illud sufficere: nec requiri aliud ab Episcopo faciendum; quo circa Pius V. declarauit Regulares non subiici decretis illius capitis de solis Episcopis, vt Ordinarijs intellectis his verbis: *Illud caput non habere locum in Regularibus omnino declaramus.* Quid clariùs.

PROPOSITIO II.

POssunt Regulares Ordines suscipere ante ætatem à Tridenr. præscriptam.

Supponendum est 1. ex iure communi taxatam fuisse ætatem ad quoslibet Ordines suscipiendos, ac 1. requirebatur antiquitus ætas 7. annorum completorum ad tonsuram per cap. *In singulis* distinct. 77. ac etiam pro tribus Ordinibus Minoribus, vt dicitur in dicto cap. & ante hanc ætatem conferens illos alicui, nisi Religionem intraturo, suspensus erat per annum ipso facto à collatione eiusdem Ordinis per cap. *Nullus Episcopus.* De temp. ordinand. lib. 6. pro Acolitatu verò requirebatur ætas 12. annorum completorum, vt dicitur in eodem capite, pro subdiaconatu 18. annorum inchoatorum, ac pro diaconatu 20. annorum, & denique pro presbyteratu 23. vt habetur in Clement. quę incipit *Generalem* de ætate & qualit. ordinand. & si quis ante illam ætatem Ordines suscipiebat, suspendebatur ab executione illorum, vsque ad tempus cōpletum, vt habetur in proximè dicta Clement.

Nunc autem ex Tridentino sess. 25. cap. 12. statuitur *vt nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante 22. ad diaconatus vero ante 23. & ad presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoueantur,* circa autem tonsuram & minores Ordines nihil innouauit.

Supponendum est 2. quod vbi Trident. non est receptum vt in Gallia seculares,

& Regulares; nisi horum obstent constitutiones, manere in statu illius Iuris communis, ac sic posse ordinari; cum ad illam ætatem ab illo Iure communi determinatam peruenerint; imò in minori ætate, si faueant priuilegia.

His positis probatur 1. Propositio ex priuilegio Innoc. VIII. relato in compend. priuileg. Mend. verb. Ordines &c. in Compend. Christoph. à cap. font. verb. dispensatio. §. 14. his verbis *Innocentius VIII. dispensauit cum toto Ordine fratrum Minorum, quod postquam fratres 23. annum attigerint (dum tamen sufficientes sint) possint promoueri ad sacerdotium, & missas celebrare &c. nonobstante Iure, cæterisque in contrarium facientibus; imo idemmet Innocent. vt refertur eod. verb.* §. 15. *concessit postea quod Generales & Prouinciales possint dispensare cum fratribus suis in 22. anno completo quoad sacerdotium suscipiendum* nec dumtaxat in completo 22. anno *sed etiam inchoato* ex priuilegio Conuentui domus Carthusiæ sanctæ Trinitatis propè Diuionem, Lingonensis diœcesis anno 1391. die verò 19. Aprilis à Ioanne XXII. concessio cuius originale asseruatur in dicta domo & habetur in compend. priuileg. dicti Ordinis folio 3. his verbis, *vt omnes monachi & Clerici redditi dictæ domus vestræ, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, 22. eorum ætatis annum attingentes, possint ad presbyteratus ordinem promoueri, in ipsoque licitè ministrare defectu dictæ ætatis, ac statutis & constitutionibus ipsius Ordinis, & alijs in contrarium nonobstantibus quibuscumque*, voluitque idem Pontifex huiusmodi gratiam in suo robore perpetuò remanere, atque hoc priuilegium expressè concessum est fratribus Minimis per Iulium II. cum reuocatione Iuris communis Bulla quæ incipit, *Dudum ad sacrum ordinem Minimorum* (*his verbis:*) *Ac quod fratres Ordinis Minimorum huiusmodi in 22. suæ ætatis anno tunc, & pro tempore constituti, ad præsbyteratus ordinem, alias tamen ritè se promoueri facere liberè possent*: ex quibus manifestè patet fratres Minores, qui etiam in hoc vltimo priuilegio communicant: & consequenter aliós habere facultatem dispensandi super ætate constituta à Iure ad Ordines præsbyteratus, subdiaconatus & diaconatus Ordines suscipiendos. Confirmatur quoniam ante Trident. Prælati poterant suos subditos dispensare, & facere vt assumerent subdiaconatum in 18. diaconatum in 20. & præsbyteratum in 22. completo: ac etiam in 22. inchoato. Ergo etiam nunc illa facultate vti possunt, cùm illud priuilegium sit validum etiam post Trident. vbi illud receptum est. Ac sic tenet Emanuel Sa verb. Relig. n. 56. Christoph. à cap. font. proximè citatus: ac eidem sententiæ, vt aduertit Portel. verb. priuileg. cessatio. n. 64. subscribere debent Roderi. Henriq. Sorbus & alij, qui vt alibi notauimus existimant priuilegia Regularium expresè à Trident. reuocata, valere in foro conscientiæ.

Hic tamen aduertat Lector 1. quod notat Christop. citatus, fratres Minores illo priuilegio pro præsbyteratu suscipiendo minimè vti posse extra Galliam & Hispaniam: nisi quibusdam circumstantiis in Capitulo generali Burgensi auctoritate Apostolica adhibitis, quas ex 1. capite Statutorum ibi factorum apponam. *Ad sacerdotium verò non promoueatur quis antequam 25. annum ætatis suæ attigerit, &c. 5. annum compleuerit in Religione; nisi minister Prouincialis cum concilio discretorum aliter iudicauerit faciendum.* Quo articulo moderatum fuit statutum, antea super hoc factum in Capitulo generali Florentiæ, quod in dispensatione huiusmodi Concilium quatuor Gardianorum requirebat.

Aduertat 2. quod in Gallia & Hispania sæculares & Regulares qui ante ætatem præscriptam à sacris Canonibus & Constitutionibus Pontificum Ordines sacros suscipiunt, non suspenduntur ab illis ordinibus: nec ab illorum exercitiis: sic tenet Nauarr. in pluribus suorum Conciliorum locis; nam in 1. Consilio lib. de temp. ordinand. asserit quod Gallus, qui se ordinandum offert Episcopo ante ætatem, non incurrit pœnam Extrauag. Pij II. si nunquam fuit publicata in Metropolibus Galliæ: nec ab ea recepta illa autem Extrauagans nusquam fuit à Clero Galliæ recepta, nusquam lecta, & publicata in Ecclesijs Cathredalibus, vt idem Nauarr. Consilio XI. citati libri affirmat, quod suo tempore ordinati sacris Ordinibus ante ætatem præscriptam communiter non putabantur ipso Iure excommunicati, nec suspensi in Hispania & Gallia, quod absolutè censet de Gallis libro 5. de Sentent. excommunicat. Possunt tamen sic suscipientes interdici ab exercitio suscepti Ordinis, & exercentes contra prohibitionem huiusmodi erunt irregulares, non au-

tem, si non interdicti exerceant, vt tenet Greg. lib. 4. institut. Iur. cap. 2. litt. C. relatus à Baunio in summa cap. 36. quæst. 1. qui est etiam eiusdem sententiæ.

PROPOSITIO III.

POssunt Regulares in vna & eadem die siue Temporibus à Iure statutis, siue extra illa sacros Ordines maiores, à quocumque Episcopo recipere.

Dixi maiores, quoniam de minoribus non est dubium, vt tenet Glosa in cap. *De eo* de tempor. ordinand. Armilla tit. ordo §. 6. Nauarr. in man. c. 25. n. 71. Sorbus verb. Ordines, qui omnes dicunt posse illos simul in vna die iuxta Canones suscipere, si hoc iudicant Episcopi: hæc autem propositio de Maioribus Ordinibus probabitur si referamus diuersas summorum Pontificum concessiones circa hanc materiam & 1. Adrianus VI. vt habetur in compend. priuileg. Mendic. verb. Ordines §. 11. *concessit quod Prior generalis Ordinis S. Hieronimi, & singuli Priores eiusdem Ordinis præsentes, & futuri possunt eligere quemcumque Episcopum Catholicum communionem sedis Apostolicæ habentem, qui personas singulorum monasteriorum huiusmodi idoneas, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta tribus diebus dominicis, siue festiuis duplicibus successiuè promouere poterit, diæcesanorum licentia super hoc prius requisita.* Cui conforme est priuilegium factum societati Iesu à Greg. XIII. Bulla in præcedentibus propositionibus Citata, inchoata *pium & vtile* huiusce renoris ad Antistites directa: *vt Religiosi illius societatis ad minores: ac etiam extra tempora à Iure statuta tribus dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis ad sacros etiam presbyteratus Ordines promoueant:* quod etiam Clemens VIII. fratribus S. Ioan. Euangelistæ in Portugallia subdata 23. Nouembris 1596. concessit: & Portel. verb. Ordines testatus se vidisse illud in compend. priuileg. illius Religionis. Maius priuilegium concessit Benedictinis Eugenius IV. vt habetur citato verbo per Bullam compend. priuileg. mendic. §. 9. his terminis; *Eugenius IV. Concessit vt singuli monachi præsentes & futuri S. Benedicti ad id idonei, quos prior sui Monastery ad hoc elegerit, siue nominauerit semel dumtaxat anno quolibet, omnes etiam sacros Ordines vna & eadem die, etiam extra tempora Iure statuta à quibuscunque Antistitibus Catholicis gratiam & Communionem sedis Apostolicæ habentibus, cuiusuis super hoc licentia minimè requisita, suscipere, dictique Antistites eisdem monachis Ordines eiusmodi conferre possint.* In quibus concessionibus 1. dignoscitur differentia maxima; nam prima quæ est Adriani dat facultatem eligendi quemlibet Antistitem ad effectum dictos Ordines tribus diebus successiuè suscipiendos, Diæcesani licentia priùs requisita, secunda & tertia eamdem facultatem à quoliber Antistite suscipiendi dictos Ordines diuersis diebus, siue continuis, siue non, impartitur, absque licentia diæcesani: ad quos cõferendos alter ab illo sub præcepto obligatur. Quarta quæ est Eugenij semel in anno eadem die dictos Ordines à quolibet Antistite absque proprij licentia suscipere permittit. 2. ex dictis concessionibus duo manifesta sunt; primum Regulares gaudere priuilegio recipiendi omnes sacros Ordines extra tempora à Iure statuta. Secundum posse illos assumere vno & eodem die. Quoad primum ita tenent Portel citatus, Villalob. In Summ. tomo 1. tract. 11. diffic. 12. n. 8. &c. diffic. 13. n. 6. Ioann. de la Cruz de Stat. Relig. lib. 2. c. 8. dub. 1. & cap. 3. dub. 6. Homoban. de exam. Eccles. tom. 1. tract. 2. cap. 1. q. 3. Moneta de commut. vltim. volunt. c. 10. n. 188. Barb. de potest. Episcop. parte 2. alleg. 17. Hyeron. Roder. in compend. quæst. Regul. Resolut. 106. n. 7. qui affert in huius sententiæ fauorem decretum sacræ Congregationis sub Greg. 13. emanatum. Roder. in quæst. Regul. tomo 3. q. 23. art. 5. & tomo 1. q. 53. art. 17. Laiman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. c. 8. n. 2. Diana parte 2. tract. 2. Resolut. 31. & Barbosa in cap. VIII. sess. 23. Trid. n. 4. & 5. & alij. Ratio 1. est quia illa priuilegia, vbi receptum est Trident. ab illo minimè fuerunt reuocata, vt ex Roder.

Digitized by Google

optimè probat Villab. citatus, & licèt reuocata fuissent per Tridentinum, attamen post ipsum, hoc priuilegium (non obstante prohibitione facta in eodem) fuit absolutè concessum. 2. Ratio; quoniam cùm in hac materia Tridentinum non habeat Clausulam reuocatoriam priuilegiorum, non censetur priuilegium reuocatum; cùm lex generalis non reuocet priuilegium paucorum, quando de illo non fit saltem generalis reuocatio.


Quoad secundum, videlicet posse dictos Regulares vna & eadem die illos omnes sacros Ordines suscipere ex prima parte propositionis habetur probatum; nam cùm non sit maior ratio, cur illud priuilegium validum sit, quàm hoc, necesse est concludere eodem modo sentiendum esse de vtroque, ac ita tenent præfatus Rodet. & Villal. & alij etiam præcitati, si consequenter loquantur.

PROPOSITIO IV.

Regulares à quolibet Episcopo in propria & aliena diœcesi, & in suis proprijs domibus Ordines recipere possunt sine licentia Episcopi Diœcesani; ac etiam ipso contradicente, & sine obligatione aliqua ordinando imponenda.

Hæc veritas quoad primam partem præter ea quę in præcedentibus deducta sunt, probatur ex concessione facta Monasterio Cluniacensi à Lucio II. à Pio IV. confirmata B. *dum ad vniuersos*, & ex concessione facta monasterio Hirsaugensi ab Vrbano II. B. *Hanc chartam* quæ expresè habent hanc facultatem. 2. ex expressis declarationis Pij V. Bulla *Etsi mendicantium* terminis etiam superiùs allatis, in quibus sic habetur: *Ita quod fratres huiusmodi, præfatos etiam sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam &c. Ordinarij loci licentia minimè requisita in locu seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint.* Quid clarius? nec obstat huic veritati Bulla Leonis X. in Concil. Lateran. edita, quæ hoc Episcopis alienæ diœcesis prohibet; quoniam vt superius diximus, hæc Bulla reuocata est, ac eam etiam reuocat proximè dictus Pius, vt tenet cum multis alijs Ioann. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 3. dub. 5.

Probatur quoad 2. partem videlicet quod omnes præfati Episcopi siue diœcesani, siue alij tenentur dictos Ordines conferre Regularibus absque vlla promissione, vel obligatione Regularium ordinandorum expresè habetur in concessione facta ordini Cister. priuileg. 20. n. 2. de priuileg. VIII. n. 3. & ex concessione facta congregationi Clericorum, qui ministri infirmorum nuncupantur à Greg. XIV. qua habetur Bulla eorumdem XI. & ex concessionibus Pauli III. & Greg. XIII. factis societati Iesu, de quibus superius sæpe; & habetur in compend. priuileg. eorumdem verb. Ordines, his terminis desumptis ex Bulla inchoata, *Licet debitum: potest præpositus Generalis præsentare nostros cuicumque Catholico Antistiti, gratiam & communionem sedis Apostolicæ habenti, atque sic præsentatos absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum ad omnes sacros Ordines promouere*: & denique ex præcitatis concessionibus factis fratribus Prædicatoribus & Minoritis, in quibus id expresè habetur, quibus sic existentibus cognoscere poterunt illustrissimi quidam Antistites, quam grauiter sanctissimæ sedis Apostolicæ dignitatem, & Regularium ius lædant, cùm sacros Ordines conferre recusant, & eos conferentes quasdem promissiones, & obligationes ab illis extorquent, & hanc iniuriam mente recolentes in posterum procul dubio à similibus abstinere satagent. Faxit Deus.



CAPVT III.

DE PRÆLATORVM REGVLARIVM FACVLTATE AD CONFERENDOS ORDINES.

PROPOSITIO I.

Abbates Benedictini possunt tonsuram & quatuor Minores suis monachis conferre.

Hæc veritas probatur ex concessione facta in 7. Synodo c. 14. quæ habetur in Iure cap. *Quoniam* distinct. 69. in qua dicitur *Abbates posse tantummodo in proprio monasterio Lectores ordinare* ex qua concessione Glosa colligit etiam posse facere Ostiarios; quia inferior gradus est, & Innoc. III. in cap. *Cum contingat* de ætate & qualit. ordinand. inde concludit posse etiam dare primam tonsuram; quia qui maius potest, potest & minus, maxime quando per se sunt subordinata; quod autem possint Exorcistas & Accolitos facere, Glosa in cap. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui, indicat; cum enim in textu dicatur *omnes Ordines vsque ad subdiaconatum exclusiuè à non Episcopis quandoque conferri*: Glosa id confirmat ex dicto cap. *Cum contingat*, & ex dicto cap. *Quoniam*, censet ergo ex vi illorum iurium Abbates posse omnes Ordines minores conferre, & potest ex textu sumi argumentum; quia Alexand. III. affirmat hoc fieri, nullumque extat Ius aliud, quo non possit fieri: Et ita etiam existimat ex dicto cap. *Quoniam*. Sanchez in opusc. tomo 2. lib. 7. cap. 1. dub. 19. n. 20.

Probatur 2. ex concessionibus extra ius commune vagantibus ac 1. se offert concessio facta per Greg. IX. Bulla 23. & alia concessio facta per Iulium II. sub titulo Bullæ 25. quam reperies in Bullar. Roderici, quibus facultas fit Abbatibus Benedictinis, dictos Ordines suis subditis conferendi. 2. extat concessio Innoc. VIII. de qua inferius, qua Abbas Cistercij & 4. primi eius Coabbates suis subditis dictos Ordines conferre valent. Cælestinus V. hoc eodem priuilegio Abbatem generalem suæ Religionis decorauit; cum anno 1294. illi & successoribus concessit vt Minores Ordines, confratribus, & aliis familiaribus, & subditis conferre possent, fauetque huic veritati, (videlicet quod id possint Abbates) Tridentinum, nam sess. 23. de Reformat. c. 10. supponit dictos Abbates illam facultatem possidere, nec illam abrogat, vt cernere est ex verbis sequentibus ex dicto cap. decerptis. *Abbatibus &c. non liceat imposterum cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit tonsuram vel minores Ordines conferre:* Et licet Tridentinum abrogaret, illam tamen restituit Clemens VIII. vt in sequenti propositione videbitur, quo circa declarationes Cardinalium in illud Caput hanc facultatem in dictis Abbatibus existere agnoscunt: ac similiter Armilla Aurea verb. Abbas n. 6. Archid. in cap. *Nullus Episcopus* de temp.ordinand. lib. 6. Ioann. de la Cruz lib. 2. de stat. Relig. cap. 8. Concl. 1. Suares tomo 4. de Relig. lib. 2. cap. 29. n. 23. Archang. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Abbas: Et Zypæus in suis consultat. lib. 1. de ætate & qualitate Consultat. 4. qui plures Doctores citat afferque post pios & decretum Congregat. Cardinal. his verbis: *Congregatio censuit quod Abbas Benedictinus possit Regularibus sibi subditis conferre primam tonsuram, & quatuor minores: at etiam benedicere calices, & paramenta sine vnctione olei Sancti: necnon omnes benedictiones facere sine aliqua licentia:* Imo Cruchus instit. maior. lib. 4. tit. 12. n. 56.

Digitized by Google

n. 56. sic loquitur *hodie tamen videtur receptum vt ordines minores omnes dare possint Abbates, & Priores monasteriorum exemptorum* citatque plures de nominatim. Syluestrum in suæ sententiæ probationem.

Obijcies, Clementem IV. Abbati S. Benedicti Monasterij Sanctæ Crucis Burdigalæ & successoribus eius concessit facultatem conferendi tonsuram, quam in proprio originali in eodem monasterio conseruatam vidi; ergo Abbates illius Ordinis non habent illud priuilegium; Alioquin in vanum illa concessio facta fuisset. Respondetur 1. plura Pontifices, quæ aliàs concessa sunt, ad tollendos scrupulos: vel ad sedandas controuersias de nouo concedere, vt diximus in tract. de priuileg. in comm. Respondetur 2. quod ille Abbas non habebat tunc temporis facultatem deferendi Mitram, Chirotecas, Sandalia, Dalmaticam &c. aut saltem dubitabatur, si haberet, quorum vsum postea obtinuit ab Innoc. VIII. cuius priuilegij originale est etiam in dicto monasterio, quod ego etiam vidi; ac propterea cùm posset dubitari, num carens huiusmodi gratia & prærogatiua posset conferre tonsuram, vt Pontifex omne dubium circa hanc materiam tolleret, hanc facultatem illi, & eius successoribus concessit. Quocirca existimo cum citato Zipæo præsupposito quod Abbatia aliqua sit authoritate Apostolica erecta cum vsu pedi, & mitræ, insignibus, & prærogatiuis, Abbatem illius posse tonsuram & dictos ordines conferre.

PROPOSITIO II.

Abbates Regulares prædicta facultate potiuntur in subditos nouitios, & sæculares in quos iurisdictionem quasi Episcopalem habent & in alios Regulares, & sæculares, sibi non subditos: dummodo Prælatorum eorumdem accedat consensus.

Hæc veritas quoad 1. partem probatur 1. quoniam verba concessionis, seu illius facultatis habent, vt suis monasterijs, subditis suis Regularibus possint tonsuram & prædictos Ordines conferre: ergo cum Nouitij sint de numero illorum subditorum, qui sunt in suis monasterijs, possunt illis conferre huiusmodi tonsuram, & Ordines minores, etsi habeant facultatem, etiam sacros, maximè cum hæc potestas sit beneficium Principis; ac proinde extendenda quantum verba patiuntur, & non restringenda. 2. expressè probatur de tonsura ex Innoc. III. in præfato cap. *Cum contingat* in quo habetur *Laici ad monasteria conuolantes à suis Abbatibus tonsurantur* per quæ verba, Nouitij propriè intelliguntur, qui à sæculo in Religionem conuolant: vnde Alexand. IV. in cap. *Abbates* de priuileg. in 6. hanc facultatem in duo membra distinguit dicens *Monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolarunt*, vbi per Conuersos non intelligit Religiosos Laicos, prout solent Conuersi à Monachis distingui, constat enim potestatem hanc, non pro illis præcipuè dari, sed intelligit monachos professos; quia in professione promittunt modum conuersionis: ergo per illos qui conuolarunt in monasteria intelligit Nouitios, quod Glosa ibi sentit verbo *Conuolauerunt* addens *vt ibi conuertantur & fiant Monachi* & idem sentiunt ibi Franciscus, & Cardinalis Alexandrin. in Practica parte 1. c. de Clericis n. 18. Armilla Aurea verbo Abbas n. 6. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 29. n. 12. & 13. & alij, & hæc sententia sequenda est, quam per priuilegium Iulij II. expressè in fauorem Ordinis Cistерc. in Hispania confirmatam reperies in compend. priuileg. eiusdem Ordinis, & ex concessione Pontificia, de qua infra his verbis *nec non nouitios & alios quoscumque monasterij subditos, prout poterant præfati perpetui Abbates Clericali caractere insigniendi* vbi per caracterem clericalem intelligenda sunt tonsura & 4. Minores vt inferius probabitur.

Quod verò secundam partem, videlicet quod polleant eadem facultate in subditos sæculares probatur, ex cap. *Abbates* de priuileg. in 6. vbi illis Abbatibus expressè conceditur his verbis: *vt possint primam tonsuram conferre monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolarunt, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iuris-*

Digitized by Google

dictionem obtinent: quibus vltimis verbis satis patet sæculares subditos posse ab illis tonsura insigniri; imò multi Expositores, quos refert Syluester verb. ord. 3. quæst. extendunt illam concessionem ad quatuor minores Ordines, estque manifestè ad illos extensa per priuilegia extra Ius commune vagantia, vt inferius patebit.

Obijcies obstare Trident. sess. 23. c. 10. his verbis *vt ampliùs non liceat Abbatibus cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre.* Respondetur 1. non obstare vbi non est receptum. Respondetur 2. non etiam obstare vbi receptum est, quoniam non reuocat ius commune, sed tantum priuilegia, præscriptiones, & consuetudines immemoriabiles: ostendimus autem alibi gratias, quæ in Iure communi insertæ sunt, similibus reuocationibus non abrogari: hæc autem facultas est dictis Abbatibus à Iure communi concessa. Respondetur 3. hoc priuilegium sicut & alia priuilegia, absolutè esse confirmatum, vt diximus, & probauimus à'ibi, etsi dubium esset an illud priuilegium esset reuocatum, necne credendum esset, non esse reuocatum; cum in dubio priuilegium non præsumatur reuocatum, vt tenent Parisius lib. 2. Concil. 61. n. Alciat. Respons. 19. n. 4. Anthon. Sanctarell. in variis resolut. 4. 2. q. 16. n. 11. & alij, quos ipse citat. cum Diana parte 4. tract. 3. de conscient. dub. 3. resolut. 51.

Tertiam verò partem propositionis, videlicet, quod eadem facultate polleant in alios sæculares & Regulares tenent Armilla Aurea verbo Abbas. n. 6. post Hostiensem, & alios in dictum cap. *Cum contingat* Syluester verb. Abbas 3. quæst. 5. n. 5. Piazecius in praxi Episcop. parte 1. & Lælius cap. 25. Quaranta in summa Bullar. verb. ordo Bonac. de Sacram. disput. vnica punct. 4. & Marcellin. à S. Bened. in compend. priuileg. Fuliens. verb. Ordines in Schol. §. 1. vbi notat sacram Congregationem sic declarasse, cuius declarationem hic inserere iudicaui. *Sacra Congregatio declarauit quod Abbas, postquam benedictionis munus, & sacerdotalem Ordinem susceperit, potest tonsuram & minores Ordines sæcularibus, Episcopi iurisdictioni subiectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, & litteras dimissorias ab eodem Episcopo impetrauerint. Item potest eosdem Ordines conferre alijs Regularibus, qui dimissorias speciales suorum & specialem consensum Episcopi loci habuerint. Ita vt satis non sit, id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singula. die 7. Septembris 1593.* testibus Contectio in collect. priuileg. Quaranta in summa Bullar. verb. ordo & alijs. Probatur adhuc hæc pars ratione, quoniam cum ad ritè & legitimè Ordines alicui conferendos duo tantum requirantur, videlicet potestas in conferente, & iurisdictio in eum qui ordinari cupit, & vtraque non desit; sequitur dictos Abbates, prædictos Ordines legitimè præmissis personis regularibus & sæcularibus posse conferre; quod etiam colligitur ex decretis sacræ congregationis adductis à Iacobo de Graffiis in opere Consil. lib. 1. de temp. ordinand. cons. 1. n. 14.

Nec obstat quod priuilegium sit limitatum ad solos monachos subditos; quia respondetur id esse intelligendum iuxta Trident. scilicet vt non possit exteros ordinare sine licentia Diœcesani loci, in cuius diœcesi ordinator commoratur: & sine litteris dimissorijs specialibus Episcoporum, si sint sæculares, & superiorum illorum Regularium, qui ordinari volunt: vnde existimo quod pro ordinandis regularibus Episcopi consensus non requiratur: nisi in Ecclesijs subditis eidem, Ordines conferantur, vt tenet Arch: Roman. de priuileg. in addit. pag. 7. dum post Iacob. de Graffiis decis. lib. 1. cap. 10. asserit prædictos Abbates inuitatos à Prælatis exemptis posse in monasterijs exemptis Ordines minores conferre: nec etiam requiritur, vt singulis vicibus hic consensus seu licentia ab Episcopo concedatur, sed sufficit vt sit generalis; ratio est quia priuilegia has duas restrictiones à sacra Congreg. appositas non requirunt.

Petes num valeant Ordines collati ab huiusmodi Abbatibus, regularibus & sæcularibus non subditis, si prædictam licentiam ab eorumdem Prælatis non habuerint. Respondetur valere, quoniam actus factus contra formam traditam à lege sine clausula annullatiua valet, licet contra faciens veniat puniendus: sic Glosa sequuta Archidiac. in cap. Abbates de priuileg. in 6. ver. tonsura. Rota. 1. part. decis. in nouiss. decis. 570. & Archan. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Ordines.

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Abbates non benedicti possunt similiter ac benedicti suis subditis Regularibus, & sæcularibus, ac alijs etiam sæcularibus & Regularibus non subditis, Tonsuram & quatuor Minores conferre.

In duplici genere sunt Abbates, non benedicti, alij enim sunt Abbates non Benedicti, quibus benedictionem Episcopus recusauit, alij autem, quibus non recusauit, nec benedicendi sunt; quoad 1. genus Abbatum propositio probatur ex c. 1. de supp. neglig. Prælat. in quo sic habetur, *si Episc. 3. cum humilitate & deuotione, sicut conuenit requisitus, Abb. benedicere renuerit, liceat Abbat. proprios monachos benedicere, & alia quæ ad Officium pertinent exercere*; sed ad illorum Officium spectat 1. tonsuram & quatuor minores Ordines conferre, ergo illa omnia [licet recusata benedictione] possunt exercere; nec potest dubitari, quin Papa hoc priuilegium possit concedere; quoniam hæc benedictio non imprimit characterem; neque est ex Christi institutione, vt necessaria reputetur ad hanc concessionem; sicut ergo Papa potest simplici sacerdoti absque præuia benedictione committere potestatem conferendi confirmationem, sic & facultatem illos Ordines conferendi, sicut de facto illam commisit, ac sic tenent citati Hostien. & Armil. Aurea qui addunt dictos Abbates non posse conferre illos Ord. in monasterijs alienis non exemptis; quod ego crediderim, si Episc. illorum superior non consentiat: si autem consenserit, vel illos vocauerit, posse tunc temporis Ordines prædictos conferre, cum, vt supra probatum est, possit Episcopus subditis huiusmodi Ordines ministrare, nullique propterea fiat iniuria.

Quoad autem aliud genus Abbatum non benedictorum neque benedicendorum vt sunt Abbates triennales, non reperitur quidquam super hoc illis à Iure communi concessum: sed tantum ex priuilegijs extra illud ius vagantibus: & probatur propositio quoad illos ex concessione Eugenij IV. 1437. facta Cisterciensi familiæ in Hispania in qua vult *vt Abbates triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus & singulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus, & insignibus Abbatialibus fungi possint*, & quamuis de hoc priuilegio, vt potè terminis nimis generalibus concesso dubitari posset, nihilominus Iulius II. priuileg. 19. n. 7. omnem prorsus sustulit dubitationem concedendo dictis Abbatibus Ordinis Cisterciensis illam potestatem his verbis *nec non Nouitios, & alios quoscumque dicti monasterij subditos, prout poterant præfati perpetuò Abbates clericali charactere insigniendi*, vbi Suarez proximè citatus n. 25. per clericalem characterem intelligit quatuor minores vltra tonsuram, & ita praxis habet, etiam apud fratres Congreg. Fuliens. eiusdem Ordinis Cisterciensis, quam etiam facultatem concessit idem Iulius Congregationi Mileuitanæ referente Compend. priuileg. illius Congreg. priuileg. 13. fol. 10. & Eugenus IV. Congregationi Sanctæ Iustinæ, vt habetur in compend. priuileg. Montis Oleti priuileg. 50. & 51. & à Leone X. Camaldulensibus: eamdem etiam facultatem factam notat Marcell. à S. Bened. in compend. priuileg. Fuliens. verb. Abbas. n. 2. & denique Clemens VIII. priuilegia Camaldulensium confirmando, declarauit, & de nouo *concessit eorumdem Abbatibus, etiam non benedictis, & Prioribus similiter quòd possint Ord. Minores conferre suis subditis Regularibus* subdata die 3. Augusti. 1594. sic Archan. Roman. de priuileg. verb. Abbas. & denique id etiam declarauit sacra Congregatio Trident. referente Barbosa in Collectan. verbo ordo, die 16. Februar. 1610. affirmatque de iure id posse, licet non sint benedicti, sed tantum triennales: sic etiam tenet Tambur. de iure Abbat. quæst. 3. & idem resolutam fuisse 1619. refert Archang. Roman. de priuileg. lib. verb. Ordines. Et quamuis ferè hæ omnes concessiones non loquantur, nisi de subditis, attamen à Doctoribus extenduntur ad non subditos cum circumstantiis in præcedentibus appositis; ratio est, quoniam si Prælati huiusmodi priuilegijs, prærogatiuis, & c. sicut benedicti gaudent, & benedicti hoc iure potiantur, sine dubio hi etiam illo gaudebunt.

Hic sub finem huius materiæ de Ordinibus Minoribus notabis quod Generalis Congregationis Fuliensium, etiam si Abbas non sit, & sit tantum triennalis inuista-

tus ab Episcopis aut Abbatibus potest non solum sibi subditis monachis in suis monasterijs, & in alienis; ac etiam in Ecclesijs sæcularibus, sed etiam Regularibus, & sæcularibus quibuscumque, cum dimissorijs suorum Prælatorum ad eum accedentibus, tonsuram & Minores Ordines conferre, seruatis tamen seruandis, & à Tridentino requisitis, & quoad suos subditos. Probatur ex concessione Pauli V. per Bullam sub data die 6. Augusti 1611. Pontificatus illius anno 7. vbi expressè habetur, & etiam reperitur in Compend. priuileg. eorumdem verbo. *Ordines quoad subditos.*

Quoad verò alienos verificatur eo modo quo supra probatum fuit de Abbatibus; quo circa non ampliùs immoramur; cum in vtrisque sit par ratio: num autem Priores ordinum illorum monachalium, qui in priuilegiis cum ordine Camaldulensi communicant, illo priuilegio conferendi Minores Ordines potiantur; sicut Abbas, & priores illius Ordinis eo gaudent. Respondetur ex vi formæ communicationis gaudere: & sic tenet Archan. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Abbas.

Vtrum autem sit aliquod priuilegium in dictis Abbatibus ad conferendum presbyteratus ordinem nullum video: sed dumtaxat, quod in monasterio. S. Dionysij, in Gallia possit eligi à Religiosis ibi commorantibus, vnus ex monachis, Episcopus, ad tonsuram & quatuor Minores & omnes Ordines Religiosis S. Benedicti (quorum est id monasterium) conferendos, & cætera munia, quæ ad potestatem Ordinis spectant exercenda, de quo vide Celotium in Hierar. Ipsius autem tenorem hic inserere iudicaui ex Bulla Stephani inchoata: *Igitur* extractum *vos etiam habere vobis Episcopum per singulare priuilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate vel à fratribus in monasterio vestro electus, & à fratribus nostris Episcopis de illa regione consecratus, illa monasteria vestra à vobis ædificata; & vice nostri nominis vbi & vbi fuerit regat: & prædicatione tam in ipso monasterio, quam in ipsis sibi adiacentibus deseruiat. Vt autem alicuius Ecclesiæ Episcopus, vel sacerdos ista monasteria aliquo cupiditatis vinculo deceptus non inuadat; & illi Episcopo, quem tu vel successores hic elegerint, & ordinari fecerint per inuidiam, aut per quamlibet occasionem aliquam contradictionem inferat omnino prohibemus.* Quod priuilegium Adrianus confirmauit his terminis. *Quapropter auctoritate Beati Petri Apostolorum principis fulti in iam dicto venerabili monasterio statuentes promulgamus, vt penitus liceat ibidem habere Episcopum: sicut à priscis temporibus & vsque hactenus fuit &c.* num autem in præsenti illud monasterium dicto priuilegio frui possit, mei muneris non est singula priuilegia non mendicantium scrutari, & examinare; quocirca ipsi viderint; Nam quod multi Abbates, ex eo quod illius, aut illius loci Abbates existunt, sint Episcopi omnes docti scient, vt sunt verb. gratia Farfensis in Sabina: & Sublacensis in Latio. Quid autem prędictis Abbatibus contigerit circa Cardinalitiam dignitatem? hoc habeas, quod ille qui Abbas in Cluniacensi monasterio eligebatur Cardinalitia dignitate decorabatur, vt testatur Chopin. de sacra polit. lib. 2. tit. 6. ac etiam ille, qui in Vindocinensi Monasterio in Gallia Abbas creabatur priuilegio ab Alexandro II. concesso: & à Greg. VII. Vrbano II. Honorio II. & Innoc. III. confirmato, non alia Pontificis obtenta facultate Sanctæ Priscæ Cardinalis censebatur: quam prærogatiuam nescio quo fato illud monasterium amisit. Lege Petrum Frison in Gallia purpurata l. 2. in Goffrido.

PROPOSITIO IV.

Videtur satis probabile quod Abbates benedicti, qui participant in omnibus priuilegijs, cum Abbate Cisterciensi, & quatuor Abbatibus principalibus eiusdem Ordinis possunt conferre subdiaconatus & diaconatus Ordines, ijs quibus possunt tonsuram & Minores conferre.

Quod Abbas Cisterciensis, & quatuor primi Abbates illius Ordinis sint hoc priuilegio decorati ostendit vsus & concessio Innocentis VIII. Bulla quæ incipit *Exposcit tuæ deuotionis* in qua hæc verba ad dictos Abbatis directa habentur. *At ne monachi dicti Ordinis pro suscipiendis diaconatus, & subdiaconatus ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, & successoribus tuis, vt quibuscumque dicti Ordinis monachis: alijs verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, vt suorum monasterio-*

rum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus & diaconatus Ordines huiusmodi aliàs ritè conferre liberè & licitè possitis & auctoritate Apostolica & ex certa scientia tenore præsentium, de speciali dono gratiæ indulgemus, quibus constat hanc facultatem expressè illis impartiri Pontificem: ac ita illis concessam esse testantur Maior, Victoria Nauarrus, Vasquez, Chopinus, Gamach. Ysambert; Saussaius, Rodericus, Marchinus, & Archang. Roman. & quam ego ipse vidi in authentico ab Abbate Cisterciensi an. 1652. Burdegal. ad Patres Societatis Iesu Burdegal. occasione cuiusdam sitis, misso: eamque esse in vsu sciunt quotquot in illis partibus degunt, & testantur aliqui ex præmissis Doctoribus.

Nec cuipiam difficilè potest videri, cum ferè 40. sint auctores, qui existimant Pontificem Romanum, posse non Episcopo dare facultatem conferendi sacros Ordines.

Obijcies Trident. sess. 23. c. 10. dictis Abbatibus solum dat facultatem conferendi tonsuram, & quatuor minores, & cap. 12. vult vt Episcopus examinet Regulares præsentatos ad sacros Ordines suscipiendos, ad probandum si digni sunt cum clausula reuocatoria priuileg. Regularium. Respondetur quod in locis in quibus Trident. non est receptum nulla est super hoc difficultas, vt de Gallia affirmat Tamburin. tom. 2. de Iure Abbat. disp. 2. quæst. 5. vbi approbat vsum illius priuilegij in dictis Abbatibus, ex eo quod illorum Abbatiæ in Gallia sunt sitæ, licet existimet hoc priuileg. per Trident. esse reuocatum. Vbi verò Tridentinum viget, dubium oritur si clausula illius Concilij reuocet hoc priuilegium; probauimus autem in 1. tract. hanc clausulam non sufficere, quod etiam in hac speciali materia censet Nauarr. Consil. 13. de priuileg. cùm asserit *illam clausulam non esse ita expressam, quin illius coniecturæ dissolui possint*; ac proinde cùm sit dubium de reuocatione illius priuilegij, stat priuilegium in suo robore, vt alibi diximus, & probauimus, dicto tract. denique post Trident. illud priuilegium fuit confirmatum, vt inferius dicetur; quod videtur omne dubium prorsus tollere; àc propterea asserendum posse dictos Abbates illo vti; non solùm erga Regulares & sæculares subditos, sed etiam erga non subditos: sicut de minoribus Ordinibus superiùs ostendimus; cum sit in vtrisque par ratio.

Quibus sic stantibus insuper probatur propositio; quoniam vt alibi probauimus priuilegia communicantium cum illo ordine confirmata sunt; ergo sunt in suo firmo robore; ergo Abbates communicantes possunt illa facultate vti: ac sic tenet Ioann. de la Cruz de Stat. Relig. cap. 8. dub. 1. Concl. 1. sub finem; & alij qui vt videbimus infra sustinent in reliquis prædictæ Bullæ *Exposcit* participare: cur enim potiùs in vno quàm in alio participent? non potest assignari ratio sufficiens. Imò cum sit eadem ratio in his, ac in illis, debent in omnibus priuilegijs participare, & non ab huius communicatione excludi. Nec dicas hoc priuilegium concessum fuisse ob specialem notam Abbatum, aut Abbatiarum huiusmodi, quæ non reperitur in cæteris; nam respondetur illam notam in eisdem reperiri, vt videre est in motiuo, quo Innocentius ad illud concedendum impulsus fuit, quod constat partim ex verbis priuilegij superiùs insertis, partim ex ijs, quæ in principio Bullæ, in qua emanauit, continentur, quæ talia sunt: *Exposcit tuæ deuotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, vt tam te &c.* & quamuis hæc nota in illis nõ inueniretur, valeret pro eisdem Abbatibus, cùm æquè principaliter in hoc priuilegio, sicut in alijs communicent: verùm cùm vsus illius facultatis non vigeat in proximè dictis Abbatibus, non audeo hoc priuilegium illis absolutè concedere: licèt non habeam pro contraria sententiâ rationem, qua ei assentiri cogat; quo circa meum iudicium doctiorum iudicio submitto.

PROPOSITIO V.

PRædicti Abbates Mitra, Annulo, Baculo, & alijs insignijs Pontificalibus vti possunt: nec non in suis monasterijs Benedictionem solemnem post Missarum, vesperarum, & matutinarum solemnia, etiam si in

benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel sedis Apostol. Legatus præsens fuerit, elargiri: ac denique Baculum in processionibus solemnibus, quas in suis Ecclesiis faciunt deferre liberè & licitè possunt.

Constat hæc veritas ex priuilegiis concessis Cononicis Regul. S. Saluatoris Lateran. vt refertur in compend. priuileg. Fuliens. verb. Abbas. §. 2. & 3. constat etiam ex priuilegio in præcedenti propositione adducto Abbati Cisterciensi, & aliis 4. Abbatibus Bulla inchoata *Exposcit* concesso, & ex concessione Vrbani IV. facta Abbati Monachorum Congregationis Montis Virginis Bulla inchoata *Ecclesia Romana* quam refert Cherub. in qua præter vsum Mitræ, Baculi, &c. concedit vsum benedictionis solemnis omni die. Accedit præmissis hæc ratio, quoniam cùm hæc Pontificalia requirantur ad Ordines conferendos, & isti Abbates possint Ordines conferre, sequitur quod possint huiusmodi Pontificalibus vti; ac proinde cætera omnia, quæ minoris dignitatis sunt, exercere: habetur etiam expresè hæc prærogatiua concessa, ex priuilegio Benedictionis à Iulio II. facto, quod refertur in Bullario Roderic. sub titulo 25. Bullæ: ac sic tenet idem Roderic. tom. 1. QQ. RR. quæst. 28. art. 2. qui ad id probandum affert priuilegium præfatum: possuntque prædicta in alienis Ecclesiis exercere, dummodo accedat consensus Episcopi. Imò contra Roderic. possunt illa omnia exercere in Ecclesijs aliorum Regularium, si accedat Superiorum eorumdem assensus, vt superius similiter diximus de facultate Ordines conferendi; cum sit in vtroque eadem penitus ratio, nec aliundè prohibeatur: & locus exemptus habeatur, vt existens extra diœcesim; sicut aliàs probauimus, ac propterea non sit necessaria licentia, seu assensus Episcopi, ac sic tenet & citatus Cherubinus Archan. Rom de priuileg. in addit. & pag. 7. vbi asserit posse prædictos Abbates in Ecclesia aliena celebrantes vti benedictione Pontificali cum verbis: *sit nomen Domini benedictum*.

Num autem possint vti baldachino? Respondetur quod sic in 3. Festiuitatibus quolibet anno quando in suis Ecclesiis solemniter celebrant ex Sac. Congreg. Rituum declaratione in fauorem Abbatum Cassinens. & ex concess. Vrbani VIII. Constitut. 151. annò 1620. ac sic tenet Barbosa in Collectan. verb. Abbas, vbi ostendit pluribus Prelatis diuersorum ordinum Regularium, quos enumerat, hanc facultatem esse, à sede Apostolica concessum. Num autem Priores illi qui communicant in priuilegijs cum Prioribus Camaldulensibus possint vti Pontificalibus? Respondetur quod sic, nisi obstet ex propria Religione; sic citatus Archang. cuius doctrinam magnifacio, vtpotè approbatam à magnis doctoribus Romæ existentibus, & præcipuè à sacri Palatij Magistro.

PROPOSITIO VI.

PRæfati Abbates possunt consecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere lapides, pixides, & alia vasa Ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum.

Hæc propositio probatur ex consuetudine fundata in præinserto priuilegio Innoc. VIII. his verbis expresso *concessit dictis Abbatibus & quatuor primis Coabbatibus eius, tunc & pro tempore existentibus vt de cætero perpetuis futuris temporibus quæcumque vestimenta, & ornamenta Ecclesiastica, corporalia, vasculaque ad reponendam sacram Eucharistiam in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere & calices consecrare, tam de dicto ordine quam si ad eos aliundè nonnunquam deferantur, valeant & possint*: fuitque hoc priuilegium à Greg. XIV. confirmatum, ac etiam à Sixto V. Clem. VIII. Paulo V. Congregationi Fuliensium communicatum, vt habetur in priuilegiorum eorumdem compend. verb. communicatio § 1. 2. & 3. cum antea concessum dumtaxat dicto abbati Cisterciensi, & 4. primis Coabbatibus, communicatum fuisset Abbatibus congregationis S. Berna di Hispaniæ, vt refertur in dictis Compend. priuileg. Ordinis Cistereiensis & Congregationis Fulienf. & hanc sententiam sustinent Barb. de potest Episc. patt. 2. alleg. 26. n. 36. Miranda in man. Prælat. tom. 2. q. 40. art. 4.

Digitized by Google

Portel. in dub. Regul. verb. Abbas.n.3. Roder. in summ. tom.3. c. 19. n.2. & nouissimè Tambur. de Iure Abbatum tom. 7. disput. 23. q. 13. vbi sic loquitur. *Abbatibus non est interdictum campanas ad vsum alterius loci consecrare, vt docet communis praxis & consuetudo, videmus enim actu Abbates habentes vsum Pontificalium consecrare Campanas, vndecumque ad eos ad huncce effectum delatas, & idem dicendum puto de altaribus portatilibus, decorporalibus, & vestibus & caeteris*: ita Tambur. cui assentitur Ricciusin collect. parte 4. coll. 955. & Archang. Roman. de priuileg. in addit pag. 5. & licet non reperiatur in dicto Innoc. priuilegio potestas expressè concessa ad Campanas consecrandas, idem tamen de illa dicendum est, ex priuilegiis Vrbani II. & Pauli III. quae referuntur à Tambur. vbi suprà & à Renato Chopino in Monast. lib. 1. tit. 2. n. 18. quocirca cum sacra Congregatio Cardinalium, vt refert Naldus in summa verb. Abbas, n. 4. declarasset, *quod Abbas benedictus mitra, & baculi pastoralis vsum habens, non poterat se ingerere in illis benedictionibus, in quibus requiritur vnctio.* Dubitatum posteà fuit, an huiusmodi declaratio seu prohibitio esset intelligenda de omnibus Abbatibus. etiam Regularibus, qui gaudent priuilegijs amplissimis pro benedictionibus altarium, calicum & aliorum huiusmodi? & eadem Congregatio instante Procuratore generali Congregationis Cassinens. & exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem, declarauit in haec verba, videlicet *Decisionem aliàs à se editam, vt Abbates vtcumque benedicti benedicere non possint ea, in quibus requiritur vnctio, non obstare quominus y dem praedicta benedictionis munus, quoad ea in quibus vnctio requiritur impendere queant, si specialibus sedis Apostolicae priuilegiis, quibus Trid. minimè derogat, sint muniti. Datum Romae die 10. Nouembris 1614.* At, vt superius retulimus habent praedicti Abbates huiusmodi priuilegia; ergo etiam ex Sacrae Congregationis sententia possunt benedictionis munus ijs impendere, in quibus vnctio requiritur; cùm Tridentinum non obstet, nec deroget priuilegio.

Obijcies dictis Abbatibus in Iure comm. cap. *Abbates* iuncta Glossa in verb. *tonsuram* de priuileg. in 6. haec potestas denegatur. Respondetur hoc ita esse: verùm per priuilegia specialia, & consuetudinem huic iuri derogatum esse, vt in principio huius propositionis diximus.

Num autem possint in aedificandis capellis aut Hospitalibus primarium lapidem & fundamenta Pontificali more benedicere? Respondetur id posse Abbates generales, qui in priuilegiis cum Abbate generali Caelestinorum communicant; cum huic illam facultatem concesserit Caelestinus V. 1294. quam refert citatus Archang. Haec de facultatibus Abbatum Regularium ad Ordines conferendos, consecrationes, Pontificalia & alia huiusmodi facienda, dicta sufficiant, ad quę probanda digressi sumus in gratiam Ordinum Canonicorum Regularium. S. Augustini, S. Benedicti, Cisterciensis, Camaldulensis, Fuliensium & S. Caelestini, & aliorum si qui sunt; licet in hoc opere nobis non incumbat agere de priuilegiis illorum Ordinum; nisi quatenus cum eisdem Ordines mendicentes communicant. Hic tamen finem imponendo aduertas velim nomine Pontificum venire huiusmodi Abbates vt optimè docet Tambur. de Iure Abbat. tom. 1. disp. 1. quaest. 6. & probatur ratione quoniam aliàs Pontificale Romanum pro omnibus Ecclesiae Praelatis à Clemente VIII. ordinatum Abbatibus non conueniret, nam ferè semper Pontificis nomine appellatur Praelatus ille, ad quem huiusmodi functiones in eo praescriptas exercere spectat.

PROPOSITIO VII.

PRaelati aliorum ordinum, qui non sunt Abbates non communicant in priuilegijs conferendi Ordines: vtendi Pontificialibus: & consecrandi plura ex enumeratis superiùs; ac consequenter non possunt dictos Ordines conferre: nec consecrare absolutè omnia quae possunt Abbates.

Haec propositio probatur ex silentio omnium Doctorum, qui de hac facultate in illis Praelatis existente, nullam mentionem faciunt. Huic rationi accedit non vlus

tem, si non interdicti exerceant, vt tenet Greg. lib. 4. institut. Iur. cap. 2. litr. C. relatus à Baunio in summa cap. 36. quæst. 1. qui est etiam eiusdem sententiæ.

PROPOSITIO III.

POssunt Regulares in vna & eadem die siue Temporibus à Iure statutis, siue extra illa sacros Ordines maiores, à quocumque Episcopo recipere.

Dixi maiores, quoniam de minoribus non est dubium, vt tenet Glosa in cap. *De eo* de tempor. ordinand. Armilla tit. ordo §. 6. Nauarr. in man. c. 25. n. 71. Sorbus verb. Ordines, qui omnes dicunt posse illos simul in vna die iuxta Canones suscipere, si hoc indicant Episcopi: hæc autem propositio de Maioribus Ordinibus probabitur si referamus diuersas summorum Pontificum concessiones circa hanc materiam & 1. Adrianus VI. vt habetur in compend. priuileg. Mendic. verb. Ordines §. 11. *concessit quod Prior generalis Ordinis S. Hieronimi, & singuli Priores eiusdem Ordinis præsentes, & futuri possunt eligere quemcumque Episcopum Catholicum communionem sedis Apostolicæ habentem, qui personas singulorum monasteriorum huiusmodi idoneas, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta tribus diebus dominicis, siue festiuis duplicibus successiue promouere poterit, diæcesanorum licentia super hoc prius requisita.* Cui conforme est priuilegium factum societati Iesu à Greg. XIII. Bulla in præcedentibus propositionibus Citata, inchoata *pium & vtile* huiusce tenoris ad Antistites directa: *vt Religiosi illius societatis ad minores: ac etiam extra tempora à Iure statuta tribus dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis ad sacros etiam presbyteratus Ordines promoueant*: quod etiam Clemens VIII. fratribus S. Ioan. Euangelistæ in Portugallia sub data 23. Nouembris 1596. concessit: & Portel. verb. Ordines testatus se vidisse illud in compend. priuileg. illius Religionis. Maius priuilegium concessit Benedictinis Eugenius IV. vt habetur citato verbo per Bullam compend. priuileg. mendic. §. 9. his terminis; *Eugenius IV. Concessit vt singuli monachi præsentes & futuri S. Benedicti ad id idonei, quos prior sui Monasterij ad hoc elegerit, siue nominauerit semel dumtaxat anno quolibet, omnes etiam sacros Ordines vna & eadem die, etiam extra tempora Iure statuta à quibuscunque Antistitibus Catholicis gratiam & Communionem sedis Apostolicæ habentibus, cuiusuis super hoc licentia minime requisita, suscipere, dictique Antistites eisdem monachis Ordines eiusmodi conferre possint.* In quibus concessionibus 1. dignoscitur differentia maxima; nam prima quæ est Adriani dat facultatem eligendi quemlibet Antistitem ad effectum dictos Ordines tribus diebus successiuè suscipiendos, Diæcesani licentia priùs requisita, secunda & tertia eamdem facultatem à quolibet Antistite suscipiendi dictos Ordines diuersis diebus, siue continuis, siue non, impartitur, absque licentia diæcesani: ad quos cõferendos alter ab illo sub præcepto obligatur. Quarta quæ est Eugenij semel in anno eadem die dictos Ordines à quolibet Antistite absque proprij licentia suscipere permittit. 2. ex dictis concessionibus duo manifesta sunt; primum Regulares gaudere priuilegio recipiendi omnes sacros Ordines extra tempora à Iure statuta. Secundum posse illos assumere vno & eodem die. Quoad primum ita tenent Portel citatus, Villalob. In Summ. tomo 1. tract. 11. diffic. 12. n. 8. &c. diffic. 13. n. 6. Ioann. de la Cruz de Stat. Relig. lib. 2. c. 8. dub. 1. & cap. 3. dub. 6. Homoban. de exam. Ecclef. tom. 1. tract. 2. cap. 1. q. 3. Moneta de commut. vltim. volunt. c. 10. n. 188. Barb. de potest. Episcop. parte 2. alleg. 17. Hyeron. Roder. in compend. quæst. Regul. Resolut. 106. n. 7. qui affert in huius sententiæ fauorem decretum sacræ Congregationis sub Greg. 13. emanatum. Roder. in quæst. Regul. tomo 3. q. 23. art. 5. & tomo 1. q. 53. art. 17. Laiman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. c. 8. n. 2. Diana parte 2. tract. 2. Resolut. 31. & Barbosa in cap. VIII. sess. 23. Trid. n. 4. & 5. & alij. Ratio 1. est quia illa priuilegia, vbi receptum est Trident. ab illo minimè fuerunt reuocata, vt ex Roder.

Digitized by Google

optimè probat Villab. citatus, & licèt reuocata fuissent per Tridentinum, attamen post ipsum, hoc priuilegium (non obstante prohibitione facta in eodem) fuit absolutè concessum. 2. Ratio; quoniam cùm in hac materia Tridentinum non habeat Clausu'am reuocatoriam priuilegiorum, non censetur priuilegium reuocatum; cùm lex generalis non reuocet priuilegium paucorum, quando de illo non fit saltem generalis reuocatio.

Quoad secundum, videlicet posse dictos Regulares vna & eadem die illos omnes sacros Ordines suscipere ex prima parte propositionis habetur probatum; nam cùm non sit maior ratio, cur illud priuilegium validum sit, quàm hoc, necesse est concludere eodem modo sentiendum esse de vtroque, ac ita tenent præfatus Roder. & Villal. & alij etiam præcitati, si consequenter loquantur.

PROPOSITIO IV.

Regulares à quolibet Episcopo in propria & aliena diœcesi, & in suis proprijs domibus Ordines recipere possunt sine licentia Episcopi Diœcesani: ac etiam ipso contradicente, & sine obligatione aliqua ordinando imponenda.

Hæc veritas quoad primam partem præter ea quę in præcedentibus deducta sunt, probatur ex concessione facta Monasterio Cluniacensi à Lucio II. à Pio IV. confirmata B. *dum ad vniuersos*, & ex concessione facta monasterio Hirsaugensi ab Vrbano II. B. *Hanc chartam* quæ expresè habent hanc facultatem. 2. ex expressis declarationis Pij V. Bulla *Etsi mendicantium* terminis etiam superiùs allatis, in quibus sic habetur: *Ita quod fratres huiusmodi, præfatos etiam sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam &c. Ordinarij loci licentia minimè requisita in locu seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint.* Quid clarius? nec obstat huic veritati Bulla Leonis X. in Concil. Lateran. edita, quæ hoc Episcopis alienæ diæcesis prohibet; quoniam vt superius diximus, hæc Bulla reuocata est, ac eam etiam reuocat proximè dictus Pius, vt tenet cum multis alijs Ioann. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 3. dub. 5.

Probatur quoad 2. partem videlicet quod omnes præfati Episcopi siue diœcesani, siue alij tenentur dictos Ordines conferre Regularibus absque vlla promissione, vel obligatione Regularium ordinandorum expresè habetur in concessione facta ordini Cister. priuileg. 20. n. 2. de priuileg. VIII. n. 3. & ex concessione facta congregationi Clericorum, qui ministri infirmorum nuncupantur à Greg. XIV. qua habetur Bulla eorumdem XI. & ex concessionibus Pauli III. & Greg. XIII. factis societati Iesu, de quibus superius sæpe; & habetur in compend. priuileg. eorumdem verb. Ordines, his terminis desumptis ex Bulla inchoata, *Licet debitum: potest præpositus Generalis præsentare nostros cuicumque Catholico Antistiti, gratiam & communionem sedis Apostolicæ habenti, atque sic præsentatos absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum ad omnes sacros Ordines promouere*: & denique ex præcitatis concessionibus factis fratribus Prædicatoribus & Minoritis, in quibus id expresè habetur, quibus sic existentibus cognoscere poterunt illustrissimi quidam Antistites, quam grauiter sanctissimæ sedis Apostolicæ dignitatem, & Regularium ius fædant, cùm sacros Ordines conferre recusant, & eos conferentes quasdem promissiones, & obligationes ab illis extorquent, & hanc iniuriam mente recolentes in posterum procul dubio à similibus abstinere satagent. Faxit Deus.

Digitized by Google

n. 56. sic loquitur *hodie tamen videtur receptum vt ordines minores omnes dare possint Abbates, & Priores monasteriorum exemptorum* citatque plures de nominatim. Syluestrum in suæ sententiæ probationem.

Obijcies. Clementem IV. Abbati S. Benedicti Monasterij Sanctę Crucis Burdigalæ & successoribus eius concessit facultatem conferendi tonsuram, quam in proprio originali in eodem monasterio conseruatam vidi; ergo Abbates illius Ordinis non habent illud priuilegium; Alioquin in vanum illa concessio facta fuisset. Respondetur 1. plura Pontifices, quæ aliàs concessa sunt, ad tollendos scrupulos vel ad sedandas controuersias de nouo concedere, vt diximus in tract. de priuileg. in comm. Respondetur 2. quod ille Abbas non habebat tunc temporis facultatem deferendi Mitram, Chirotecas, Sandalia, Dalmaticam &c. aut saltem dubitabatur, si haberet, quorum vsum postea obtinuit ab Innoc. VIII. cuius priuilegij originale est etiam in dicto monasterio, quod ego etiam vidi; ac propterea cùm posset dubitari, num carens huiusmodi gratia & prærogatiua posset conferre tonsuram, vt Pontifex omne dubium circa hanc materiam tolleret, hanc facultatem illi, & eius successoribus concessit. Quocirca existimo cum citato Zipæo præsupposito quod Abbatia aliqua sit authoritate Apostolica erecta cum vsu pedi, & mitræ, insignibus, & prærogatiuis, Abbatem illius posse tonsuram & dictos ordines conferre.

PROPOSITIO II.

Abbates Regulares prædicta facultate potiuntur in subditos nouitios, & sæculares in quos iurisdictionem quasi Episcopalem habent & in alios Regulares, & sæculares, sibi non subditos: dummodo Prælatorum eorumdem accedat consensus.

Hæc veritas quoad 1. partem probatur 1. quoniam verba concessionis, seu illius facultatis habent, vt suis monasterijs, subditis suis Regularibus possint tonsuram & prædictos Ordines conferre; ergo cum Nouitij sint de numero illorum subditorum, qui sunt in suis monasterijs, possunt illis conferre huiusmodi tonsuram, & Ordines minores, etsi habeant facultatem, etiam sacros, maximè cum hæc potestas sit beneficium Principis; ac proinde extendenda quantum verba patiuntur, & non restringenda. 2. expressè probatur de tonsura ex Innoc. III. in præfato cap. *Cum contingat* in quo habetur *Laici ad monasteria conuolantes à suis Abbatibus tonsurantur* per quæ verba, Nouitij propriè intelliguntur, qui à sæculo in Religionem conuolant: vnde Alexand. IV. in cap. *Abbates* de priuileg. in 6. hanc facultatem in duo membra distinguit dicens *Monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolarunt*, vbi per Conuersos non intelligit Religiosos Laicos, prout solent Conuersi à Monachis distingui, constat enim potestatem hanc, non pro illis præcipuè dari, sed intelligit monachos professos; quia in professione promittunt modum conuersionis: ergo per illos qui conuolarunt in monasteria intelligit Nouitios, quod Glosa ibi sentit verbo *Conuolauerunt* addens *vt ibi conuertantur & fiant Monachi* & idem sentiunt ibi Franciscus, & Cardinalis Alexandrin. in Practica parte 1. c. de Clericis n. 18. Armilla Aurea verbo Abbas n. 6. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 29. n. 12. & 13. & alij, & hæc sententia sequenda est, quam per priuilegium Iulij II. expressè in fauorem Ordinis Cisterc. in Hispania confirmatam reperies in compend. priuileg. eiusdem Ordinis, & ex concessione Pontificia, de qua infra his verbis *nec non nouitios & alios quoscumque monasterij subditos, prout poterant præfati perpetui Abbates Clericali caractere insigniendi* vbi per caracterem clericalem intelligenda sunt tonsura & 4. Minores vt inferius probabitur.

Quoad verò secundam partem, videlicet quod polleant eadem facultate in subditos sæculares probatur. ex cap. *Abbates* de priuileg. in 6. vbi illis Abbatibus expressè conceditur his verbis: *vt possint primam tonsuram conferre monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolarint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisf-*

CCC

dictionem obtinent: quibus vltimis verbis satis patet sæculares subditos posse ab illis tonsura insigniri: imò multi Expositores, quos refert Syluester verb. ord. 3. quæst. extendunt illam concessionem ad quatuor minores Ordines, estque manifestè ad illos extensa per priuilegia extra Ius commune vagantia, vt inferius patebit.

Obijcies obstare Trident. sess. 23. c. 10. his verbis *vt amplius non liceat Abbatibus cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre.* Respondetur 1. non obstare vbi non est receptum. Respondetur 2. non etiam obstare vbi receptum est, quoniam non reuocat ius commune, sed tantum priuilegia, præscriptiones, & consuetudines immemoriabiles: ostendimus autem alibi gratias, quæ in Iure communi insertæ sunt, similibus reuocationibus non abrogari: hæc autem facultas est dictis Abbatibus à Iure communi concessa. Respondetur 3. hoc priuilegium sicut & alia priuilegia, absolutè esse confirmatum, vt diximus, & probauimus a'ibi, etsi dubium esset an illud priuilegium esset reuocatum, necne credendum esset, non esse reuocatum; cum in dubio priuilegium non præsumatur reuocatum, vt tenent Parisius lib. 2. Concil. 61. n. Alciat. Respons. 19. n. 4. Anthon. Sanctarelli in variis resolut. 4. 2. q. 16. n. 11. & alij, quos ipse citat. cum Diana parte 4. tract. 3. de conscient. dub. 3. resolut. 51.

Tertiam verò partem propositionis, videlicet, quod eadem facultate polleant in alios sæculares & Regulares tenent Armilla Aurea verbo Abbas. n. 6. post Hostiensem, & alios in dictum cap. *Cum contingat* Syluester verb. Abbas 3. quæst. 5. n. 5. Piazecius in praxi Episcop. parte 1. & Lælius cap. 25. Quaranta in summa Bullar. verb. ordo Bonac. de Sacram. disput. vnica punct. 4. & Marcellin. à S. Bened. in compend. priuileg. Fuliens. verb. Ordines in Schol. §. 1. vbi notat sacram Congregationem sic declarasse, cuius declarationem hic inserere iudicaui. *Sacra Congregatio declarauit quod Abbas, postquam benedictionis munus, & sacerdotalem Ordinem susceperit, potest tonsuram & minores Ordines sæcularibus, Episcopi iurisdictioni subiectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, & litteras dimissorias ab eodem Episcopo impetrauerint. Item potest eosdem Ordines conferre alijs Regularibus, qui dimissorias speciales suorum & specialem consensum Episcopi loci habuerint. Ita vt satis non sit, id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singulis. die 7. Septembris 1593.* testibus Collectio in collect. priuileg. Quaranta in summa Bullar. verb. ordo & alijs. Probatur adhuc hæc pars ratione, quoniam cum ad ritè & legitimè Ordines alicui conferendos duo tantum requirantur, videlicet potestas in conferente, & iurisdictio in eum qui ordinari cupit, & vtraque non desit; sequitur dictos Abbates, prædictos Ordines legitimè præmissis personis regularibus & sæcularibus posse conferre; quod etiam colligitur ex decretis sacræ congregationis adductis à Iacobo de Graffiis in opere Consil. lib. 1. de temp. ordinand. cons. 1. n. 14.

Nec obstat quod priuilegium sit limitatum ad solos monachos subditos; quia respondetur id esse intelligendum iuxta Trident. scilicet vt non possit exteros ordinare sine licentia Diœcesani loci, in cuius diœcesi ordinator commoratur: & sine litteris dimissorijs specialibus Episcoporum, si sint sæculares, & superiorum illorum Regularium, qui ordinari volunt: vnde existimo quod pro ordinandis regularibus Episcopi consensus non requiratur: nisi in Ecclesijs subditis eidem, Ordines conferantur, vt tenet Arch. Roman. de priuileg. in addit. pag. 7. dum post Iacob. de Graffiis decis. lib. 1. cap. 10. asserit prædictos Abbates inultatos à Prælatis exemptis, posse in monasterijs exemptis Ordines minores conferre: nec etiam requiritur, vt singulis vicibus hic consensus seu licentia ab Episcopo concedatur; sed sufficit vt sit generalis, ratio est quia priuilegia has duas restrictiones à sacra Congreg. appositas non requirunt.

Petes num valeant Ordines collati ab huiusmodi Abbatibus, regularibus & sæcularibus non subditis, si prædictam licentiam ab eorumdem Prælatis non habuerint. Respondetur valere, quoniam actus factus contra formam traditam à lege sine clausula annullatiua valet, licet contra faciens veniat puniendus: sic Glosa sequuta Archidiac. in cap. Abbates de priuileg. in 6. ver. tonsura. Rota. 1. part. decis. in nouiss. decis. 370. & Archan. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Ordines.

PROPOSITIO III.

ABbates non benedicti possunt similiter ac benedicti suis subditis Regularibus, & sæcularibus, ac alijs etiam sæcularibus & Regularibus non subditis; Tonsuram & quatuor Minores conferre.

In duplici genere sunt Abbates, non benedicti, alij enim sunt Abbates non Benedicti, quibus benedictionem Episcopus recusauit, alij autem, quibus non recusauit, nec benedicendi sunt; quoad 1. genus Abbatum propositio probatur ex c. 1. de supp. neglig. Prælat. in quo sic habetur, *si Episc. 3. cum humilitate & deuotione, sicut conuenit requisitus, Abb. benedicere renuerit, liceat Abbat. proprios monachos benedicere, & alia quæ ad Officium pertinent exercere*: sed ad illorum Officium spectat 1. tonsuram & quatuor minores Ordines conferre, ergo illa omnia [licet recusata benedictione] possunt exercere; nec potest dubitari, quin Papa hoc priuilegium possit concedere: quoniam hæc benedictio non imprimit characterem: neque est ex Christi institutione, vt necessaria reputetur ad hanc concessionem; sicut ergo Papa potest simplici sacerdoti absque præuia benedictione committere potestatem conferendi confirmationem, sic & facultatem illos Ordines conferendi, sicut de facto illam commisit, ac sic tenent citati Hostien. & Armil. Aurea qui addunt dictos Abbates non posse conferre illos Ord. in monasterijs alienis non exemptis; quod ego crediderim, si Episc. illorum superior non consentiat: si autem consenserit, vel illos vocauerit, posse tunc temporis Ordines prædictos conferre, cum, vt supra probatum est, possit Episcopus subditis huiusmodi Ordines ministrare, nullique propterea fiat iniuria.

Quoad autem aliud genus Abbatum non benedictorum neque benedicendorum vt sunt Abbates triennales, non reperitur quidquam super hoc illis à Iure communi concessum: sed tantum ex priuilegijs extra illud ius vagantibus: & probatur propositio quoad illos ex concessione Eugenij IV. 1437. facta Cisterciensi familiæ in Hispania in qua vult *vt Abbates triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus & singulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus, & insignibus Abbatialibus fungi possint*, & quamuis de hoc priuilegio, vt potè terminis nimis generalibus concesso dubitari posset, nihilominus Iulius II. priuileg. 19. n. 7. omnem prorsus sustulit dubitationem concendo dictis Abbatibus Ordinis Cisterciensis illam potestatem his verbis *nec non Nouitios, & alios quoscumque dicti monasterij subditos, prout poterant præfati perpetuò Abbates clericali charactere insignire*, vbi Suarez proximè citatus n. 25. per clericalem characterem intelligit quatuor minores vltra tonsuram, & ita praxis habet, etiam apud fratres Congreg. Fuliens. eiusdem Ordinis Cisterciensis, quam etiam facultatem concessit idem Iulius Congregationi Mileuitanæ referente Compend. priuileg. illius Congreg. priuileg. 13. fol. 10. & Eugenius IV. Congregationi Sanctæ Iustinæ, vt habetur in compend. priuileg. Montis Oleti priuileg. 50. & 51. & à Leone X. Camaldulensibus eamdem etiam facultatem factam notat Marcell. à S. Bened. in compend. priuileg. Fuliens. verb. Abbas. n. 2. & denique Clemens VIII. priuilegia Camaldulensium confirmando, declarauit, & de nouo *concessit eorumdem Abbatibus, etiam non benedictis, & Prioribus similiter quòd possint Ord. Minores conferre suis subditis Regularibus* subdata die 3. Augusti. 1594. sic Archan. Roman. de priuileg. verb. Abbas. & denique id etiam declarauit sacra Congregatio Trident. referente Barbosa in Collectan. verbo ordo, die 16. Februar. 1610. affirmatque de iure id posse, licet non sint benedicti, sed tantum triennales: sic etiam tenet Tambur. de iure Abbat. quæst. 3. & idem resolutam fuisse 1619. refert Archang. Roman. de priuileg. lib. verb. Ordines. Et quamuis ferè hæ omnes concessiones non loquantur, nisi de subditis, attamen à Doctoribus extenduntur ad non subditos cum circumstantiis in præcedentibus appositis; ratio est, quoniam si Prælati huiusmodi priuilegijs, prærogatiuis, &c. sicut benedicti gaudent, & benedicti hoc iure potiantur, sine dubio hi etiam illo gaudebunt.

Hic sub finem huius materiæ de Ordinibus Minoribus notabis quod Generalis Congregationis Fuliensium, etiam si Abbas non sit, & sit tantum triennalis inuita-

Digitized by Google

tus ab Episcopis aut Abbatibus potest non solum sibi subditis monachis in suis monasterijs, & in alienis; ac etiam in Ecclesijs sæcularibus, sed etiam Regularibus, & sæcularibus quibuscumque, cum dimissorijs suorum Prælatorum ad eum accedentibus, tonsuram & Minores Ordines conferre, seruatis tamen seruandis, & à Tridentino requisitis, & quoad suos subditos. Probatur ex concessione Pauli V. per Bullam sub data die 6. Augusti 1611. Pontificatus illius anno 7. vbi expressè habetur, & etiam reperitur in Compend. priuileg. eorumdem verbo. *Ordines quoad subditos.*

Quoad verò alienos verificatur eo modo quo supra probatum fuit de Abbatibus; quo circa non ampliùs immoramur; cum in vtrisque sit par ratio: num autem Priores ordinum illorum monachalium, qui in priuilegiis cum ordine Camaldulensi communicant, illo priuilegio conferendi Minores Ordines potiantur; sicut Abbas, & priores illius Ordinis eo gaudent. Respondetur ex vi formæ communicationis gaudere: & sic tenet Archan. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Abbas.

Vtrum autem sit aliquod priuilegium in dictis Abbatibus ad conferendum presbyteratus ordinem nullum video: sed dumtaxat, quod in monasterio. S. Dionysij, in Gallia possit eligi à Religiosis ibi commorantibus, vnus ex monachis, Episcopus, ad tonsuram & quatuor Minores & omnes Ordines Religiosis S. Benedicti (quorum est id monasterium) conferendos, & cætera munia, quæ ad potestatem Ordinis spectant exercenda, de quo vide Celotium in Hierar. Ipsius autem tenorem hic inserere iudicaui ex Bulla Stephani inchoata: *Igitur* extractum *vos etiam habere vobis Episcopum per singulare priuilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate vel à fratribus in monasterio vestro electus, & à fratribus nostris Episcopis de illa regione consecratus, illa monasteria vestra à vobis ædificata; & vice nostri nominis vbi & vbi fuerit regat: & prædicatione tam in ipso monasterio, quam in ipsis sibi adiacentibus deseruiat. Vt autem alienius Ecclesiæ Episcopus, vel sacerdos ista monasteria aliquo cupiditatis vinculo deceptus non inuadat; & illi Episcopo, quem tu vel successores hic elegerint, & ordinari fecerint per inuidiam, aut per quamlibet occasionem aliquam contradictionem inferat omnino prohibemus.* Quod priuilegium Adrianus confirmauit his terminis. *Quapropter auctoritate Beati Petri Apostolorum principis fulti in iam dicto venerabili monasterio statuentes promulgamus, vt penitus liceat ibidem habere Episcopum sicut à priscis temporibus & vsque hactenus fuit &c.* num autem in præsenti illud monasterium dicto priuilegio frui possit, mei muneris non est singula priuilegia non mendicantium scrutari, & examinare; quocirca ipsi viderint; Nam quod multi Abbates, ex eo quod illius, aut illius loci Abbates existunt, sint Episcopi omnes docti scient, vt sunt verb. gratia Farsensis in Sabina: & Sublacensis in Latio. Quid autem prædictis Abbatibus contigerit circa Cardinalitiam dignitatem? hoc babeas, quod ille qui Abbas in Cluniacensi monasterio eligebatur Cardinalitia dignitate decorabatur, vt testatur Chopin. de sacra polit. lib. 2. tit. 6. ac etiam ille, qui in Vindocinensi Monasterio in Gallia Abbas creabatur priuilegio ab Alexandro II. concesso: & à Greg. VII. Vrbano II. Honorio II. & Innoc. III. confirmato, non alia Pontificis obtenta facultate Sanctæ Priscæ Cardinalis censebatur: quam prærogatiuam nescio quo fato illud monasterium amisit. Lege Petrum Frison in Gallia purpurata l. 2. in Goffrido.

PROPOSITIO IV.

Videtur satis probabile quod Abbates benedicti, qui participant in omnibus priuilegijs, cum Abbate Cisterciensi, & quatuor Abbatibus principalibus eiusdem Ordinis possunt conferre subdiaconatus & diaconatus Ordines, ijs quibus possunt tonsuram & Minores conferre.

Quod Abbas Cisterciensis, & quatuor primi Abbates illius Ordinis sint hoc priuilegio decorati ostendit vsus & concessio Innocentis VIII. Bulla quæ incipit *Exposcit tuæ deuotionis* in qua hæc verba ad dictos Abbatis directa habentur. *At ne monachi dicti Ordinis pro suscipiendis diaconatus, & subdiaconatus ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, & successoribus tuis, vt quibuscumque dicti Ordinis monachis: alijs verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, vt suorum monasterio-*

rum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos reperteritis, subdiaconatus & diaconatus Ordines huiusmodi aliàs ritè conferre liberè & licitè possitis ex auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium, de speciali dono gratiæ indulgemus, quibus constat hanc facultatem expresse illis impartiri Pontificem: ac ita illis concessam esse testantur Maior, Victoria Nauarrus, Vasquez, Chopinus, Gamach. Ysambert; Saussaius, Rodericus, Marchinus, & Archang. Roman. & quam ego ipse vidi in authentico ab Abbate Cisterciensi an. 1652. Burdegal. ad Patres Societatis Iesu Burdegal. occasione cuiusdam litis, misso: eamque esse in vsu sciunt quotquot in illis partibus degunt, & testantur aliqui ex præmissis Doctoribus.

Nec cuipiam difficile potest videri, cum ferè 40. sint auctores, qui existimant Pontificem Romanum, posse non Episcopo dare facultatem conferendi sacros Ordines.

Obijcies Trident. sess. 23. c. 10. dictis Abbatibus solum dat facultatem conferendi tonsuram, & quatuor minores, & cap. 12. vult vt Episcopus examinet Regulares præsentatos ad sacros Ordines suscipiendos, ad probandum si digni sunt cum clausula reuocatoria priuileg. Regularium. Respondetur quod in locis in quibus Trident. non est receptum nulla est super hoc difficultas, vt de Gallia affirmat Tamburin. tom. 2. de Iure Abbat. disp. 2. quæst. 5. vbi approbat vsum illius priuilegij in dictis Abbatibus, ex eo quod illorum Abbatiæ in Gallia sunt sitæ, licet existimet hoc priuileg. per Trident. esse reuocatum. Vbi verò Tridentinum viget, dubium oritur si clausula illius Concilij reuocet hoc priuilegium; probauimus autem in t. tract. hanc clausulam non sufficere, quod etiam in hac speciali materia censet Nauarr. Consil. 13. de priuileg. cùm asserit *illam clausulam non esse ita expressam, quin illius coniecturis dissolui possint;* ac proinde cùm sit dubium de reuocatione illius priuilegij, stat priuilegium in suo robore, vt alibi diximus, & probauimus, dicto tract. denique post Trident. illud priuilegium fuit confirmatum, vt inferius dicetur; quod videtur omne dubium prorsus tollere; ac propterea asserendum posse dictos Abbates illo vti; non solùm erga Regulares & sæculares subditos, sed etiam erga non subditos: sicut de minoribus Ordinibus superiùs ostendimus; cum sit in vtrisque par ratio.

Quibus sic stantibus insuper probatur propositio; quoniam vt alibi probauimus priuilegia communicantium cum illo ordine confirmata sunt; ergo sunt in suo firmo robore; ergo Abbates communicantes possunt illa facultate vti: ac sic tenet Ioann. de la Cruz de Stat. Relig. cap. 8. dub. 1. Concl. 1. sub finem & alij qui vt videbimus infra sustinent in reliquis prædictæ Bullæ *Exposcit* participare: cur enim potiùs in vno quàm in alio participent? non potest assignari ratio sufficiens. Imò cum sit eadem ratio in his, ac in illis, debent in omnibus priuilegijs participare, & non ab huius communicatione excludi. Nec dicas hoc priuilegium concessum fuisse ob specialem notam Abbatum, aut Abbatiarum huiusmodi, quæ non reperitur in cæteris; nam respondetur illam notam in eisdem reperiri, vt videre est in motiuo, quo Innocentius ad illud concedendum impulsus fuit, quod constat partim ex verbis priuilegij superiùs insertis, partim ex ijs, quæ in principio Bullæ, in qua emanauit, continentur, quæ talia sunt: *Exposcit tuæ deuotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, vt tam te &c.* & quamuis hæc nota in illis nō inueniretur, valeret pro eisdem Abbatibus; cùm æquè principaliter in hoc priuilegio, sicut in alijs communicent: verùm cùm vsus illius facultatis non vigeat in proximè dictis Abbatibus, non audeo hoc priuilegium illis absolutè concedere: licèt non habeam pro contraria sententia rationem, qua ei assentiri cogat; quo circa meum iudicium doctiorum iudicio submitto.

PROPOSITIO V.

PRædicti Abbates Mitra, Annulo, Baculo, & alijs insignijs Pontificalibus vti possunt: nec non in suis monasterijs Benedictionem solemnem post Missarum, vesperarum, & matutinarum solemnia, etiam si in

Digitized by Google

benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel sedis Apostol. Legatus præsens fuerit, elargiri: ac denique Baculum in processionibus solemnibus, quas in suis Ecclesiis faciunt deferre liberè & licitè possunt.

Constat hæc veritas ex priuilegiis concessis Cononicis Regul. S. Saluatoris Lateran. vt refertur in compend. priuileg. Fuliens. verb. Abbas. §. 2. & 3. constat etiam ex priuilegio in præcedenti propositione adducto Abbati Cisterciensi, & aliis 4. Abbatibus Bulla inchoata *Exposcit* concesso, & ex concessione Vrbani IV. facta Abbati Monachorum Congregationis Montis Virginis Bulla inchoata *Ecclesia Romana* quam refert Cherub. in qua præter vsum Mitræ, Baculi, &c. concedit vsum benedictionis solemnis omni die. Accedit præmissis hæc ratio, quoniam cùm hæc Pontificalia requirantur ad Ordines conferendos, & isti Abbates possint Ordines conferre, sequitur quod possint huiusmodi Pontificalibus vti; ac proinde cætera omnia, quæ minoris dignitatis sunt, exercere: habetur etiam expressè hæc prærogatiua concessa, ex priuilegio Benedictionis à Iulio II. facto, quod refertur in Bullario Roderic. sub titulo 25. Bullæ: ac sic tenet idem Roderic. tom. 1. QQ. RR. quæst. 28. art. 2. qui ad id probandum affert priuilegium præfatum: possuntque prædicta in alienis Ecclesiis exercere, dummodo accedat consensus Episcopi. Imò contra Roderic. possunt illa omnia exercere in Ecclesijs aliorum Regularium, si accedat Superiorum eorumdem assensus, vt superius similiter diximus de facultate Ordines conferendi; cum sit in vtroque eadem penitus ratio, nec aliundè prohibeatur: & locus exemptus habeatur, vt existens extra diœcesim; sicut aliàs probauimus, ac propterea non sit necessaria licentia, seu assensus Episcopi, ac sic tenet & citatus Cherubinus Archan. Rom de priuileg. in addit. & pag. 7. vbi asserit posse prædictos Abbates in Ecclesia aliena celebrantes vti benedictione Pontificali cum verbis: *sit nomen Domini benedictum*.

Num autem possint vti baldachino? Respondetur quod sic in 3. Festiuitatibus quolibet anno quando in suis Ecclesiis solemniter celebrant ex Sac. Congreg. Rituum declaratione in fauorem Abbatum Cassinens. & ex concess. Vrbani VIII. Constitut. 151. anno 1620. ac sic tenet Barbosa in Collectan. verb. Abbas, vbi ostendit pluribus Prelatis diuersorum ordinum Regularium, quos enumerat, hanc facultatem esse, à sede Apostolica concessum. Num autem Priores illi qui communicant in priuilegijs cum Prioribus Camaldulensibus possint vti Pontificalibus? Respondetur quod sic, nisi obstet ex propria Religione; sic citatus Archang. cuius doctrinam magnifacio, vtpotè approbatam à magnis doctoribus Romæ existentibus, & præcipuè à sacri Palatij Magistro.

PROPOSITIO VI.

PRæfati Abbates possunt consecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere lapides, pixides, & alia vasa Ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum.

Hæc propositio probatur ex consuetudine fundata in præinserto priuilegio. Innoc. VIII. his verbis expresso *concessit dictis Abbatibus & quatuor primis Coabbatibus eius, tunc & pro tempore existentibus vt de cætero perpetuis futuris temporibus quæcumque vestimenta, & ornamenta Ecclesiastica, corporalia, vasculaque ad reponendam sacram Eucharistiam in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere & calices consecrare, tam de dicto ordine quam si ad eos aliundè nonnunquam deferantur, valeant & possint*: fuitque hoc priuilegium à Greg. XIV. confirmatum, ac etiam à Sixto V. Clem. VIII. Paulo V. Congregationi Fuliensium communicatum, vt habetur in priuilegiorum eorumdem compend. verb. communicatio § 1. 2. & 3. cum antea concessum dumtaxat dicto abbati Cisterciensi, & 4. primis Coabbatibus, communicatum fuisset Abbatibus congregationis S. Berna di Hispaniæ, vt refertur in dictis Compend. priuileg. Ordinis Cisterciensis & Congregationis Fuliens. & hanc sententiam sustinent Barb. de potest Episc. part. 2. alleg. 26. n. 36. Miranda in man. Prælat. tom. 2. q. 40. art. 4.

Portel. in dub. Regul. verb. Abbas. n. 3. Roder. in summ. tom. 3. c. 19. n. 2. & nouissimè Tambur. de Iure Abbatum tom. 7. disput. 23. q. 13. vbi sic loquitur. *Abbatibus non est interdictum campanas ad vsum alterius loci consecrare, vt decet communis praxis & consuetudo, videmus enim actu Abbates habentes vsum Pontificalium consecrare Campanas, vndecumque ad eos ad hunc effectum delatas, & idem dicendum puto de altaribus portatilibus, de corporalibus, & vestibus & cateris* : ita Tambur. cui assentitur Ricciusin collect. parte 4. coll. 955. & Archang. Roman. de priuileg. in addit pag. 5. & licet non reperiatur in dicto Innoc. priuilegio potestas expressè concessa ad Campanas consecrandas, idem tamen de illa dicendum est, ex priuilegiis Vrbani II. & Pauli III. quæ referuntur à Tambur. vbi suprà & à Renato Chopino in Monast. lib. 1. tit. 2. n. 18. quocirca cum sacra Congregatio Cardinalium, vt refert Naldus in summa verb. Abbas, n. 4. declarasset, *quod Abbas benedictus mitra, & baculi pastoralis vsum habens, non poterat se ingerere in illis benedictionibus, in quibus requiritur vnctio.* Dubitatum postea fuit, an huiusmodi declaratio seu prohibitio esset intelligenda de omnibus Abbatibus, etiam Regularibus, qui gaudent priuilegijs amplissimis pro benedictionibus altarium, calicum & aliorum huiusmodi? & eadem Congregatio instante Procuratore generali Congregationis Cassinens. & exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem, declarauit in hæc verba, videlicet *Decisionem aliàs à se editam, vt Abbates vtcumque benedicti benedictione non possint ea, in quibus requiritur vnctio, non obstare quominus ÿdem prædictæ benedictionis munus, quoad ea in quibus vnctio requiritur impendere queant, si specialibus sedis Apostolicæ priuilegiis, quibus Trid. minimè derogat, sint muniti. Datum Romæ die 10. Nouembris 1614.* At, vt superius retulimus habent prædicti Abbates huiusmodi priuilegia; ergo etiam ex Sacræ Congregationis sententia possunt benedictionis munus ijs impendere, in quibus vnctio requiritur; cùm Tridentinum non obstet, nec deroget priuilegio.

Obijcies dictis Abbatibus in Iure comm. cap. *Abbates* iuncta Glossa in verb. *tonsuram* de priuileg. in 6. hæc potestas denegatur. Respondetur hoc ita esse: verùm per priuilegia specialia, & consuetudinem huic iuri derogatum esse, vt in principio huius propositionis diximus.

Num autem possint in ædificandis capellis aut Hospitalibus primarium lapidem & fundamenta Pontificali more benedicere? Respondetur id posse Abbates generales, qui in priuilegiis cum Abbate generali Cælestinorum communicant; cum huic illam facultatem concesserit Cælestinus V. 1294. quam refert citatus Archang. Hæc de facultatibus Abbatum Regularium ad Ordines conferendos, consecrationes, Pontificalia & alia huiusmodi facienda, dicta sufficiant, ad quę probanda digressi sumus in gratiam Ordinum Canonicorum Regularium, S. Augustini, S. Benedicti, Cistercienfis, Camaldulensis, Fuliensium & S. Cælestini, & aliorum si qui sunt; licet in hoc opere nobis non incumbat agere de priuilegiis illorum Ordinum; nisi quatenus cum eisdem Ordines mendicentes communicant. Hic tamen finem imponendo aduertas velim nomine Pontificum venire huiusmodi Abbates vt optimè docet Tambur. de Iure Abbat. tom. 1. disp. 1. quæst. 6. & probatur ratione quoniam aliàs Pontificale Romanum pro omnibus Ecclesiæ Prælatis à Clemente VIII. ordinatum Abbatibus non conueniret, nam ferè semper Pontificis nomine appellatur Prælatus ille, ad quem huiusmodi functiones in eo præscriptas exercere spectat.

PROPOSITIO VII.

PRælati aliorum ordinum, qui non sunt Abbates non communicant in priuilegijs conferendi Ordines: vtendi Pontificialibus: & consecrandi plura ex enumeratis superiùs; ac consequenter non possunt dictos Ordines conferre: nec consecrare absolutè omnia quæ possunt Abbates.

Hæc propositio probatur ex silentio omnium Doctorum, qui de hac facultate in illis Prælatis existente, nullam mentionem faciunt. Huic rationi accedit non vlus

Digitized by Google

illius facultatis in dictis Prælatis. 2. quia hæc priuilegia sic sunt specialia vt sub generali clausula non censeantur comprehendi. 3. quia non sunt ex illis priuilegiis, quæ spectant vel ad spiritualem vtilitatem, vel ad conueniens regimen Religionis; sed potiùs ad quamdam dignitatem & præeminentiam talium Prælatorum, quæ non videtur ita accommodata statui aliorum Religiosorum præsertim mendicantium: & ideò non censetur ad illum extendi communicatio. 4. quoties iura loquuntur de inferioribus Prælatis, quibus hæc facultas ordinandi & consecrandi communicata est, semper loquuntur de illis sub nomine Abbatis, quod signum est in iure per eam significari peculiarem dignitatem, quam non habent Prælati aliarum Religionum, qui hoc nomine non vocantur; & ideò in hac potestate non communicant, præsertim quia ex se, & ex primæua institutione, postulat hæc potestas benedictionem ipsius Abbatis; & licèt posteà fuerit commissa specialiter Abbatibus non benedictis eorumdem ordinum, & quibusdam aliis prioribus, id solum fuit, quia iis Abbatibus quodammodo erat debita benedictio, ne omninò priuarentur commodis eius, & Prioribus, quia proximè ad illam dignitatem in illo ordine accedebant; Prælati verò aliarum Religionum per se nullam habent benedictionem; & ideò nec ex iure communi hanc habent potestatem, & ita post alios existimat Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 29. n. 27.

Nec obstat quod alij Regulares & præcipuè fratres Minores habeant communicationem priuilegiorum illorum ordinum, vt constat ex concess. Clem. VIII. in qua interalia dicitur *omnibus facultatibus, & gratijs vestræ professionis Regularis obseruantiæ non contrarijs, alijs Ordinibus quibuscumque non mendicantibus quomodolibet concessis, & in omnibus & per omnia, proindè, ac si vobis concessa specialiter fuissent* quibus verbis hæc facultas comprehenditur, quæ non videtur contraria instituto illorum Ordinum; nec obstat (inquam) communicatio priuilegiorum quoniam, vt dictum est, communicatio illorum specialium priuilegiorum non est accommoda illorum statui: nec sub clausula generali comprehenditur, ac proindè non censentur in illa facultate Ordines conferendi, & altaria, Campanas, ac cætera huiusmodi consecrandi communicare.

Nolo tamen vt credas communicationem præfatorum priuilegiorum ita esse Mendicantibus interdictam, vt nullo tempore, nullove loco possint tonsuram, & quatuor Minores conferre; Pontificalia exercere: & alia huiusmodi facere; cum in terris infidelium absentibus Episcopis Catholicis id valeant; imò & confirmationis Sacramentum ministrare ex priuilegio Innoc. IV. Fratribus Prædicatoribus concesso Bulla, quæ incipit *cum hora vndecima*, & ex alia concessione Ioann. XXII. Pontific. sui anno 6. eisdem Minoribus facta, qua eis æquè ampla priuilegia, ac dictis Prædicatoribus impertitus est, ac 3. ex alia Bulla Leonis X. in fauorem eorumdem Minorum edita, quæ incipit, *Aliàs felicis recordationis Nicolaus IV.* &c. ac vltimo vt cætera taceam ex Bulla Clementis VIII. in fauorem Carmelitarum discalceatorum emanata sub data die 14. Iulij 1604. quæ incipit *Dominici gregis cura*, & ita tenet Thomas à Iesu lib. 12. de conuers. om. gent. proc. verbo Odines; illarum autem omnium Bullarum tenorem, ad huius veritatis probationem, hic non insero; quoniam haud esse opus iudicaui, cum hæc priuilegia non sint concessa Mendicantibus vbique terrarum commorantibus; sed tantum illis, qui in partibus infidelium pro eorumdem conuersione degunt, qui illas in Bullariis legere poterunt,

Vtrùm autem Abbates commendatarij illis facultatibus gaudeant certum est non gaudere; nisi specialibus priuilegiis à sede Apostolica impetratis illas expressè concedentibus, potiantur, sunt enim huiusmodi Abbates, vt Canonici ex Regularibus sæculares effecti qui non nisi redditibus monasteriorum; non autem priuilegijs Regularibus gaudent, nisi ab eadem sede illa specialiter obtineant, vt multi ex Canonicis impetrarunt, & illis in præsentiarum pacificè potiuntur; ac etiam multi ex illis Abbatibus, de quibus forsan alibi agemus.

CAPVT IV.



CAPVT IV.

DE PRIVILEGIIS REGVLARIVM CIRCA

CONSECRATIONES, ET BENEDIctiones, necnon beneficiorum collationes; quæ iure ordinario ad Papam & Episcopum spectant.

POtestas caracteris Episcopalis non solùm ad Ordines conferendos, Altaria, Ecclesias, Calices, & campanas consecrandas, sed etiam ad multa alia benedicenda & consecranda extenditur; cúmque in præcedentibus ostenderimus aliquos Regulares (videlicet Abbates, & quosdam alios) gaudere facultatibus ad Ordines conferendos, & ad altaria &c. suprà posita consecranda, superest in præsentiarum examinare, quid ex priuilegijs Apostolicis Mendicantes aliique Regulares in priuilegijs inter se communicantes, in quibusdam ex prædictis valeant, quidve tùm hi, tum Abbates prædicti in beneficijs conferendis possint.

PROPOSITIO I.

PRelati Regulares, & eorumdem Vicarij illis absentibus, ac etiam simplices sacerdotes possunt consecrare, seu benedicere casulas, paramenta, & alia ad diuinum cultum necessaria, tum pro vsu suorum conuentuum, cùm aliorum, ac etiam personarum sæcularium.

Hæc propositio quoad primam partem probatur 1. ex concessionibus factis Ordinibus Mendicantium in particulari, quas Lector videre poterit in Compendijs priuatis eorumdem, & in Compend. priuileg. Mendic. verb. benedicere: maximè verò ex concessione Leon. X. Bulla inchoata *Religionis honestas* cum clausula Concil. generalium reuocatoria, adhibita tamen restrictione ad conuentus proprios, quæ in Bullar. Roder. & in proximè dicto Compend. eodem verbo §. 14. verbis sequentibus enunciatur. *Leo X. concessit Generalibus & Prouincialibus ac Custodibus, nec non Guardianis fratrum Minorum de obseruantia pro tempore existentibus, &c. paramenta & ornamenta, alia quæcumque ad Diuinum cultum & vsum fratrum necessaria, in quibus chrisma non interuenit pro eorumdem fratrum vsu tantùm, solemni benedictione valeant benedicere.* Probatur 2. sine restrictione ad proprios vsus, tum ex priuilegio concessio Benedictinis à Iulio II. vt habetur in Bullario Roder. sub titulo Bullæ 25. tum ex priuilegio Ordinis Carthusiensium inferius in vna ex sequentibus propositionibus referendo, cuius ac cæterorum eiusdem Ordinis Mendicantes participationem habent: in quo hæc potestas facta ab Innocent. VIII. est expresè inserta. Probatur 3. ex priuilegio facto Congregationi S. Iustinæ de Padua, quod refert Sorbus verbo

benedicere quo *Innocent. VIII. concessit Prioribus Ordinis & Vicarijs in absentia Priorum, & cuilibet habenti principale regimen monasterij posse benedicere vestimenta, cateraque ornamenta Ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia tam sui monasterij, quàm etiam vndecumque sint*, & similiter Iulius II. Minimis, vt refertur in Compend. priuileg. Mendic. §.11. verbo benedicere, idem priuilegium concessit etiam Ordini S. Hieronymi sine restrictione; & ita tenent Sorbus, & Portel. & Compend. Societ. Iesu eodem verb. Ioann. de la Cruz de Stat. Relig. lib. 2. c.5. dub. 8. Roder. tom. 1. q. 16. art. 2. alter Roder. resolut. 13. n. 2. Francisc. à S. Ioseph. de auctor. Guard. n. 16.

Hic autem obiter notabis 1. ex eodem Sorbo verbo citato, solemnem benedictionem de qua supra, esse illam, quæ fit his verbis *Adiutorium nostrum in nomine Domini [sit nomen Domini benedictum]* &c. quæ solemnitas verborum licèt non pertineat nisi ad Episcopos, tamen per priuilegia dictis Prælatis communicatur. 2. notabis ex Roder. tom. 1. q. 19. art. 2. per supra dictos Vicarios, debere intelligi, illos, qui instituuntur in absentia Prælatorum; non autem, illos, qui sunt simplices Vicarij, & in eorumdem præsentia remanent Vicarij.

Quoad verò 2. partem, propositio certa est ex concessionibus Pontificum, quas enumerare, sicut in cæteris priuilegiis esset nimis difficile: sed ne videamur gratis illa asserere, probanda est, ac 1. ex concess. Sixti IV. facta Minoribus, quæ refertur in Compend. priuileg. Mendicant. verbo benedicere §. nec non in Bullar. Roder. viuæ vocis oraculo verbis sequentibus: *Sixtus IV. concessit fratribus minoribus obseruant. Sacerdotibus, vt possint benedicere paramenta altaris, & Missalia, ac indumenta, exceptis corporalibus dumtaxat*, & ita tenet Ioannes de la Cruz de Statu Relig. lib. 2. c. 5. dub. 8. Concl. 1. & Auctores Compend. Priuileg. verumtamen Portel. in addit. verò benedicere, licet asserat hanc praxim esse apud Dominicanos; attamen existimat Minores illa facultate vti non posse, quoniam quoddam Capitulum Meclinense vsum illius simplicibus sacerdotibus prohibuit, solisque Prelatis concessit verùm fallitur, ni fallor, hic doctissimus Auctor: quoniam licèt illud Capitulum huius facultatis vsum simplicibus sacerdotibus interdixerit; non fuit tamen in multis Prouincijs Ordinis hæc prohibitio recepta, præcipuè in Gallijs, ac etiam, si recepta supponeretur, postmodum aliæ constitutiones Ordinis factæ sunt, quibus dumtaxat Minores obligantur, & non alijs, illudque priuilegium sicut & cætera, in suo robore firmum relinquunt, vt manifestè constat ex tenore constitutionum Segouiensium, quæ iam in dicto Ordine vigent cap. 8. §. VII. *Atque adeò expressè volumus, sancimus & decernimus, vt vniuersi & singuli fratres se ad hac statuta instituant, & informent; quoniam omnia & singula statuta, hucusque retroactis Capitulis & Congreg. quomodocumque edita omninò abolentes, annullantes, & reuocantes, has dumtaxat constitutiones &c. volumus inuiolatè obseruari:* certum est autem, quod hæ Constitutiones nullam de hac prohibitione mentionem faciunt. Accedit quod ab illo tempore concessiones, & gratiæ huiusmodi factæ sunt aliquibus Ordinibus, cum quibus in omnibus priuilegijs Minores communicant: nec vlla ab eo tempore prohibitio, eisdem non vtendi, à Capitulo generali emanauit; quo circa vsus & praxis in dicto Ordine conformis est priuilegio.

PROPOSITIO II.

SOli Prælati Regulares possunt corporalia benedicere.

Propositionem hanc probabit 1. Priuilegium concessum à Leone X. Bulla in præcedenti propositione adducta, in Minorum fauorem emanata, quo illis, & eorum Vicariis, illis absentibus: *conceditur absoluta facultas consecrandi seu benedicendi solemniter paramenta & ornamenta, & alia quacumque ad Diuinum cultum & vsum illorum necessaria in quibus chrisma non interuenit.* Probabit 2. Priuilegium Pij V. sine vlla restrictione Hieronymitis concessum, relatum à Sorbo in addit. ad Compend. priuileg. Mendic. verbo benedicere his verbis: *Concessit Ordini S. Hieronymi Hispania,*

vt Priores existentes monasteriorum Ordinis, non solum vestes, & alia quacumque ornamenta Ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia vt eis concesserat prius Innoc. VIII. 1492. sed etiam corporalia & alia omnia suorum monasteriorum, in quibus chrismatis vnctio non interuenit, licitè & liberè possint benedicere: id ipsum concesserat idem Innocent. 1467. Ordini Cisterciensi vt refertur in dicto Compend. & in Compend. priuileg. dicti Ordinis verbis sequentibus: *Concessit Prioribus Cistercij & Vicarijs in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cuiusque monasterij, posse benedicere corporalia tam sui monasterij, quàm etiam vndecumque sint.* Et ita tenent Roder. tom. 1. qq. RR. q. 16. art. 2. Ioan. de la Cruz. lib. 2. stat. Relig. c. 5. Concl. 2. Sorbus citatus, Portel. verbo benedicere, & alij in præcedenti propositione præcitati.

Num autem possint altaria consecrare: Nullus Doctor quem legerim hanc facultatem dictos Prælatos possidere concedit quoniam nulla concessio à sede Apostolica emanata, diuulgata fuit; vnam tamen in Compend. priuileg. Carthus. fol. 46. reperio factam Carthusianis, & consequenter alijs Regularibus, in qua legitur concessio dicti Innocent. VIII. cuius Originale asseruabatur in Anglia, transumptum verò Authenticum in Carthusia Gratianopolitana Signatum per A & fol. 174. his verbis: *Et quia sicut accepimus domibus dicti Ordinis per Apostolicam est concessum, vt per quemcumque Catholicum Antistitem benedictionem paramentorum, altarium, Crucum, Casularum & aliorum ad Diuinum cultum concessorum fieri facere possint: Prioribus cuiuslibet domus dicti Ordinis pro tempore existentibus, quod ipsi in eorum domibus benedictionem huiusmodi facere liberè & licitè valeant eadem auctoritate de specialis dono gratia indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1496. 6. Calend. Iuly.* Quid clariùs hac potestate altaria consecrandi seu benedicendi: quocirca Collector illorum priuilegiorum, verbo consecrario huius est sententiæ; cum nihil dicat aduersus illud priuilegium, notetque in indice Carthusianos illud possidere nec vllam rationem in contrarium video; nisi non vsum vt consultus Prior generalis illius Ordinis respondit. Sed vt diximus in 1. tract. 1. partis non vsus, nó tollit priuilegium? quapropter quid circa illud sentiendum sit valdè dubito; nec obstat parti affirmanti non valere, quod priuilegium illud non vtatur; nisi verbo benedicere; nam hoc loco sicut in pluribus alijs diximus de minoribus Ordinibus verbum benedicere pro consecrare sumitur, vt post Azorium & alios, aduertit Archang. Rom. de priuil. in addit. pag. 3. Adiunge, quod nulla benedictio Altaris, quæ non fit consecratio in rituali reperitur; ac ex consequenti cùm detur dictis Prælatis facultas ad altaria benedicenda, de facultate ad ea consecranda intelligi debet. Non consulo tamen id faciendum nisi prius consulto summo Pontifice.

Quæres 1. num vestes & pannos prophanos in paramenta, & alios Ecclesiasticos vsus Regulares conuertere possint: Respondetur Prelatos Regulares id posse: neque quoad hoc oriri potest dubitatio; cum præter priuilegium habeant ius commune quo etiam sæculares vtuntur.

Quæres 2. num clericus Regularis non dum aliquo Sacro Ordine insignitus, & Regularis Laïcus calices & cætera huiusmodi ad vsum Sacrum destinara licitè possit tangere: Respondetur absolutè & sine vlla restrictione quod sic per viuæ vocis, Sixti IV. oraculum quod reperies in omnibus Compend. priuatis & in Compend. priuileg. Meudic. verbis corporalia & ornamenta, quam facultatem antea concesserat eodem modo Calistus III. vt habetur in monum. ord. fol 65. pag. 2. concess. 9. & in compend. priuileg. Minor. à Christoph. à cap. font. Complilaro verb. ornamenta Ecclesiastica, & hęc sententia vera est in locis in quibus Bulla Greg. XV. aut Bulla Vrbani VIII. oraculorum reuocatoria non est publicata: secùs autem vbi est publicata.

PROPOSITIO III.

POssunt prædicti Regulares Prælati vocare Episcopos alienæ diœcesis ad suas Ecclesias, & altaria, & alia huiusmodi consecranda, si proprius Episcopus requisitus recuset, aut illius copiam non habeant.

Hæc propositio probari posset ex innumeris concessionibus, sufficient autem aliquæ. 1. desumitur ex Innocent. IV. facta Carthusianis cuius originale est in Carthusia magna signatum per literam A pag. 38. qui post Clem. III. Cælestinum III. & Innoc. III. qui eadem gratiam eisdem concesserant, vt in compendio priuileg. illius Ordinis habetur, ita loquitur. *Consecrationes verò altarium seu basilicarum, à Diæcesano suscipiatis Episcopo siquidem Catholicus fuerit, & communionem, & gratiam sedis Apostolicæ habuerit, & ea vobis gratis & absque aliqua prauitate voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antistitem communionem & gratiam Sanctæ sedis Apostolicæ habentem, qui nimirum nostra fretus auctoritate; vobis quod postulatis impendat.* 2. Emanata est à Sixto IV. quæ habetur in compend. priuileg. mendic. verb. benedicere Ecclesiastica §. 6. his verbis. *Sixtus IV. concessit fratribus Carmelitis, vt quando propriorum Episcoporum copiam non habuerint, & aliqui Episcopi habentes gratiam & communionem sedis Apostolicæ, de quibus plenam notitiam habeant per eos transire contigerit, ab eis benedictionem vasorum & vestium, & consecrationem aliarium auctoritate sedis Apostolicæ recipere valeant.* Eamdem concessionem habent ab Eug. IV. Augustiniani. Verùm cùm hæc concessio in aliquo defficiat non enim exprimit Ecclesias, ideò 3. concessio adducenda est quæ illas exprimat, & hæc assumetur ex Leone X. relata in Præfato compend. verb. proximè citato §. 15. his verbis. *Leo X. concessit fratribus Minoribus, vt quilibet Catholicus Episcopus possit consecrare Ecclesias eorum, & Altaria, & Cameteria, & Calices, & Ornamenta, & omnes alios actus Episcopales in locis & personis fratrum prædictorum Obseruantiæ, diœcesani loci, vel cuiusuis alterius licentia minimè requisita*, in qua concessione maxima gratia conceditur; possunt enim per illam Episcopi, non solùm ea, quæ expressa sunt in propositione, sed etiam alios omnes actus Episcopales exercere in locis Regularium, nolente aut contradicente Episcopo diœcesano 4. & vltima concessio facta fuit à Greg. XIV. Congregationi Clericorum Regularium, qui Ministri infirmorum nuncupantur, relata in compend. priuileg. Fuliens. verb. consecrare §. 6. qua *à quocumque Antistite Catholico benedici & consecrari Ecclesias, oratoria & cameteria, ac quouis modo polluta reconciliari facere possunt, nonobstantibus quibuscumque in contrarium facientibus*, quæ adducta est, non vt amplior, sed vt ostendatur, hanc facultatem Regularibus concessam esse, etiam post Tridentinum.

Nec obstat quod Leo X. in Concil. Lateran. *Statuit quod Regulares nequeant ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel altaris aut cametery benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos, pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi vbi Ordinarius hss aut ter cum debita reuerentia & instantia requisitus sine legitima causa id recusauerit*: non obstat, inquam; nam 1. idem Leo posteà concessit iisdem fratribus Minoribus de Obseruantia, vt possint in vtroque foro vti concessionibus omnibus sibi factis ante prædictum Concil. reuocando suam præfatam constitutionem, vt in tract. de priuileg. in comm. ostendimus. Respondetur 2. esto quòd teneret constitutio Leonis, valeret tamen hoc priuilegium cum Paulus III. Bulla 8. concesserit Regularibus Societ. Iesu, *Vt eorum Ecclesiæ, & cameteria consecrentur à quouis Episcopo, si diæcesanus vltra 4. menses illud facere differat*, in quo vides appositam restrictionem quam cum Ioan. de la Cruz citato loco, non esse obseruandam iudico; cum repugnet Xisti, Eugenij, & Innocentij IV. præ allegatis concessionibus, ac alijs Romanorum Pontificum priuilegiis Authenticis, imò etiam iuri communi, c. t. de suppl. neglig. Prælat. quod postulat dumtaxat vt ter petatur ab Episcopo, quo renuente prouidet Pontifex, vt de facto multis concessionibus superius relatis prouisum est.

Ex præfatis concessionibus, presertim ex illa facta Carthusianis, & ex infra ponendis sequitur, quod Episcopi nihil possunt à Regularibus accipere pro consecrationibus, & benedictionibus huiusmodi, sed gratis illas debent conferre, alioquin Regulares possunt ad quemlibet Epis. recurrere pro huiusmodi benedictionibus & consecrationibus obtinendis, sic Sixt. IV. Carmel. concessit prout habetur in l. nuncupato Monum. ordin. in 1. impressione fol. 100. & in 2. fol. 183. concess. 454. verbis sequentibus relatis à Roder. tom. 1. q. 19. art. 5. qui eiusdem cum alijs est sententiæ. *Xistus IV. concessit fratribus Carmelitis vt pro consecrationibus altarium, vel Eccle-*

Digitized by Google

fiarum, & pro oleo sancto: ac quolibet Ecclesiastico Sacramento nullus sub obtentu cuiuslibet consuetudinis, nec alio modo quidquam audeat extorquere, sed omnia gratis Episcopi diœcesani, vt tenentur liberè & gratiosè impendant; alioquin liceat dictis fratribus, ad quoscumque maluerint Catholicos adire Antistites, gratiam, & communionem Apostolicæ sedis habente, qui Apostolica freti auctoritate, eisdem fratribus, quæ postulauerint, impendant.

PROPOSITIO IV.

POssunt præfati Prælati suas Ecclesias, oratoria, capellas, & cęmeteria benedicere: & eadem quomodocumque prophanata & polluta iterum benedicere & reconciliare, cum aqua ab Episcopo, vel à se ipsis (præsertim Episcopo extra duas dietas existente) benedicta.

Hæc veritas expressè habetur in Bulla Leonis X. inchoata *Religionis honestas* cum clausula derogaroria Conciliorum generalium de qua in prima propositione ad Vicarios generales, & Guardianos Minorum de Obseruantia directa in qua sic Pontifex loquitur: *Ac vestri Ordinis generalibus Vicarijs, ac Prouincialibus, & Custodibus, ac Guardianis præfatis pro tempore existentibus, vt omnia & singula eiusdem Ordinis, & obseruantiæ Ecclesias, Cæmeteria, ac Capitula, & Oratoria vbicumque existentia receptas & recepta, & recipiendas, seu recipienda, solemni benedictione benedicere: ac illas seu illa, & eorum quolibet sanguinis, vel seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis benedicta, reconciliari liberè & licitè valeatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.* Ex quibus (omissis alijs concessionibus, quæ eamdem gratiam imparriuntur) veritas propositionis manifestè constat ac sic tenent collectores Compend. priuileg. Mendicant. Fuliens. Societ. Iesu, & alij & Francis. à cap. Font. In suo compend. verb. benedicere, Portel. in dub. Regular. eodem verb. Ant. Nouarius in summ. Bullar rit. de pollut. Ecclesiarum. n. 7. & Iacob. de Graffis Consil. 12. de consecrat. Ecclef. n. 18. Hic autem.

Notabis 1. dictam Constare VIII. Leucarum, vel 20. milliariorum itinere ex Syluestro verb. beneficium 2. §. 1. & ex Mandos. in 3. Reg. Cancell. quæ. 2. n. 20. notabis 2 quod oratoria quæ solent esse in Monasterijs, Claustris. Infirmariis, &c. non sunt priuatæ domus: nec extra Ecclesiam, vt cum auctoritatibus demonstrat Lezana tom. 1. cap. 21. n. 14. & tenet etiam Archang. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. altare; ex quo concluditur. quod si sint aliquæ reliquiæ sanctorum in Ecclesia monasterij, debet sacerdos celebràs in quolibet ex illis oratoriis dicere in principio Missæ; quorum reliquię hic sunt. Notabis. 3. hanc concessionem necessario extendi debere ad Ecclesias, Cæmeteria, & alia consecrata, vt etiam extendit Ioan. de la Cruz, de statu Relig. lib. 2. c. 5. Concl. 4. alioquin nihil operaretur concessio, nam vt tenent Henriq. rom. 2. li. 13. ca. 5. §. Pollutio. Homobon. de bonis in exam. Eccles. parte 3. tract. 15. cap. 8. quæ. 27. resolut. 2. Auila de censur. parte 5. disput 7. dub. 4. qui citat Ascan. Tambur de iure Abbat. tom 1. disput. 23. quæ. 10. n. 11. præpositus in 3. parte quæst 83. art. 3. dub. 2. 163. Barbosa de potest. Epis. parte 2. alleg. 28. & Portel in dubijs verb. Ecclesię fratrum, potest simplex parochus reconciliare suam Ecclesiam cum aqua à se benedicta, vt etiam praxis ostendit; ergo à fortiori id poterunt Prælati Regulares maiorem habentes potestatem; ergo cum concessio Leonis faciat mentionem de aqua ab Episcopo benedicta; sequitur manifestè quod illa potestas data est ad reconciliandas Ecclesias, cęmeteria &c. consecrata, & ita tenet Ioan. de la Cruz & Portel. citati, Compend. priuileg. mendic. Anton. Nouar. in summa Bullarum tit. de pollut. Ecclesiar. n. 7. & Iacob. de Graffiis Consil. 2. de consecrat. Eccles. n. 18. imò idem Ioan. de la Cruz eodem loco Concl. 3. non sine ratione arbitratur dictos Prælatos posse consecrare Ecclesias, vel altaria Chrismate sacro ab aliquo Antistite Catholico recepto ex concess. Innoc. VIII. facta Cistercienfi. 6. Bulla inchoata, *Exposcit* de quà supra, quam vocat quintam

DDD iij

eaque Ordine talis est in Bullario Roderici: & ex conceſſ. Vrbani II. Bulla 2. ſed vt verum farear, Bulla Innocent. non dat hanc facultatem quando ex homicidio pollutæ ſunt, ſed tantùm in aliis caſibus, & Abbatibus dumtaxat, quocirca hanc facultatem ex vi illius conceſſam alijs Abbatibus in priuilegiis communicantibus libenter concedo; non verò Prælatis, vt in ſuperioribus in alijs caſibus concluſum eſt, niſi illud dicat dicta 1. Bulla Vrbani 2. quam reperire minimè potui, & ideò cùm non mihi conſtet de illa, non credo poſſe prædicta à Prælatis præmemoratis conſecrari.

PROPOSITIO V.

POſſunt Prælati Regulares conferre beneficia, quæ ſuis Abbatijs aut Prioratibus pleno Iure ſubſunt, imò, etiam ſede vacante, illi, qui Abbatum aut Priorum vices agunt.

Quod poteſtas conferendi Beneficia poſſit acquiri, immemorabili præſcriptione, aut priuilegio tradunt, Mar. Antonin. Variar. reſolut. lib. 1. reſolut. n. 6. Lambettin. lib. 2. parte 3. quæſt. 1. princ. art. 10. Cardin. in cap. *Cum veniſſent* de inſtit. Alphon. de Leone in tract. de Offic. Capellani quæſt. 4. praxi 5. n. 188. & hic vltimus illam poteſtatem extendit ad Capitulum Canonicorum, & probat exemplo Piſanę Eccleſiæ, & Capituli Lateranenſis Eccleſiæ: extendunt etiam hanc facultatem ad Regulares textus in Clement. I. verſ. *quidam præterea* de exceſſ. Prælat. vt ibidem poſt Gloſam notauit Cardinal. in princip. oppoſit. 6. & poſt Abb. & Felin. in cap. *Auditis* de præſcript. n. 8. Balb. de præſcript. 1. p. 5. quæſt. 11. n. 6. Vilchen. n. 10. in dictum cap. Lotter. in ſuo tract. de re benef. lib. 2. quæſt. 12. ex n. 13. vbi n. 33. aſſerit, quod hæc procedunt etiam reſpectu Monaſterij Monialium, modo reſpectu ipſius curæ, accedat auctoriſabilis, inſtitutio Epiſcopi & n. 34. ſubdit, quod licet Moniales non ſint capaces curæ, vel eius exercitij actualis, ſunt tamen capaces Iuris deputandi perſonam capacem eius poteſtatis.

His præſuppoſitis, probatur propoſitio quoad 1. partem, videlicet quod Prælati Regulares poſſint conferre Beneficia Eccleſiarum, quæ eis pleno Iure ſubſunt, id eſt quoad ſpiritualia & temporalia, ex textu in Clement. I. verſ. *quidam præterea*. & ver. *quidam etiam* de exceſſ. Prælat. Roch. verb. competens quæſt. vltima. Viuian. in praxi Iuris Patronat. parr. 2. lib. 12. cap. 3. n. 14. Cokier. de iuriſdict. in exemptos part. 4. q. 80. & Gloſa in cap. *Cum & plantare* de quo infrà.

In Eccleſiis verò, quæ ad eos pleno Iure non pertinent, inſtitutio, & deſtitutio ad eos non ſpectat, ſed præſbyteri ab eis præſentati ab Epiſcopo ſunt inſtituendi cap. *in Lateranenſi* 3. & cap. *de monachis* de præbend. & cap. *Cum & plantare* de priuileg. & cap. *presbyteri* de capellis Monach. in 6. Ac ſic tenet Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. Allegat. 72. n. 188.

Excipe ab hoc priuilegio Prælatos fratrum Minorum, qui ob regulam, quam profitentur Iuris illius ſunt incapaces: excipe etiam ob eadem rationem profeſſor Societatis Ieſu. Sed difficultas eſt num hi duo poſſint gaudere hoc priuilegio, ſic vt poſſint inſtituere, aut nominare talem ad hanc capellam, aut hoc beneficium. Reſpondetur non poſſe gaudere; quia eſt ius quoddam contrarium paupertati eorumdem, vt optimè docet cum aliis Sanchez in præcepta decal. lib. 7. c. 14. n. 13. 14. & 15.

Quod verò ſede vacante, videlicet Abbate defuncto, electus in Vicarium generalem monaſterij huiuſmodi Beneficia conferre poſſit coniunctim cum monachis, quod eſt 2. Propoſitionis pars, facilè probabitur, ſi perpendatur, quod huiuſmodi Beneficiorum collatio ſpectat ad eos, ad quos ſpectat ius plenum, aut non plenum in illas Eccleſias: illud autem ius non ſolùm ad Abbatem pertinet, ſed etiam ad Abbatem coniunctim cum Monachis, qui in ſimul conſtituunt naturam monaſterij, cui illud annexum eſt, cùm Abbas ſine monachis, & hi ſine Abbate non conſtituant monaſterium; ex quo ſequitur inſtitutionem, vel præſentationem fieri debere ab Abbate cum conuentu, quod optimè notat Gloſa in dictum cap. de Capellis monach. quæ ſic habet. *Præſentationes tales debent fieri à Prælato, & conuentu de iure communi*

Digitized by Google

quocirca prædicta capita & Glosa in eadem hoc supponunt, cum hoc ius monachis in plurali tribuant, & quidquid acquiritur, acquiratur monasterio; sitque omnis collatio nulla, si à solo Abbate fiat non adhibito aliorum monachorum consensu, vt tenet citatus Sanchez n. 7. & 8. qui capite 29. an. 11. egregiè suo more docet, quando Beneficium dicatur Regulare vel sæculare, & quibus modis fiat tale.

Dices contrarium esse in praxi, videmus enim Abbatem commendatarium huiusmodi Beneficia conferre, non adhibito consilio, aut consensu monachorum. Responderur sæpè ita rem se habere ex consuetudine, aut priuilegio in iure communi dispensante: sed hoc nonobstante, ius huiusmodi sic suspensum remanet penes monasterium, ad quod mortuo Abbate redintegratur & plenissimè restituitur; ex quibus probatur dicta secunda pars; nam ius monasterij non deperditur per mortem Abbatis, sed remanet penes monasterium: ergo mortuo Abbate potest vti iure suo; & sicut per suum Vicarium generalem suo vtitur iure in omnibus alijs; ac etiam in dandis dimissorijs, quidni poterit hoc etiam iure vti? cum nulla ratio, aut lex sit in contrarium.

Dices esse legem; qua Vicarij generales diœcesum prohibentur Beneficia quæ pendent ab Episcopi collatione conferre. Sed, hæc ratio; cum sit à simili, & in odiosis non valet, vt omnes norunt: sicut non valet illa, quod toto anno immediatè sequenti Episcopi obitum, Vicarij prædicti non possint dimissorias conferre; ergo nec Vicarius generalis Præfatus; nam diuersum est ius Episcopi & Abbatis in conferendis Beneficijs, cum illius ius annexum sit soli personæ Episcopi independenter à cæteris: huius verò ius non sit solius Abbatis; sed etiam monachorum, & propriè monasterij, quod Abbas nomine illius exercet; quocirca sicut Vicarij generales sede vacante non succedunt in ijs, quæ personæ Episcopi sunt annexa: sic nec in iure conferendi Beneficia: at verò, quia Vicarius generalis monasterij, ab eodem monasterio ad illud ius, quod suum est exercendum deputatur; ideò potest conferre Beneficia, & eius collatio est legitima & valida, vt nouissimè declaratum fuit à supremo senatu Burdigalensi, referente Domino de Pomies de Francon, senatore in causa cuiusdam fratris Gabrielis Religiosi Abbatiæ de Guitres diœcesis Burdigalensis sub data diei 3. Septembris 1640.

Hic autem sub finem notabis Regularem; qui Beneficio cum cura animarum potitur, posse eidem inseruire per se, aut per sæcularem idoneum ab eodem pro nutu, non ab Episcopo amouibilem, vt determinauit Pius V. Bulla inchoata, *Etsi mendic.* n. 15. verbis sequentibus *insuper volumus, quod præfati Regulares, quibus cura animarum inest, possint per seipsos iuxta suorum superiorum ordinationem, aut per alios Vicarios, seu Capellanos sæculares, ipsorum Regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos, præfatam curam exercere: neque in eorum deputatione, vel amotione: nec alicuius partis fructuum consignatione, pro præfatis Capellanis seu Vicarijs sæcularibus, si per tales curam exercèri contigerit, Episcopi vllo pacto se intromittant.* Hæc Pontifex in quibus huic Tractatui finem imponimus, cuius decursu perspicuè ostensum est Prælatos, & sacerdotes Regulares in Hierarchia Ordinis locum habere; cùm in præcipuis dignitatis Episcopalis, & dictæ Hierarchiæ actibus exercendis facultatem legitimo iure possideant.



TRACTATVS VIII.

DE CÆTERIS PRIVILEGIIS CONCESSIS REGVLARIBVS AD HIERARCHIAM ORDINIS SPECTANTIBVS.



EGimus in prima parte de priuilegijs, Prælatis, & sacerdotibus Regularibus concessis in Ordine ad Sacramentum pœnitentiæ Regularibus & sæcularibus ministrandum, & de facultatibus eisdem datis ad illosmet à censuris absoluendos, & super irregulariatibus & pœnis dispensandos: Nunc autem agendum de priuilegijs eisdem sacerdotibus concessis, ad Missæ sacrificium celebrandum, Sacramenta Eucharistiæ, extremæ vnctionis, matrimonij & baptismalis ministranda, ac vltimò de priuilegijs circa portionem Canonicam in sepulturis corporum defunctorum, Horas Canonicas, ieiunia, processiones, & præcedentiam Regularium inter se, & circa quædam alia.

CAPVT I.

DE FACVLTATIBVS QVIBVS REGVLARES POTIVNTVR IN ORDINE AD MISSARVM CELEBRATIONEM.

PROPOSITIO I.

REgulares vbique locorum, in altari viatico seu portatili sine licentia Episcopi sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare possunt.

Hæc veritas non enunciatur de Missa celebranda à Regularibus in necessitate; nam certum est tunc temporis Iure communi permissum esse Missam extra Ecclesiam sub dio in altari portatili celebrari posse absque Episcopi licentia, vt verbi gratia, si Rex, aut Dux in exercitu, vel classe Christianorum appellat ad terram, vel in itinere Ecclesia desit, vel cùm magna multitudo hominum in aliquo festo ad paruam aliquam Ecclesiam concurrit; vt probatur ex Iure à Suar. & Vasq. citatis à Læzana tom. 1. cap. 21. & tenet post alios Archang. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Missa. Scio etiam aliquos esse, qui arbitrantur seclusо scandalo & contemptu licere, nulla iusta causa interueniente illud sacrificium sic celebrare absque lethali, vt sunt Sotus in 4. Sentent. distinct. 13. qu. 2. art. 3. verb. *Circa hoc* & Emanuel Sa correctus

rectus à sacri Palatij Magistro, verb. Missa n. 2. sed cùm hæc sententia non probetur à communi Doctorum, ideò illam respuendo propositionem nostram probo ex concessionibus Apostolicis. Prima est Clement. IV. Bulla inchoata, *virtute conspicuos*, in qua sic Pontifex ille loquitur, *& quia eiusdem Ordinis fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpiùs transmittuntur, propter quod stabilem & perpetuam in certis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, ac probatos à vobis fratres, facitis ad Ordines promoueri. In locis quoque in quibus degitis liceat vobis habere oratoria, in quibus cum altari portabili possitis Missarum solemnia, & alia diuina Officia celebrare, ac etiam Ecclesiastica recipere Sacramenta.*

Quòd si obijcias Sixtum IV. in Mari Magno Minorum, in quo hanc Bullam refert, & ex certa scientia confirmat, declarare hoc priuilegium debere intelligi valere, cum hac restrictione videlicet, *quod in Ecclesijs non exemptis ab Ordinario non possint illo vti.* Respondebitur restrictionem esse dumtaxat appositam quoad dictis Ecclesias, quantum ad celebrationem in eisdem tempore Interdicti, non autem in alijs casibus, vt in hoc. Secunda concessio est eiusdem Sixti, quam refert Roder. tom. 1. qq. R. R. quæst. 47. art. 4. desumptam ex lib. monum. ordin. in 1. impress. fol. 59. his verbis: Concessit fratribus Minoribus, vt non solum in oratorijs & locis, quibus degunt: sed etiam in quocumque alio loco conuenienti, & honesto possint super altari portatili Missas liberè & licitè celebrare. Tertia est Alexandri VI. registrata Inter viuæ vocis oracula illius Pontificis his præcisè verbis concessum est, & posteà Societati Iesu à Paulo III. B. Licet debitum etiam concessum & verbis sequentibus enunciatum. *Liceatque Præpositis, & eorum etiam facultate vniuersis fratribus, & socijs Societatis huiusmodi in presbyteratus Ordine constitutis, in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit habere oratoria, & in eis, ac quocumque alio honesto, & congruenti loco in altari portabili, cum debitis reuerentia & honore, etiam tempore interdicti, quamuis etiam Apost. auctoritate appositi &c. submissa voce Missas & alia diuina Of. celebrare:* 2. adducitur priuilegium Greg. IX. Archiepiscopo Linconensi directum, in Iure communi insertum cap. *In his* de priuileg. & excell. priuilegiat. in quo hęc veritas sic definitur, *in his: quæ ad cultum diuinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna esset potiùs interpretatio facienda; vnde mirari compellimur, quod cùm fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duximus indulgendum, vt vbicumque fuerint sine parœcialis Iuris præiudicio cum altari valeant viatico celebrare, quidam nimis strictè interpretando indulgentiam nostram nituntur asserere, quod per eam prædicti fratres præter Prælatorum assensum, facere hoc non possint: propter quod eos celebrare iuxta indulgentiam Apostolicam non permittunt: cum autem eis nihil conferret memorata indulgentia sine qua, id Prælatis innuentibus liceret eisdem: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobata, dummodo ab alijs, quæ Iure parœciali proueniunt prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita quòd dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consequuti.* Ex quo priuilegio quatuor manifesta sunt, primùm Dominicanos & Minoritas, illam facultatem vbique celebrandi in altari portatili possidere; illam facultatem esse à Iure confirmatam, esse independentem ab Episcoporum assensu, reprobatam à Iure existere interpretationem illam, quæ ad facultatis huiusmodi vsum Episcoporum assensum desiderat, & hæc veritas nullam patitur difficultatem, vbi Tridentinum non est receptum, vbi autem receptum est, videtur obstare decretum sess. 22. cap. vnico, quod reuocat hanc facultatem his verbis Episcopis directis, *neue patiantur priuatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda sanctum hoc Sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Additurque in fine decreti clausula nonobstantiæ vniuersalis his præcisè verbis: *nonobstantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque*: huic difficultati fit satis; Respondendo 1. quod verba illius Clausulæ derogatoriæ commodè possunt referri ad verba immediatè præcedentia, quæ tantùm respiciunt sæculares, videlicet, *atque ad ea inuiolatè seruanda censuris Ecclesiasticis alijs pœnis, quæ illorum arbitrio constituuntur, fidelem populum compellant*, ac proinde non tangere Regulares: nec priuilegia anteà illis concessa reuocare, cùm de illis non fiat mentio, quæ facienda esset, sed tantum de priuilegiis sęcularium.

Respondetur 2. quod si vis illius clausulæ antedictæ afficeret Regulares eorumque priuilegia, non propterea reuocaret hoc priuilegium: cùm sit Iuris communis, quod similibus clausulis reuocatorijs minimè tollitur, atque hoc responsum ex eo confirmatur, quod Episcoporum priuilegium in hac eadem materia pariter à Iure communi eisdem concessum, nonobstante dicta clausula, quæ æquè ad illos, cùm sit vniuersalis, ac ad Regulares ex vi verborum se extendit, firmum tamen & validum subsistit, vt ex declaratione Congregationis Cardinalium, referente Barbosa, pronuntiata 9. Septembris 1591. perspicuè constat, his verbis; *Congregatio Concilij declarauit caput vnicum de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ sess. 22. in ea parte in qua disponitur extra Ecclesiam, & ad Diuinum tantum cultum dedicata Oratoria sacrificium Missæ celebrari non debere; non derogasse priuilegio introducto in fauorem Episcoporum per caput vltimum de priuilegijs in 6.* ex quo manifestè patet dictum decretum Tridentini non afficere Dominicanos, & Minores & alios, qui eorumdem priuilegiis fruuntur; quia canon insertus iuri communi non debet dici reuocari, nisi de reuocatione sufficienter constet; cùm sit fauorabile ius, eius verò reuocatio censeatur odiosa: in præsenti autem non clarè constat reuocari hoc priuilegium; ergo non est censendum reuocatum, & ita tenent antè Tridentinum Ioan. Andreas, Hostiensis, Zabarella, & Abbas in dictum cap. *In his* de priuileg. necnon Syluester in Summa verb. altare. n. 6. Armilla verb. Missa, n. 4. & alij, & post Tridentinum Præpositus in 7. part. quæst. 83. art. 3. Diana 4. part. tract. 4. Miscellan. resolut. 106. & Flauius Cherub. tom. 1. in scholiis 2. in 4. Bullam Clement. IV. Respondetur. 3. posito quod Tridentinum reuocat hoc priuilegium, attamen Regulares, eo nonobstante, in suis missionibus illo vti posse, ex priuilegio Societati Iesu concesso his verbis: *Vt nonobstante Concilio Trident. sess. 22. de obseruandis &c. possint in missionibus, quæ à superioribus fiunt, seruata alia forma concessionis Pauli III. videlicet cum debita reuerentia & honore sacrificium Missæ super altari viatico celebrari, vbique gentium: etiam in castris militum, modo loca etsi communia & prophana, tuta & honesta sint:* habeturque hæc concessio in Compend. priuileg. eiusdem Societatis verb. altare: & Autentica in domo professa eiusdem Societatis Burdigalæ asseruatur.

Instabis obijciendo, quod frustra factum esset Tridentini decretum, quoad Regulares, si illos non comprehenderet. Respondetur non fuisse frustra editum; cum comprehendat illos, qui dicto priuilegio non gaudent, quibus interdicta est per hoc decretum in priuatis domibus, & cæteris sine assensu Episcoporum celebratio, quod si nullus sit qui in eo priuilegio iam non communicet, non propterea frustrà, nam habuit effectum ante priuilegij communicationem, & futuro tempore habere potest.

Instabis iterum si concessio prædicta Iuris communis valeret, cur postea præcitati Sixtus IV. & Alexander VI. præmissas in principio huius propositionis concessiones Minoribus fecerint? Respondetur non esse insolitum, vt Pontifices semel concessum, licet validum, ad maiorem firmitatem, vel ad tollendos scrupulos, & dubietatem adhùc concedant, & ita factum esse in hoc casu manifestum est. Non enim aliud conceditur illis duabus concessionibus, quàm quod priuilegio Iuris communis concessum esse probatum est.

Obserua tamen 1. circumstantiam appositam in præmissis concessionibus Sixti IV. Alexand. VI. & Greg. XIII. Regulares minimè ligare; cùm priuilegium Iuris communis illam non apponat, quod cùm in nullius præiudicium concessum sit, latè est interpretandum; ac propterea possunt Regulares in loco, in quo dormiunt coniugati, & in loco, in quo fiunt prophana, celebrare; si subsit aliqua iusta causa, quam crediderim esse vehemens desiderium ægroti ad sacrum audiendum, & in illo communicandum, & magna populi multitudo, quam Ecclesia capere non posset, vt tenet Rodericus, tom. 1. quæst. 43. art. 5. sub finem, & Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. verb. *Iam verò*, peccarent tamen ob irreuerentiam, si absque iusta causa in locis inhonestis celebrarent.

Obserua 2. illa verba priuilegij in Iure inserti, videlicet, *dum tamen ab alijs, quæ Iure parochiali proueniunt, prorsus abstineant*, eo modo intelligi, quo Greg. IX. declarat in quadam extrauag. quæ incipit *nos attendentes* nimirum decimas, oblationes, &

primitias, à quibus percipiẽdis in dictis missis huiusmodi, Regul. abstinere tenẽtur.

Ex quibus omnibus facilè est agnoscere Episcopos, Parochos & alios non posse prohibere Regularibus celebrationem Missarum in Ecclesiis; & priuatis Oratoriis sub pœna interdicti; si priùs licentiam in scriptis non obtinuerint, & peccare grauiter hoc facientes; cum in sacros Canones impingant, esseque sententiam interdicti nullam, maximè si de oratoriis ruri à sæcularibus ædificatis sit sermo; cùm id presbyteris sæcularibus sibi subditis, si velint celebrare ante parochialem prohibere non possint, vt censuit sacra Congreg. in vna Caietana 18. Septemb. 1627. & in causa Capuana 31. Maij 1629. refert duo hæc decreta Barbosa de Offic. Parochi part. 1. c. 11. n. 23. Lege de hac materia Moronum responso 99. vbi latissimè, & efficaciter probat Regulares posse celebrare missas in oratorijs sæcularium priuatis irrequisitis, & contradicentibus, parochis, ac etiam Episcopis cuius opus prælo datum fuit Venetijs anno 1645. approbatum à doctoribus & à generali sacræ Inquisitionis præfecto.

Hic in fauorem scrupulosorum notandum est 1. altare non amittere consecrationem, etsi fracti sint anguli, & pars notabilis petræ, si pars remanens possit capere hostiam, & calicem, vt tenent Suar. de Euchar. disput. 81. sect. 5. §. 3. Portel. verb. Altare, & Armilla Aurea eodem verb. n. 1. qui dicit reliquum altaris sufficere, si pro maiori parte possit capere calicem, & hostiam.

Notandum 2. per vnius Missæ celebrationem super altari non consecrato ipsum altare consecrari, quod similiter de calice est asserendum, & ita tenent Castrus lib. 2. de legib. disput. penult. cap. vlt. Auila de censur. part. 5. disput. 7. dub. 3. Concl. 4. & Diana tract. 14. de celebrat. Missæ, resolut. 69.

Notandum 3. quod aliud est ministrare sacerdoti ad altare (scilicet porrigendo calicem, aut dando incensum, & alia huiusmodi) & hoc prohibente mulieri, & aliud est ministrare sacerdoti dicendi Missam, vel salutandi populum, respondendo, & hoc possunt in necessitate fœminæ, vnde in multis locis respondent Moniales: & licet sacerdos debeat celebrare cum socio, seu clerico, vel alio ministro, tamen fallit in recluso, qui solus sine assistente Missam celebrare potest, vbi clerici copia non suffragatur: sic Iacob. de Graffiis in decision. aureis verb. Missa, Archang. Roman. de priuileg. lib. 3. eodem verbo. & Nugnus in 3. part. tom. 1. p. 83. art. 6. dub. 1. nec obstat c. de cohabit. Cleric. & mulier. nam id intelligitur extra necessitatem, qua occurrente non præsumit mulier ministrare, sed vocata ministrat.

PROPOSITIO II.

Regulares noctu Missas, imò & aliquando statim post mediam noctem licitè celebrare possunt.

Supponendum est quod nulli liceat noctu celebrare absque speciali priuilegio sine labe peccati mortalis, exceptis Episcopis, de quo videndus est D. Thomas distinct. 13. quæst. 1. art. 2. Antonin. 3. part. tit. cap. 6. 2. Gabriel lect. 14. in Can. Syluester verb. Missa quæst. 6. Roder. tom. 1. quæst. 47. art. 1. & alij: verumtamen non obstante illo præcepto de Iure communi ex Suario tom. 3. quæst. 83. art. 2. disput. 8. Sect. 4. Sedesmam c. 19. de Eucharistia & Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. c. 2. de priuileg. circa Missam: licet vnicuique celebrare vna hora, cum dimidia ante solis ortum, & iuxta Mirandam in man. tom. 1. quæst. 40. art. 10. Concl. 2. de eodem Iure licere duabus horis ante ortum solis celebrare; necnon nocte Natiuitatis iuxta cap. *Nocte* de consecrat. distinct. 1. nec vnam solum Missam illa nocte, sed etiam tres iuxta Suarium citatum Sect. 3. Hoc posito.

Probatur propositio 1. ex concessione Pij II. quæ habetur in lib. cui titulus Monumenta Ordin. & in compend. priuileg. Mendic. verb. Missa 2. 3. 2. his verbis, *Concessu generali fratrum Minorum, quod possit dare fratribus auctoritatem celebrandi Missas per vnam horam ante auroram: probatur 2. ex concessione relata in dictis Compend. & verb. §. Sixtus IV. concessit eisdem Minoribus fratribus de Obseruantia, quod sacerdotes necessitatis causa possint ante horam statutam ab Ecclesia celebrare.* In quibus concessionibus videre est differentiam, nam prima dat Minoribus facultatem, vt de licentia

Superioris generalis, possint Missas celebrare vna hora ante auroram, quæ concessio priuilegium non est, si illius verba strictè interpretemur, nam vt superiùs diximus, potest quilibet sine priuilegio vna hora cum dimidia, aut duabus horis ante solis ortum celebrare: si autem sensus illius legitimus spectetur, priuilegium est, intelligendo videlicet quod possint celebrare Missas duabus cum dimidia, vel tribus horis ante solis ortum; quoniam vt citatus Suarius & Roder. tom. 3. quæst. 43. art. 1. ratiocinantur, priuilegia sunt semper intelligenda secundùm anticipationem totius temporis in priuilegio concessi, ad totum illud tempus, in quo sine priuilegio posset Missa legitimè celebrari, ita quod si priuilegium concedit vnius horæ anticipationem, Missa poterit inchoari tribus horis, vel duabus cum dimidia ante solis ortum, cum sine priuilegio possit inchoari duabus horis aut saltem vna cum dimidia ante illius ortum, & ratio [inquit Suarius] est clara; quia priuilegium debet aliquid operari quod non faceret, si hunc effectum non sortiretur.

At verò 2. concessio quæ est Sixti IV. Minoribus, & consequenter aliis Regularibus facultatem absolutè concedit celebrandi Missas vna hora ante tempus præscriptum ab Ecclesia, cum limitatione tamen ad casum necessitatis, qui inter exteros est occasio itineris arripiendi, in quo Pius V. illam concessit Religiosis Societatis Iesu, vt refert Sorbus in addit. ad compend. verb. Missa, Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 25. & Portel. verb. Missa, n. 3. quibus omnibus constat Regulares sine limitatione aliqua, posse de licentia sui Generalis celebrare Missas tribus horis, vel saltem 2. cum dimidia ante solis ortum, & sine illa licentia in casu necessitatis id etiam similiter posse. Omittò priuilegium factum Augustinianis, per Bullam, quod valdè probat Corduba super Comp. priuileg. Mendicant. verb. Missa 2. quo Innocentius VIII. illis concedit, vt expleto matutinali Officio possint celebrare Missas etiam ante lucis auroram, vt habetur in proximè dictis Compend. & verb. 6.

Taceo etiam concessionem factam Benedictinis Montis Ferrati ab Alexandro VI. Bulla 13. vt scilicet possint in suo monasterio celebrare Missas post 2. horas post mediam noctem pulsatas, vt refert & tenet Ioann. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 6. Conclus. 2. nam illud videtur minus duobus præcedentibus priuilegiis, hoc autem parum illis addit.

Superest nunc probare, quod possint non solum noctu, verùm etiam illico post mediam noctem celebrare Missas: probatur ergo 1. ex Greg. XIII. concess. anno Pontificatus sui 2. facta Congregationi sanct. Iustinæ, vt refertur in Compend. fratrum S. Hieronymi Hispan. & à Sorbo super Compend. priuileg. Mendic. verb. Missa 3. videlicet. *Vt cum fuerint in itinere constituti possint Missas celebrare ante auroram, & post mediam noctem.* In qua videre est manifestè prædictos Regulares posse in itinere Missas post mediam noctem celebrare. Sed quia hæc concessio ad itinerantes limitata est, ideò probatur 2. quoad omnes ex concessione Leonis X. relata in Suplem. concess. 275. & in Compend. priuileg. Mendic. verb. Missa 2. §. 6. his præcisè verbis. *Concessit fratribus Minoribus de Obseruantia, vt de licentia Superiorum possint celebrare illico post Matutinum, de æstate verò quando noctes sunt breuiores, etiam ante Matutinum Chori, vel infrà, dummodo celebraturus illud per se, aut cum socio dixerit, prout consuetum est in Ordine, cum prima.* In qua concessione notandum est, quod Pontifex non dat Regularibus absolutam facultatem celebrandi Missas illico post Matutinum, aut post mediam noctem, sed cum duabus limitationibus: 1. vt Missæ dicantur de licentia Superiorum; 2. vt si Missæ dicendæ sint, illico post mediam noctem, persolutum sit Matutinum cum Prima, hæc autem 2. limitatio non mediocrem ingerit difficultatem, qui enim fieri potest, vt Missæ celebrentur ante Matutinum chori, cùm chorus in Ordine Minorum prædicto, Matutinum media nocte incipiat, & quod Prima cum Matutino antea recitari debeat; sequeretur enim inde Missas inchoari debere ante mediam noctem, & inchoationi eiusmodi obstaret, quod prima deberet antea recitari, quæ nihilominus ante mediam noctem recitari minimè potest. Verùm hæc difficultas facilè soluitur, si dicatur, quod possunt dici Missæ *ante Matutinum chori omninò persolutum*, potest enim illico post mediam noctem Prima recitari, & statim inchoari Missa, dum Matutinum persoluitur. Adiunge, quod illa conditio dicendi Matutinum cum Prima non est sic obligatoria, vt non valeat pri-

uilegium, si priùs non recitetur. Nam ea conditio non ponitur, vt restrictiua concessionis, sed vt quid requisitum secundum Ius commune Ecclesiæ & Ordinis, quæ recitatio, cùm iam non sit ex Iure requisita quoad Matutinum, vt post Sotum tenent Suarez, Rodericus & alij, nec etiam quoad Primam; cum Ecclesia, nec ordo iam quidquam circa hanc recitationem ex Iure aut ex consuetudine habeat, possunt dicti Regulares Missas celebrare Prima minimè recitata, vt tenet Citatus Rodericus art. 3. imò nec recitato Matutino, si adsit aliqua necessitas, ac ex consequenti valet priuilegium non recitata Prima, & Matutino.

Nec obijciendum hoc priuilegium per Trident. cap. vnico sess. 22. esse reuocatum. Nam Respondetur non reuocare priuilegia Regularium, vt probat optimè Roder. tom. 1. quæst. 43. art. 5. & Miranda citans Suarium tom. 2. quæst. 4. art. 10. Concl. 2. vt etiam in præcedenti propositione diximus.

PROPOSITIO III.

Regulares post meridiem vsque ad horam tertiam Missas incipere possunt.

Hæc propositio nullam aut ad summum minimi momenti difficultatem patitur, si verum sit licere omnibus sacerdotibus priuilegio Apostolico nullatenus gaudentibus Missas celebrare vsque ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem, & illas ea hora inchoare, vt tenent D. Thomas, 3. parte quæst. 83. & Nauar. in summa c. 25. n. 85. & in tractatu de orat. cap. 21. n. 22. & alij, quos referunt Roder. tom. 1. quæst. 43. art. 1. & Suarez tom. 3. quæst. 83. art. 2. dispur. 8. Sect. 4. imò addit Armilla Aurea verb. Missa, posse differre vltra illud tempus propter aliquam necessitatem: verùm cum hæc sententia damnata sit à Pio V. constitutione in forma decreti; non verò in forma Bullæ quæ incipit, *Sanctissimus in Christo pater*, quæ inter Pontificales pag. 507. secunda reperitur, vt refert proximè citatus Roder. ideò stante dicta censura probanda est propositio, videlicet id licere Regularibus ex priuilegio speciali: ac 1. ex concessione Leonis X. in præcedenti propositione præcitata huius tenoris *concessit, vt de licentia suorum Superiorum possint celebrare post meridiem, præsertim diebus quando est de audienda Missa præceptum, & quando fratres debent ambulare seu de via veniunt, & non possunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commodè possunt Missam audire, vel honeste celebrare.* 2. ex concessione Sixti IV. facta etiam Minoribus, quam refert. Chiistoph. à cap. Fonc. post Collectorem priuileg. Mend. in suo Compend. priuileg. verb. celebratio Diuinorum. §. 6. his verbis: *Concessit quod fratres Minoris Obseruantiæ sacerdotes possint causa necessitatis post horam statutam ab Ecclesia celebrare:* verum cum hæ duæ concessiones in aliquo deficiant. 1. in hoc, quod tempus non determinat, sed indeterminatum relinquit, nec quidquam Regularibus concedit; nisi cum licentia superiorum. 2. quod etiam tempus non determinet, cum inter Doctores sit diuersitas opinionum, quod tempus sit statutum ab Ecclesia ad Missas legitimè celebrandas, sitque limitata per casum necessitatis, ea propter ad alias concessiones procedendum est. Probatur ergo 3. ex concessione Innocentij VIII. relata ab eodem Chtistoph. post Collect. priuileg. Mendic. in citatis Compend. & verbo §. 7. & 9. *Concessit fratribus Ordinis Prædicatorum Congregationis Hispaniæ reformatæ, quod possint celebrare Missam per horam post meridiem, præsertim quando prædicatur in conuentibus, vel sunt solemnia Officia.* Sed cùm hæc concessio partim sit priuilegium, videlicet in eo, quod dat facultatem dicendi Missam hora post meridiem, partim non, cum 2. casus exprimat in quibus de iure licet sine priuilegio celebrare, vt tradit citatus Roder. ideò aliam ampliorem sine vlla limitatione adducemus ex Eugenio IV. registratam in dicto Compend. priuileg. Mendic. verbo Missa quoad tempus 1. his planè verbis: *Concessit quod fratres Minores possint celebrare Missam vsque ad horam nonam post meridiem sine scrupulo conscientiæ:* omitto eamdem concessionem factam Cælestinis itinerantibus à quodam Eugenio, relatam à Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 5. dub. Concl. 2. cum illa proximè posita Eu-

genij IV. sit amplior, tum ex eo, quod non terminat tempus ad Nonam, cum hac dictione *Exclusiuè*, tum etiam ex eo, quod ad omnes Regulares sacerdotes extenditur, hæc autem ad solos itinerantes. Quòd si obijcias Trident. sess. 22. cap. vnico, Respondebimus vt supra in proximè præcedenti propositione, videlicet non reuocare hoc priuilegium.

Instabis Pium V. constitutione ante memorata quoad dictam Missarum celebrationem Regularium priuilegia reuocasse, Respondetur hoc priuilegium sicut etiam alia priuilegia quoad celebrationem Missarum, restituta fuisse vt vniuersaliter probauimus de omnibus priuilegiis in tract. de Priuilegiis in comm.

Hic tamen aduertas velim 1. quod sicut ex Doctrina Suar. cum aliis to. 3. quæst. 83. arr. 2. dispur. 8. Sect. 3. & Roder. anteà citati, art. 3. Episcopus potest Iure communi dispensare suos subditos, vt noctu, & postmeridiem Missas celebrent non tamen generaliter, sed particulariter, & in aliquo parriculari, ac speciali casu, sic prælatus Regularis absque hoc speciali priuilegio, potest similiter suos subditos dispensare, cùm eadem in illos ac Episcopus in suos facultate polleat, vt probauimus in tract. 2. & 3.

Secundo licere Regularibus assumere sacerdotes sæculares, vt sibi Missam ante diem in quocumque loco honesto cum altari portatili celebrent, & ab illis recipiant Sacramenta, cum hoc priuilegium concessum sit Minimis à Iulio II. vt tenent Corduba super Compend. priuileg. Mendicant. verb. Missa 2. & Portel verb. eodem n. 5. illud omninò valere arbitrantes, qui cùm non exprimant & assignent horam, ad quam extendatur, meo iudicio ad illam extenditur, qua licet Regularibus, ex priuilegio celebrare, cùm videatur illis concessum ad normam priuilegiorum, quibus potiuntur quoad tempus Missas celebrandi, quod cùm nemini noceat, debet latè interpretari, meum tamen iudicium Doctiorum sententiæ submitto.

PROPOSITIO IV.

Regularibus licitum est in festis duplicibus Missas votiuas Spiritus sancti, Virginis Mariæ, necnon etiam defunctorum pro libito celebrare: & in prædictis votiuis, ac alijs omnibus votiuis Canticum Angelorum, seu Gloria in excelsis Deo, & etiam pro libito dicere.

Duas habet partes hæc propositio, prima priuilegium non est, sed commune Ius, quo non solùm Regulares, verùm etiam sæculares vti possunt in missis priuatis, vt tenent Suarez de Eucharistia disp. 83. Sect. 3. & disp. 88. Sect. 3. Concl. 1. maximè in §. *in quo est*, Portel. in addit. verb. Missa. §. 8. & alij: & probatur: quia alia ratio est de obligatione sacerdotis, vt conformetur festo illius diei in recitando diuino Officio, alia verò, vt conformetur in dicenda Missa cum rubricis Missalis: hæ enim rubricæ iuxta Doctores minus obligant, quàm aliæ; non enim est præceptum de Missa, aut tali Missa dicenda, sicut est de officio, aut tali officio dicendo, nisi adesset in audientibus scandali periculum. Dixi priuatis, quia aliter in solemnibus asserendum, iuxta cap. *Quidam*. & cap. *Creatura*. de celebrat. Miss. de quibus, & alijs vide citatum Suar.

Secunda autem pars propositionis probatur ex concessione Alexandri IV. facta Minoritis, per Bullam quæ habetur in Compend. priuileg. Mendic. verb. Missa quoad modum §. 4. his præcisè verbis: *Alexander IV. concessit fratribus Minoribus vt in missis votiuis Spiritus sancti, & Virginis Mariæ Gloria in excelsis Deo nec non sequentiæ competentes, tam in solemnitatibus cantare, quàm dicere possint in priuatis, non obstante statuto generali* videlicet capite *Concilium*, extra de celebratione Missarum in quo Pontifex Innocentius III. statuit, vt in missis commemorationis, seu votiuis licet dicatur propria præfatio, non tamen Hymnus Angelicus, seu Gloria in excelsis, vt inter commemorationem & solemnitatem differentia ostendatur. Verum cum hæc concessio non extendatur nisi ad votiuas de Spiritu sancto, & Virgine Maria alia concessio Sixti IV. adducenda est, quæ refertur à Roder. tom. 1. qq. Reg. quæst.

43. ar. 15. his verbis: *Concessit fratribus Minoribus de Obseruantia, vt possint dicere in omnibus missis votiuis, Gloria in excelsis Deo.*

Postulabis num Minoritæ hoc priuilegio potiri queant? Ratio difficultas est, quod eorumdem regula cap. 3. illis præcipit *facere Diuinum officium secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, idest, iuxta interpretationem Doctorum, secundum rubricas &c. Ergo & Missas secundum rubricas celebrare; cùm Missæ sint pars diuini Officij; ergo non possunt vti illo priuilegio; cùm sit contra illum Ordinem, ac consequenter contra suam Regulam. Respondetur diuinum Officium in illo capite significare horas Canonicas, vt patet manifestè, 1. ex differentia, quam ponit inter diuinum Officium Clericorum, ac Laïcorum, quod vltimum diuidit in horas septem iuxtà formam, & nomen illarum horarum Canonicarum, quod signum est loqui tantum de horis Canonicis. 2. ex illis verbis appositis post præceptum officij diuini, videlicet *excepto psalterio, ex quo habere poterunt breuiaria*, quibus perspicuum est loqui de illo diuino officio, quod dumtaxat solas horas Canonicas comprehendit, non autem Missas cum respectu illarum non dentur Psalterium & breuiaria, sicut dantur respectu horarum Canonicarum, & sic communiter existimant illius regulæ Expositores: ac ex consequenti, cum hoc priuilegium non sit contra dictum præceptum regulæ, possunt Minoritæ illo vti absque conscientiæ scrupulo, ac similiter alio priuilegio vti possunt, videlicet Missas celebrare iuxta suos ritus in Capitulis Prouincialibus editos, ad quos condendos facultatem habent, sicut antiquitus ex Concilio Cartag. 3. Can. 23. & ex Mileuitano Can. 2. Episcopis licebat; nec possunt ab hoc celebrandi modo ab Episcopis prohiberi, vt probarū est in tract. de exempr.

Notabis hic in fine huius propositionis ex Gauento verb. Missa posse quemlibet sæcularem vel regularem satisfacere, Missæ votiuæ & Defunctorum dicendæ, si celebret Missam festi occurrentis, quando duplex est, aut illius diei, in quo per rubricas prohibetur dici Missa votiua, aut Defunctorum.

PROPOSITIO V.

Regulares tempore Interdicti generalis possunt in suis conuentibus separatis à populo diuina celebrare alta voce campanis pulsatis & ianuis apertis, exclusis tamen specialiter interdictis, & nominatim excommunicatis.

Hanc propositionem facilè probabimus, si priùs aliqua de interdicto iuxta Iuris communis dispositionem dixerimus. Interdictum ergo est censura Ecclesiastica, qua certis personis, aut loco, Diuinorum officiorum celebratio, sepultura, sacramentorumque administratio interdicuntur à Iure; vel à Iudice Ecclesiastico: vnde & Interdictum aliud à Iure, aliud à Iudice est: item aliud est personale, aliud locale: aliud generale, quod in ciuitatem, castrum &c. & personas illius fertur: aliud speciale, quod in priuara loca, & personas fulminatur, non pronunciatur autem Interdictum, nisi ex causa, eaque in scripto Interdicti comprehensa ferri debet; non tamen ex causa pecuniaria, aut ob culpam priuati alicuius hominis, sed propter culpam eius, qui loci dominus est, aut in eo iurisdictionem habet.

Prohibetur verò tempore Interdicti 1. interesse diuinis Officiis, videlicet his omnibus quæ in Missali seu Breuiario Romano ponuntur, tamquam spectantia ad Diuinum officium. 2. susceptio sacramentorum, ijs dumtaxat exceptis, quorum susceptionem priuilegium exprešsè, vel tacitè permittit. 3. prohibetur Ecclesiastica sepultura excepta Clericorum: quocirca permittitur Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia: sed duo pesteriora dumtaxat morientibus. Potest tamen dari sacramentum pœnitentiæ sanis, si interdicti non sint, etiam in Ecclesia specialiter interdicta: item permissa est Missæ, aliorumque officiorum diuinorum celebratio, dummodo submissa voce, ianuis clausis, & campanis non pulsatis dicantur: in festiuitatibus autem Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptione Dei-

Digitized by Google

paræ Virginis, Diuinorum officiorum celebratio, etiam pulsatis campanis, apertis ianuis, altaque voce admittitur, is verò qui scienter celebrat in loco interdicto, nisi priuilegiatus existat, aut à Iure sit ei concessum, incurrit irregularitatem, super qua dispensari non potest, nisi à summo Pontifice, & Regulares tam exempti, quàm non exempti, item domini locorum interdictum violantes excommunicationis sententia perstringuntur.

Interdictum autem differt à cessatione à diuinis, quod hæc non sit censura, nec ponatur in personis, sed in locis, sunt tamen eadem quoad obseruantiam apud Regulares, ex concessione Leonis X. relata in Compend. priuileg. Mendic. verb. Interdict. 1. §. 17. denique hæc omnia cum moderatione sunt accipienda, & cùm interdictum sit pœna, non debet vltra quàm par sit extendi, interdictus autem priuatur omni participatione diuinorum in ipsa Ecclesia, non autem participatione illorum in locis priuatis, & oratorijs, in quibus celebrare & diuina recipere potest, sicut antea poterat. His positis vt certis.

Probatur propositio ex concessione Vrbani IV. Bulla 3. facta specialiter Cistercienfibus quam videre non potui; illam tamen citat huic sententiæ subscribendo Ioan. de la Cruz. de statu Relig. lib. 2. cap. 7. tit. circa interdictum, conclusione 1. & conformiter ad hanc concessionem Iulius II. Bulla 9. pro Minoribus concedit, per Bullam vt habetur apud citatum Ioannem de la Cruz. & in Compend. priuileg. Mendic. verb. Interdict. 1. §. 12. ac etiam in Compend. Christoph. à c. Font. eadem 1. §. 8. *Quod si contingat aliquam ciuitatem, seu oppidum cum duobus, vel tribus milliaribus circumuentri, infra quæ milliaria domus prædictorum fratrum existunt, Ecclesiastico supponi interdicto fratres huiusmodi Ordinis; nisi causam interdicto dederint, vel eis specialiter ex causa legitima interdictum fuerit, huiusmodi interdictum seruare nullatenus teneantur, si aliàs domus ipsorum fratrum de iure interdicto talis oppidi non comprehendantur*: verùm meo quidem iudicio hæc concessio priuilegium non est; si simpliciter, & absque determinatione ad loca Regularium interdictum fertur; nam ex Bonifacio VIII. vt habetur cap. *Si ciuitas* in 6. decisum est quod *Si ciuitas, castrum, aut villa subyciatur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia, eo ipso intelligi volumus interdicta, nam licet prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari &c.* Si verò vltra illa suburbia, & continentia ædificia interdictum extenderetur, præfata concessio esset priuilegium, & in vi illius, domus Regulares sic ab vrbe distantes, ab interdicto eximerentur, nec tenerentur Regulares illud seruare; quia secundum ius commune sub tali inter dicto minimè comprehenduntur.

Obijcies Trident. sess. 25. cap. 12. præcipere Regularibus, vt interdicta obseruent his verbis: *Censuræ & interdicta nedum à sede Apostolica emanatá, sed etiam ab Ordinarijs promulgata mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur: atque seruentur.* Respondetur argumentum non habere vim vbi Tridentinum non est receptum; vbi autem viget, non auferre priuilegia Regularium, cùm hoc decretum nullam clausulam eorumdem reuocatoriam contineat, & ita tenet Barbosa in illud caput sequutus Henriq. in summa part. 2. lib. 13. c. 48. §. 1. Roder. in Bullam Cruciatæ. §. 5. n. 15. & in addit. 13. & 35. & tom. 2. q. q. Reg. q. 112. art. 1. Ioan. de la Cruz. de stat. Relig. lib. 2. c. 7. dub. 2. Conclus. 2. Anthon. Hornem. ad c. *Cum & plantare* §. *quod si templum* parte 2. de priuileg. Sayrum de cens. lib. 5. cap. 13. n. 24. & 25. Medin. in summa lib. 1. parag. 13. Ludoui. Lopen 2. parte cap. 2. & alios.

Quod si petas, quid ergo operetur circa Regulares illa dispositio Tridentini? Respondetur, operari erga illos, qui carent illis priuilegiis, si qui iam careant, vt alibi in simili materia respondimus.

PROPOSITIO VI.

Regularibus præterea concessum est tempore generalis Interdicti etiam Apostolici, publicè & solemniter Missas celebrare in diebus festis sui Ordinis: & in Octauis, ac Vigiliis eorumdem, & quibusdam aliis.

Quod

Quod possint etiam tempore interdicti id facere in Festis Concep. & Visitationis B. Mariæ, Nat. Ioan. Bapt. Sanctorũ titularium suarũ Eccl. Sanctorũ in illis sepultorum, cum omnibus eorum Oct. & à primis versp. Dominicæ palmarũ vsque ad occasum solis Dominicæ in albis. Denique quotiescumque Monachi, Moniales, & aliæ vtriusque Sexus Religiosæ personæ professionem emiserint, aut primam Missam celebrauerint, vel eædem personæ in Ecclesiis Regularibus sepulturæ sint tradendæ dummodo ipsorum Ecclesię non sint specialiter interdictę, aut ipsi specialiter interdicti, aut causam interdicto dederint: constabit in decursu probationis nostrę propositionis, quæ probatur 1. ex concessione Alexandri IV. per Bullam facta Minoritis relata in Compend. priuileg. Mendic. verb. interdictum 2. in hæc verba. *Alexander IV. concessit vt cum generale fuerit interdictum possint fratres Minores in vigilijs & festiuitatibus Sanctorum Francisci Antonij, ac Beata Clara & octo diebus immediatè sequentibus vnà cum Religiosis & clericis secularibus, qui tunc in Ecclesiis fratrum conueniunt, apertis ianuis, excommunicatis dumtaxat exclusis, diuina officia ibi celebrare, dummodo huiusmodi fratres Minores aut prædicti Religiosi & Clerici causam non dederint interdicto, nec præfatis fratribus contingat specialiter interdici,* & licet hæc concessiõ per cap. *Alma mater,* fuerit reuocata, fuit tamen per Iulium II. reualidata, vt inferius videbitur, sed cùm non probet propositionem nostram in integrum, alię ad eam probandam sunt adducendæ. Prima erit ex Alexandro VI. quę in dicto compend. reperitur eodem verb. §. 2. *Alexand. extendit priuilegia summorum Pontificum suorum prædecessorum, quoad interdictum (scilicet) quod sicut tempore interdicti poterant fratres Minores celebrare diuina officia in suis Ecclesiis & monasterijs in solemnitatibus Sanctorum Francisci, Antonij & Beata Clara & per suas octauas: ita possint in festiuitatibus aliorum Sanctorum dicti Ordinis, videlicet Ludouici, Bernardini, Bonauentura, necnon quinque martyrum de Marrochio, sed hoc per diem tantum.*

Has duas concessiones Iulius II. confirmat, & ampliat extendens illas ad festum stigmatum Sancti Francisci, vt habetur in præfato Compend. eodem verb. §. 4. his verbis. *Iulius II. confirmauit & de nouo concessit priuilegia suorum prædecessorum circa celebrationem festorum Sancti Francisci, & aliorum sanctorum Ordinis Minorum tempore interdicti, extendens etiam eadem priuilegia ad festum Beati Patris Francisci: etiam tempore cessationis à diuinis, nonobstantibus quibuscumque in contrarium facientibus præsertim Capitulo* Alma mater *de sententia excommunicationis.*

Verum quoniam hę omnes prędictæ concessiones non probant integrè nostram propositionem; non prima quoniam comprehendit tantum vigilias, festa, & Octauas aliquorum sanctorum Ordinis; non secunda, cùm licet comprehendat omnia festa, non tamen omnes octauas: nec etiam festum stigmatum; non 3. quia illas 2. concessiones tantùm confirmat, & vltra amplia ad festum stigmatum cum reuocatione Capituli *Alma mater;* ideò aliæ concessiones sunt adducendæ, quę id integrum probent, sed priùs supponendum est quod communicatio priuileg. Mend. & non Mendic. facta est singulis Mendicantibus sic, vt quando aliquod priuilegium concessum est alicui Ordini, aut monasterio illius pro festis illius Ordinis, communicatum sit festis alterius Ord. ac etiam ille ordo communicans gaudeat priuil. in fauorem festorũ alteri Ord. seu monasterio illius cõcessis, vt diximus in tract. de priuil. in communi. Hoc posito fundamento tamquam certo duas concessiones profero.

Prima est Leonis X. quæ habetur in dicto compendio Mendicant, codem verbo 2. §. 9. his verbis ex Bulla inchoata. *Exposuit. Nobis idem Leo concessit fratribus Ordinis Prædicatorum vt quoties festiuitates SS. Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, & Vincenty: ac Sanctæ Catharina de Senis, & earum octaua, quomodocumque etiam per translationes celebranda occurrerint, tempore quo ciuitates, oppida & loca Ecclesiastico interdicto etiam auctoritate Apostolica sunt supposita, in Ecclesiis domorum suarum & monasteriorũ, quorum cura dicto Ordini est commissa, nisi Ecclesia supradicta vel huiusmodi fratres, nominatim essent interdicti, aut causam dederint interdicto, aut eam foueant, possint pulsatis cãpanis & apertis ianuis, interdictis & cõmunicatis exclusis, alta voce Missas & alia diuina Offi. diurna & nocturna diebus festiuitatum prædictarũ: & octaua earum, respectiuè durantibus, & etiam si per octauas ipsarum & in die octauarũ, non nisi memoria de sanctis fieret liberè & licitè celebrare, ac voluit, vt quoties dictarum festiuitatum, & octauarum earum-*

dem celebrationes, qualibet ex causa, etiam extra tempus interdicti transferantur, etiam indulgentia dictas Ecclesias in festiuitatibus huiusmodi, & per earum octauas visitantibus pro tempore concessa ad tempus celebrationis huiusmodi sint, & censeantur translata.

Secunda concessio est etiam eiusdem Leonis & B. *Religionis sub qua tu. sanè Religionis.* relata eodem loco §. 10. his verbis. *Concessit Generali, & alijs Abbatibus, Prioribus, & Abbatissis, Monachis & Monialibus, Conuersis, seruitoribus & seruitricibus monasteriorum & Prioratuum Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispaniæ pro tempore existentium, vt in Conceptionis, & Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ, & eiusdem Virginis, & Sancti Ioannis Baptistæ natiuitatibus, nec non SS. Benedicti Abbatis, Martini Episcopi & Confessoris transituum & translationum, ac Sanctorum Gregorij Papæ, Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, Antonij & Bernardi Abbatum, ac beatorum Mauri & Placidi discipulorum, & Sanctæ Scholasticæ sororis eiusdem Sancti Benedicti, nec non in quorumcumque aliorum sanctorum & sanctarum, sub quorum inuocationibus monasteriorum, Prioratuum, & locorum vtriusque sexus dicti Ordinis & Congregationis Ecclesiæ dedicatæ & constructæ, seu quorum corpora in ipsis Ecclesiis recondita respectiuè existunt, necnon Hebdomadarum sanctæ, & resurrectionis Dominicæ festiuitatibus, & per octauas earumdem omnium supradictarum festiuitatum: necnon quoties monachi, moniales, & alia vtriusque Sexus religiosa persona dicti Ordinis & Congregationis professionem emiserint, aut primam Missam celebrauerint seu eos in Ecclesiis vel cemeterijs monasteriorum, Prioratuum & aliorum locorum dicti Ordinis & Congreg. humana corpora Ecclesiast. tradere sepultura contigerit tempore interdicti: & cessationis à diuinis quacumque authoritate etiam Apostolica impositorum dummodo huiusmodi interdicto causam non dederint, nec id eis contigerit specialiter interdicis apertis ianuis pulsatis campanis, nominatim interdictis & excommunicatis expulsis, Missas, processiones, & alia diuina officia solemniter in cantu celebrare.* Addo his 2. concessionibus aliam Leonis X. B. inchoatam. *Cum aliàs concessit fratribus Minoribus de Obseruantia & Monialibus S. Claræ, & tertiæ Regulæ sub Obedientia eorumdem fratrum degentibus, vt in die Sanctæ Elizabeth Filiæ regis Hungariæ, & per eius Octauam possint Missas celebrare, seu celebrare facere, quemadmodum possunt in diebus S. Francisci, Antonij & Claræ & per octauas eorum:* vt habetur in dicto Compend. eodem verb. §. 6. ex quibus omnibus concessionibus manifestè patet propositionis nostræ veritas, quam tenent Collector priuilegiorum Mendicantium eodem verbo, Corduba in annotatione ad Verbum interdictum: Miranda quæst. 37. de Interdicto art. 12. & Sorbus in Compend. verb. interdictum.

Nec obest dicere Tridentinum reuocare illud priuilegium, quoniam in propositione proximè antecedenti ostensum est non reuocare: quod apertè declarauit Pius V. in Bulla sæpiùs reperita. *Etsi mendicantium* his verbis, *& licet in sess. 25. cap. 12. caueatur quod censura & interdicta Ecclesiastica etiam à locorum Ordinarijs promulgata mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicari debeant, tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis sanctorum Ordinum eorumdem: ac alias in alijs festiuitatibus iuxta eorumdem Ordinum priuilegia Apostolica interdictum huiusmodi emanauerit illud in præfatis festiuitatibus & earum octauis suspendimus.*

Ex quibus omnibus apertè constat veritas propositionis nostræ, cui adijcimus de iure licere ex cap. *Alma mater* de Sentent. excomm. in 6. Missas cæteraque diuina officia ianuis clausis, & non pulsatis campanis, submissa voce, & exclusis interdictis & excommunicatis celebrare; quod anteà priuilegium erat Regularibus ex concessione Honorij III. facta Carthus. cuius Originale extat in magna Carthusia signatum per A. 33. huius tenoris; *auctoritate præsentium vobis indulgemus: vt cùm terra interdictum fuerit generale liceat vobis excommunicatis & interdictis exclusis, ianuis clausis, non pulsatis campanis, submissa voce diuina officia celebrare*, quod anteà Celestinus III. eisdem Carthusianis per modum statuti constituerat his verbis: *statuimus etiam, vt propter communia interdicta terrarum, monasterium vestrum excommunicatis & interdictis exclusis, à diuinis non cogatur officijs abstinere.* Habetur originale in dicta Carthusia signatum per A. 16. Hæc sufficiant dicta de celebratione Missarum in locis generali interdicto suppositis, nunc agendū de interdicto speciali, si prius diximus quod interdictum speciale Ecclesiæ Regularis non est quando generale interdictum extenditur ad Ecclesias Regularium, sed quando sola Ecclesia Regularis

interdicitur, vel in litteris specialiter, & principaliter nominatur: quod autem Ecclesia Regularis non possit interdici ab Episcopis satis probatum est in tract. de exempt. nunc ergo videndum est num quando à potente Ecclesia Regularis specialiter interdicta est, possint Regulares facere quæ facere possunt in Ecclesiis generaliter interdictis.

PROPOSITIO VII.

Licitum est Regularibus tempore Interdicti specialis eodem modo Missas celebrare, quo illis permissum est tempore generalis Interdicti.

Ita sentiunt Casarubius in Compend. priuileg. Mendicant. tit. interdictum 7. Corduba in annotat. ad idem verb. Sorbus eodem verb. Roder. in Exposit. Bullæ Cruc. & Ioan. de la Cruz. de stat. Relig. l. 2. c. 5. tit. circa interdictum Conc. 2. habetur autem hoc priuil. expressè & aliquid ampliùs continens in concessione facta Carth. à quodam Legato nomine Guilh. de hoc expressa potestate à Clem. VII. sui Pont. anno 3. pollente, quod asseruatur in domo Carth. Friburgi his verbis: *vobis tenore præsentium indulgemus, vt interdicti tempore alta voce iuxta modum & ritum consuetudinis vestræ septis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, Diuina possitis, & valeatis officia facere, eaque audire; dummodo causam non dederitis interdicto, nec vobis contingat propter id specialiter interdici.* In quo vides Legatum Pontificis Guilhielmum nomine absolutè concedere, non solùm diuina facere, sed etiam alta voce illa facere in quolibet generali vel speciali interdicto: quod autem de speciali interdicto intelligi debeat, probatur ex eo quod absolutè concedit, cùmque non distinguat, nec nos distinguere, sed de vtroque interdicto intelligere debemus.

Verum cum ille Legatus Cardinalis Maiorem sortitus non esset potestatem, quàm dictus Clemens Papa, qui eum legauerat [erat enim Antipapa] cognitus tamen vt verus Papa in Gallia, & aliis quibusdam regnis, ideò illius concessionis tamquam nullius immoror, licet in Gallijs, sicut & multæ aliæ eiusdem Pontificis concessiones, forsan approbetur, ad aliam alterius Pontificis concessionem progrediendum iudicaui, quæ est Iulij ij. facta Augustinianis, relata in Compend. priuileg. Mendic. verb. interdict. 1. per Bullam datam huius tenoris. *Concessit fratribus Augustin. vt quæ Ordini suo pro tempore Generalis interdicti concessa sunt, ea omnia in speciali interdicto intelligantur esse concessa*, in quo licere eis voluit eadem omnia ex quæ in generali interdicto licere concessum est, quibus hæc nostræ propositionis veritas manifesta redditur.

Multæ aliæ propositiones circa materiam faciendi Diuina officia in locis interdicto suppositis hic fieri possent, sed parcens prolixitati contentus ero notare concessiones Apostolicas circa illam, quas ex Casarubio, Corduba, & ex Roder. In Exposit. Bullæ Cruc. affert, & tenet cum illis Sorbus in Compend. priuileg. Mendic. verb. interdictum 3. ac 1. tempore interdicti secundùm Ius commune potest benedici Aqua, Cinis, Rami, & Candelæ, sanctissimum Sacramentum conferri, & alicui priuilegium aliquod habenti sepultura dari potest.

Secundò hi qui tempore interdicti secundùm Ius commune possunt ad Diuina officia auscultanda admitti, ac sine pompa & solemnitate sepeliri, sunt Clerici, & qui habent aliquod breue, aut Bullam, vt possint ipsi cum suis familiaribus & domesticis (videlicet) qui de more illos solent comitari, cum eisdem conuiuere seu sustentari, licet sæpiùs absint ab illis propter aliqua negotia peragenda, quique non sint fraudulenter recepti ad audiendum, & celebrandum cum illis.

Tertiò Tertiarij, Beatæ, famuli, familiares, domestici, scindici, aduocati, procuratores, & Officiales Ordinarij monasteriorum fratrum, ac Monialium possunt tempore interdicti siue generalis, siue particularis Missam, cæteraque Diuina officia in Ecclesiis illorum Regularium audire: & Ecclesiasticæ sepulturæ in eisdem sine pompa tradi, ibique omnia sacramenta recipere: dummodo tamen nemo ex supradictis sit excommunicatus, vel interdictus &c. ac cæteris obseruatis limitationibus po-

fitis in cap. *Alma mater* quæ sunt ianuis clausis, &c.

Quartò tempore interdicti Missam & Diuina officia In locis Regularium audire possunt omnes Regularium Officiales, & laborantes in die qua ibi laborauerint, licet soluatur eis merces, & non sint Ordinarij laboratores, ac omnes alij serui mercenarij residentes in campis, vel alijs locis ipsorum Regularium idem poterunt, quando in monasteria vel domos talium Regularium venerint, & hæc ianuis clausis, &c.

Quintò Nicolaus V. concessit vt Priores, Guardiani, & alij Superiores quocumque nomine vocentur per communicationem Benedictinorum possint eligere sex personas inter viros, & inter mulieres successiuè, quæ possint tempore interdicti generalis siue specialis, aut quo cessatur à diuinis, non tamen positi & confirmati auctoritate Apostolica immediatè; Missas audire, aut diuinis officijs interesse, & Ecclesiastica sacramenta ibi recipere: & per aliam concessionem cuiusdam Legati à latere possunt recipere quindecim personas quolibet die temporis interdicti Ordinarij ad Missas & alias horas audiendas, dummodo non dederint causam interdicto.

Sexto tempore interdicti & cessationis à diuinis omnes fratres & Moniales, Nouitij & Conuersi donati & seruitores & seruitrices possunt recipere omnia sacramenta iuxta morem talis Ordinis, ea conditione, vt sanctissimum Sacramentum recipiant coram illis, qui vel ex priuilegio, vel ex iure possunt Diuina officia audire.

Sextò, tempore interdicti generalis & specialis, non tamen Apostolici, possunt Regulares benedictionem Mensæ cantare: ac gratias referre; processiones per claustra facere, Hymnos, ac Litanias cantando: ac reliqua vt solent peragere: possunt etiam duo vel plures Regulares extra Ecclesiam in cella vel alibi dicere Diuinum officium, ita tamen submissa voce vt ab alijs non audiantur, possuntque interdicti orationem Matutinam, meridianam & vespertinam, quam vocant [Aue Maria] dicere, facere Lectionem, Declarationem Psalmorum, vel Euangeliorum, aut similium, quæ in diuinis Officijs dicuntur, cùm non prohibeatur prædicatio; nec oratio priuata in Ecclesia: etiam ipsis quorum causa positum est interdictum. Denique plura alia interdicti tempore fieri possunt, quæ ponit Nauarr. in Man. cap. 27. n. 175. 156. cum sequentibus: atque his omnibus gaudere poterunt Regulares, & seculares in locis, in quibus Bulla Cruciatę non est recepta, pro locis autem in quibus est recepta, videat Lector Sorbum citato loco §. *Sed videamus.*

Hic sub finem aduertas velim Pompam moderatam illam dici, quę fit cum media solemnitate, quæ fieri solet extra interdictum cantando, & pulsando campanas iuxta qualitatem personæ: sic Corduba in suo Quæstionario tract. de indulgentijs, 943. dub. 5. & ita etiam declarauit Pius IV. annis 1564. & 1565. cætera autem relinquuntur arbitrio Episcopi si adsit in loco in quo mortuus sepelitur, aliàs arbitrio Parrochi, & ita refert & tenet Sorbus citatus.

Num autem Regularis cùm ad loca interdicta accedit, possit ibi Diuina celebrare? certum est quod possit, siue interdicta sint Generali, aut speciali interdicto ex Alexandro IV. Bulla, *Eis qui sanandis* in fauorem Minorum edita in qua sic legitur. *Præsentium vobis auctoritate concedimus, vt cùm ad loca interdicto supposita vos venire contigerit, possitis in eis excommunicatis, & interdictis exclusis, ianuis clausis, suppressa voce, & non pulsatis campanis Diuina celebrare; nisi id vobis fuerit specialiter interdictum.*

PROPOSITIO VIII.

POssunt Generales Regularium ex causa reducere ad minorem numerum Missas quæ vocantur Missæ dotationum, & anniuersariorum, non solùm in Capitulis generalibus, & Prouincialibus; sed etiam extra illa.

Hæc propositio quoad primam partem facilè probabitur si priùs textum Concil. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 4. adduxerimus, qui hęc verba continet: *Contingit sæpè in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varÿs defunctorũ relictis impositũ esse, vt illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis*

nequeat satisfieri, vel Eleemosinam huiusmodi pro illis celebrandis adeò tenuem esse vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, vnde depereunt pia testantium voluntates: & eorum conscientias ad quos prædicta spectant onerandi occasio datur. Sancta synodus cupiens hæc ad pios vsus relicta; quo plenius, & vtilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, vt in synodo, Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem, viderint expedire, ita tamen vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat; qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt: hanc facultatem ad Capitula Prouincilia extendit Congregatio Cardinalium ex relatione Barbosæ in illud Caput his verbis: *Religiosi qui ob paupertatem sacerdotum Missarum oneri satisfacere nequeunt in suis Capitulis Prouincialibus, prout magis expedire indicauerint prouidere poterunt.*

Nec putes decretum tantùm extendi ad Missas, sed etiam ad anniuersaria, & officia pro defunctis, ex responso Sacræ Congregationis facto Archiepiscopo Neapolitano, vt tradiderunt Garsias de benefic. tom. 1. part. 7. c. 1. n. 13. Naldus in summa verb. Missa num. 10. Galletus in Margar. casuum conscientiæ, versu Missa, n. 4. Ricciusin praxi parte 1. resolut. 34t. n. 2. Piasec. in praxi Episc. part. 2. cap. 3. n. 15. Stephanus Quaranta in summa Bullarij verbo Missa & alij: ratio huius veritatis est; quoniam cui concessa est facultas in principali, & in eminenter maius, in accessorium, & minus, concessa censetur; cùm ergo facultas reducendi Missas, quę tenent locum principalis & maioris eminenter, ad certum & minorem numerum sit illis concessa, similiter est asserendum concessam facultatem ad prædicta officia, & anniuersaria, quæ comparatione Missarum sunt quid accessorium, & minus, ac sic tenet quoad Generales 3. Zerola in praxi Episcop. parte 1. verb. Missa, §. 3. Roder. tom. 1. quęst. 43. art. 3. Portel. verb. Missa §. 1. Miranda in Man. tom. 1. quæst. 4. art. 24. Nauarr. inferius citandus, & alij.

Quoad verò 2. partem videlicet quod id etiam possint Generales extra Capitula constat pluribus rationibus. Prima est, quoniam illa circumstantia Capitulorum non est limitatiua facultatis, ita vt illa non obseruata non valeat actus: sed est tantùm directiua, & ad illum actum remissionis melius faciendum. 2. quoniam licet Episcopo ex dicto decreto apponatur onus similem remissionem faciendi In synodo, attamen potest illam facere extra synodum, vt tenent Bonac. de Sacrament. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. n. 9. Garsias de benef. tom. 2. part. 7. c. 1. n. 134. Miranda in Man. tom. 1. q. 41. art. 14. Henriq. 2. tom. tit. de Missa cap. 22. n. 6. litt. p. Nauarr. in Man. c. 25. n. 138. & alij: ergo & id similiter poterunt Generales extra Capitula, ac sic tenet Miranda citatus.

Nec valet obijcere quòd facultas Episcopi quoad hoc differat à facultate Abbatum, & Generalium Ordinum, cum decretum Trident. non faciat illis Ius nouum, sed tantùm Ius vetus renouet, quo id poterat extra synodum, at verò Generalibus, & Abbatibus Ius nouum constituat; Nam respondetur eodem modo i eisdemque terminis vti decretum quoad Episcopum, Abbates & Generales; ac proinde illam distinctionem esse confictam: sed esto quod Ius nouum Episcopo non constituatur, sed vetus renouetur, non propterea illa facultate carent Abbates & Generales, cum iure antiquo illa potirentur per exemptionem, & alia priuilegia, quibus diximus in tract. de Hierar. Eccles. & alibi omnem facultatem Episcopalem in Regulares suæ diœcesis, imò & maiorem illis esse concessam, erga suos subditos, & sicut Episcopus vbi Tridentinum non viget, illa potitur extra synodum vt tenet Diana tract. 14. de celebrat. Missar. resolut. 3. sic dicti Abbates & Generales: nec non etiam Prouinciales, cum illo antiquo iure in suis Prouinciis polleant, quo Generales in toto Ordine, vt citatis locis ostendimus: Vtrum autem ex vi Tridentini, Prouinciales simili gaudeant facultate, vt extra Capitula Prouincilia possint remittere maiorem numerum Missarum. Respondetur quòd possunt, licet nullam de illis faciat mentionem, nam si ad mentem Tridentini attendatur, quæ conscientijs Regularium prouidere voluit, ad quàm Congregatio Cardinalium attendit, cum vt suprà declarauerit Religiosos in suis Capitulis Prouincialibus id posse, similiter dicendum erit,

hac pollere facultate extra sua Capitula Prouincialia, nam illa cōditio Capitulorum Prouincialium adiecta non ita vitiat actum, vt factus non valeat, sicut suprà diximus de facultate Generalium.

Nec obstat quod Prouinciales non etiam exprimantur in dicto decreto Cardinalium; nam cum emanauerit conformiter ad decretum Tridentini, & illud exprimat Generales tamquam Capita in suis generalibus Capitulis, tacitè innuit similiter intelligendum de capitibus Capitulorum Prouincialium, videlicet Prouincialibus.

Dices in multis Capitulis Prouincialibus non intersunt Prouinciales tamquam capita, sed aut Generales, aut Commissarij generales, ac proinde de illa facultate nō pollere. Respondetur quod licet in Capitulis Prouincialibus Minorum de Obseruantia Prouinciales non præsint, in pluribus alijs Prouinciales præsident, præcipuè apud Minores Capucinos, ac proinde cū illa potiantur facultate, cæteros, qui Capitulis Prouincialibus non præsident, illa per communicationem similiter gaudere: fateor equidem me neminem legisse, qui de Prouincialibus specificè sic censerit, quocirca meliori iudicio hanc meam sententiam, quam valdè probabilem arbitror, subijcio.

Hic sub finem aduerte 1. quod propositio iuxta Nauarr. lib. 5. Concil. tit de priuileg. Consil. 3. Naldum in summa verb. Missa, Posseuin. de offic. curati cap. 2. n. 15. q. 9. Garsiam de benef. tom. 2. parte 7. cap. 132. & alios, non solum se extendit ad illos Generales qui erant tempore Trident. nec ad Missas preteritas ante idem Conci. commendatas: sed etiam ad illos, & ad omnes Generales futuros: & ad omnes Missas præteritas, & futuras, quia verba Conci. cum sint absoluta & sine restrictione ad certum aliquod tempus, sine limitatione intelligenda, & interpretanda sunt, quidquid in contrarium faciat decretum Cong. Cardin. à quibusdam Doctoribus adductum, quod tanti ponderis non est, vt Concilio præualeat, quod similiter de alio decreto eiusdem Cong. est sentiendum, quo declaratum est dispositionem Concilij, non extendi ad Missas impositas beneficijs, aut capellanijs in fundatione; nam verba Concilij vniuersaliter & absolutè de omnibus missis loquuntur, vt tenet Miranda citatus.

Aduerte quod per illa verba decreti Trident. videlicet: *ita tamen vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt,* non debet intelligi quod in singulis missis, & orationibus debeat fieri commemoratio illorum defunctorum, cum dictio *semper* non referatur neque ad tempus neque ad diem: sed debeat intelligi semper singulis missis, quas iure reductionis celebrari contigerit; satisfit autem per intentionem applicationis Missarum, per preces, quæ offeruntur in secundo Memento, & per collectas fieri possunt, & ita illa verba Concilij præcitata interpretata est Congregatio Cardinalium ex relatione Barbosæ in illud decretum.

PROPOSITIO IX.

PRælati generales possunt dispensando facere, vt subditi Regulares satisfacere queant pluribus missis debitis per vnam Missam additis in ea tot commemorationibus, quot Missæ debitæ erant dicendæ: possuntque suam facultatem ad id faciendum alijs committere.

Hæc propositio quoad 1. partem sic displicet multis Doctoribus, vt dixerint penitus abstinendum esse à priuilegio in ea posito. Verum nescio quomodo consequenter loquantur, nam si Generales possunt ex priuilegio maiorem Missarum numerum ad minorem numerum reducere; cur non poterunt ex alio priuilegio illud quod in nostra propositione continetur; cum extet priuilegium Leonis X. concess. fratribus Minimis Bulla *exposcit dilectorum* extensum postea ad Carmelitas à Clem. VII B. *Ex Clementi sedis* quod huius tenoris est *de cætero perpetuis futuris temporibus possint in vna Missa facere commemorationes nouem, quæ satisfacient ex Apostolica vi, po-*

nitus exonerentur à promissionibus, & fidelibus tantopere suffragentur; ac si diversis diebus integraliter Missas impositas sigillatim celebrassent: Quid clariùs?

Obijciunt aliqui Doctores aduersus hoc priuilegium, quod aduersus aliud simile inferiùs citandum obiecerunt, videlicet esse subrepticiè impetratum; sed peto vnde constare potest quod sit tale? Dices 1. quoniam iniustum est, facit enim contra legem naturalem, quæ decernit vt stetur promissis, & fidelium voluntates adimpleantur. Respondetur in his, quæ solum forum respiciunt, vt sunt hæc de quibus agimus. Pontificem habere sibi subiectas fidelium voluntates, posseque illas iusta de causa licitè mutare, quod infinitis ferè exemplis videmus, vt cum irritat vota, beneficia Regularibus tradita secularibus confert, & vice versa, cum beneficia in bona temporalia à viris laicis sæcularibus gaudenda transmutat &c. cùm condonat redditus beneficiorum à laïcis iniustè perceptorum, & alia similia agit, quibus voluntates fidelium mutantur; nec propterea Pontifex de iniustitia est dammandus; quoniam cùm fideles in his sint subditi Pontifici, dependenter ab eius imperio & dispositione Missas huiusmodi à Regularibus dicendas offerunt.

Dices 2. hoc priuilegium scandalum fidelibus generare, cùm videant se suis pijs voluntatibus priuari; ac ex consequenti auertere sæculares à voluntate donandi eleemosynas pro missis in sui intentionem celebrandis. Respondetur nequaquam hoc priuilegium scandalum parere; quoniam rarò Generales illo vtuntur: non enim audiui quòd in Religione Minorum illius vsus vsquam fuerit, & credo quòd in alijs Ordinibus, illius vsus, si fuit, rarissimus extitit, ipseque ex graui causa, quæ sicut in similibus aufert occasionem scandali, sic in vsu huius priuilegij: qui etiam non retrahit sæculares ab illo opere bono peragendo, cum æqualiter per illas commemorationes fidelibus satisfiat; ac si tot Missę, quot commemorationes dicerentur, Papa supplente defectum per thesaurum Ecclesiæ, cuius dispensatio ad ipsum spectat.

Ex quibus satis apertè patet 1. hoc priuilegium valere quod etiam censet Nauar. l. 5. Consil. tit. de priuileg. Consil. 3. & Confectius in Summario tit. 19. c. 3. Roder. tom. 1. q. 43. Bartholom. de Angelis in exam. Confess. dial. 5. §. 164. Fraxinell. de Sacerd. obligat. sect. 7. §. 9. additque Confectius ex priuil. Iulij II. & Leon. X. id posse Generales, etiamsi specialiter de Sanctis, vel de Requiem dicendæ essent.

Secundò valere non solum pro missis receptis: verum etiam pro recipiendis; cùm verba priuilegij sint absoluta; & abstrahant à differentijs temporis, vt consideranti patebit: quod confirmatur ex verbis, quæ præfati priuilegij verba præcedunt, in quibus expresè habentur, vt *commemorationes dictæ suffragentur fidelibus, qui dederunt Eleemosynas pro missis dicendis, vel quos in posterum dare contigerit.* Deinde subiungit *vt Generalis dispenset promissis dicendis &c. iuxta tenorem prohabitum &c.*

Colligitur 3. ex præmissis, quid dicendum sit de simili priuilegio in frattum Minorum fauorem à Leone X. B. edito videlicet. *Quando dantur parue eleemosynæ infra valorem vnius Iulij seu 5. aut sex assium ad celebrandam vnam Missam, & tot sunt huiusmodi parua eleemosyna, vt fratres non possint tot Missas dicere, tunc possunt reducere omnes illas Missas ad certum numerum, ita vt pro qualibet vnus Iulius correspondeat, & sic commemorationem benefactorum in genere faciendo suæ conscientiæ satisfaciant.* Dicendum igitur hoc priuilegium valere: nec video cur Doctores, de quibus in principio huius propositionis, ab illo abstinendum esse existiment. Nec cur Congregatio Cardinalium similiter abstinendum censuerit, cuius decretum legem non facit.

Secunda propositionis pars, videlicet quod Generales possint suos subditos ad supra positam dispensationem faciendam committere, probatur 1. quia hęc gratia facta est potissimum Ordinibus Regularibus, deindè persona Generalis tamquam prima, per quam ad alia sui Ordinis membra, ad eam posteà influendam, diffundi debet, qui autem per alium facit per seipsum facere videtur.

Secundò quia omnis potestas ordinaria est delegabilis, hæc autem est ordinaria vt potè in perpetuum concessa, & officio perpetuo annexa. Nec obijcias quòd hæc potestas est extraordinaria; nam licet ita se habeat sitque potestas delegata; est tamen sub delegabilis potestas delegata; quando datur à supremo principe delegatis ad vniuersitatem causarum, cuiusmodi est hæc, quæ à Papa concessa est in vsum reducenda, iuxta vsum potestatis cuiuslibet Generalis vt constat ex c. Fin. de offic. de-

leg. & ex c. *Cùm causam* de appellat. Non obijcias 2. electam fuisse personæ, personam industriam, & iudicium; nam respondebitur non ita esse, quando eligitur persona incognita & indeterminata; nisi per qualitatem futuram sicut in hoc priuilegio, vt docent Syluester verb. delegatus q. 8. Parasell. in Compend. Minim. c. 14. Ludouic. Lopez 1. part. inst. cap. 284.

Ex quibus patet, quod Generales possunt hanc facultatem fratribus subditis committere, vt de facto committunt suis Commissarijs, seu Visitatoribus in Prouincias mittunt eum potestate vniuersali ad omnes causas, qui ac etiam, Generales hoc priuilegio; nisi rarò vti debent, & cum hac conditione, vt præter prædictas commemorationes pia opera subditorum applicent pro rata necessitatis, cuiusque missas commendantis.

PROPOSITIO X.

Regulares possunt admittere in suis Ecclesiis quoscumque seculares Missas celebrare volentes: dummodo non fuerint vinculo excommunicationis ligati: nullusque ex quauis causa publica vel priuata ipsis inuitis in eisdem celebrare potest.

Propositionem hanc quoad primam partem nemo negabit, qui legerit Concil. generale Lateranense sub Leone X. celebratum, in quo hoc decretum habetur expresè; & in Compend. Christoph. à cap. Font. verb. Missa 1. §. 8. qui est huius sententiæ: quo circa illi Ordinarij, qui prohibent, ne huiusmodi sacerdotes Missas celebrent in Ecclesiis Regularium, & prohibent Regularibus, ne illos ad Missas celebrandas recipiant, faciunt contra decretum Concil. Generalis Lateranensis.

Secunda propositionis pars est veritas Iuris veteris inserti, tum cap. 3. 18. q. 2. his verbis. *Abbatem cuilibet Monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actibus Monastica disciplina communi consensu Congregatio tota poposcerit, ordinari volumus, Missas autem publicas per Episcopum vel Clericos in Monasterio fieri omninò prohibemus:* tum etiam c. 6. eiusdem causæ & quæstionis proximè citatæ, in quo Greg. IX. Illius Auctor, sicut & præcedentis Capitis scribens Castorio Ariminiensi Episcopo sic fatur. *Luminoso. Abbates referente plurimis in Monasterijs multa à Præsulibus praiudicia atque grauamina monachos pertulisse cognouerimus, oportet ergo vt tua fraternitatis prouisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione: quatenus conuersantes in illis in Deo seruitio gratia ipsius suffragante mente libera perseuerent Missas quoque publicas in cœnobijs fieri omninò prohibemus: ne in seruorum Dei recessibus & in eorum receptaculis vlla popularis conuentus prabeatur occasio, vel mulierum fiat illis introitus, quia non expedit animabus eorum, nec audeat ibi Cathedram collocare Episcopus, seu quacumque alia dignitate præditus aut potestate, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam Ordinationem quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, vt remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus Diuinum opus cum summa deuotionem nimi perficiant:* huic Pontifici post tres alios succedens Clem. IV. eamdem concessionem specialiter fecit Minoritis, quę referrur in mari Magno eorumdem Minorum his verbis: *districtius inhibemus, vt nulli Religiosi, vel seculares vobis inuitis aliquorum corpora defunctorum in vestris cameterijs sepelire aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur ibidem exequias celebrare sine vestro assensu, & voluntate præsumant. Hæc Clem.*

Illi Canones, & iura erant in viridi Obseruantia tempora Eugenij IV. qui vt striciùs apud Monachos Cassinenses, seu Congregationis Italiæ seruarentur excommunicationem latæ sententiæ per Bullam *etsi ex debita*, contrauenientibus adiecit, vt refertur in Compend. priuilegiorum Mendic. verb. exemptio post §. 26. & in Compend. priuileg. Fuliensium eodem verbo his terminis. *Ne: Congregationis persona huiusmodi quod in eorum locis Missa, aut alia Diuina officia celebrentur, Ordines conferantur, processiones conuocentur astringi sed cogi aliqualiter valeant, contra qua omnia vel*

aliquod

aliquod prædictorum quauis persona cuiuscumque conditionis aut status, existat attentare præsumens, nisi facta ei de huiusmodi indulto notitia, destiterit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: sic Eugenius.

Post quem Xitus IV. Ius illud antiquum quoad exequiarum celebrationem à Greg. IX. ante dicto, Innoc. IV. Clem. IV. Nicol. IV. & V. prędicto Eugen. IV. Alexan. IV. Ioanne XXII. Callist. II. Pio II. Paulo II. Bonifac. VIII. emanatum, innouans, & confirmans sic pronunciat: *districtius inhibendo vt nulli Religiosi vel sæculares Mendicantibus inuitis aliquorum corpora defunctorum in eorum Cæmeterijs sepelire, aut in Ecclesiis eorum Missarum solemnia; vel pro animabus ipsorum qui ad loca eorum tumulandi fuerint, ibique exequias celebrare, sine dictorum Religiosorum assensu & voluntate præsumant*, quod antea paucis verbis prædictus Clemens V. sibi minimè contrarius in fauorem Minorum decreuerat: *prohibendo ne quis in Ecclesiis fratrum Minorum solemnia, vel pro animabus eorum qui ad loca eorum tumulandi deferuntur ibidem exequias celebrare sine eorumdem fratrum assensu & voluntate*: vt habetur in lib. monum. Ordin. quibus succedens Iulius II. in fauorem Minim. sic pronunciat: *districtius inhibentes vt nulli Relig. vel sæculares vobis inuitis aliquorum corpora defunctorum in vestris Eccl. sepelire, aut in Eccl. vestris Miss. solemnia vel pro animabus eorum qui ad loca vestra tumulandi feruntur ibidem exequias celebrare sine vestro assensu aut voluntate præsumant*, quod etiam postea Pius V. Bulla quæ incipit: *etsi Mendicantium* pro omnibus Regul. Mendicantibus constituit his verbis, *mandantes etiam vniuersis locorum Ordinarijs ne mortuorum Officia agere rectores Parrochialium in Eccl. ipsorum Fratrum contra ius illorum permittant.* Estque vsus conformis illis Canonibus, & constitutionibus vt Congregatio Cardin. Concil. Trident. interpretum in c. 13. §. 25. *Sapiùs censuit, quoties cadauera defunctorum ad Ecclesias fratrum mendicantium deferuntur offic. mortuorum ac reliqua quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis neque à Clero, sed à fratribus obiri, ac peragi debere.*

Possent hic adduci plures Parlamentorum Galliæ supra prædicta materia sententiæ, sed vna pro omnibus sufficiet, quæ est Parlamenti Parisiensis, vt ostendatur illud exemptionis Ius in Regularium possessione existere, emanata in causa inter parrochum Ecclesiæ S. Pauli, & fratres Minimos ciuitatis Parisiensis de anno 1646. mense verò 27. Martij: ac sic decisum pluries in Sacra Congregatione rituum, nonobstante quauis consuetudine etiam immemorabili allegata, refert, & tenet Barbosa de offic. & potest. parrochi part. 3. cap. 26. §. 82. sic etiam priuilegiorum compilatores verb. exemptio. Portel. eodem verb. n. 3. in addit. Roder. tom. 3. q. 4. art. 1.

Nec obijciendam Clementinam *Archiepiscopo* de priuileg. in qua à Concilio generali Viennensi datur ea facultas Archiepiscopis & Episcopis: Nec etiam obijciendum quod Leo X. in Concil. Lateran. illud priuilegium reuocauerit: *statuendo quod tam Prælati Ecclesiastici, quàm presbyteri sæculares Missas in Ecclesijs quorumlibet fratrum deuotionis causa celebrare volentes celebrare possint, ipsique fratres tales celebrare volentes libenter recipere debeant*: quoniam postea priuilegia Regularium ex certa scientia per sedem Apostolicam confirmata fuerunt cum Clausula derogatoria decretorum in dicto Concil. editorum, præfatis priuilegiis aduersantium, vt in tractatu de priuilegijs in communi diximus: & probauimus. Superest nunc difficultas soluenda, num sub hac propositione etiam Curati primitiui comprehendantur? quapropter sequens propositio ponitur, licet ex hac propositione, quę vniuersalis est, sufficienter videatur probata.

PROPOSITIO XI.

CVrati primitiui nuncupati quacumque fulgeant dignitate Missas etiam causa processionis publicæ, vel defuncti tumulati, vel tumulandi celebrare & alia Diuina officia obire non possunt in Ecclesiis Regularium ipsis inuitis, licet dictæ Ecclesiæ in suis territoriis, seu districtu suarum Parrochiarum sitæ sint.

Antequam hæc veritas probetur supponendũ 1. Curati nomen tripliciter sumitur. 1. pro simplici Curato seu Rectore; aut Parocho alicuius Patrochiæ, in qua vt Ordinarius Prælatus habet facultatẽ illã regendi, & in eadem sacramenta administrandi.

Secundò pro Vicario perpetuo, qui nomine tantùm differt à primo dicto Curato, & relatione ad alium cuius respectu Vicarius nominatur, qui tamen de grege commisso respondere Rectori primitiuo seu principali non tenetur: quique Eccl. cuius est titularis verè sponsus est, habetque administrationem auctoritate Iuris sicut proprius Curatus, quo mortuo Ecclesiæ illa vidua est.

Tertiò pro Curato primitiuo, qui ita nuncupatur, quia potitur iure præsentationis, seu nominationis Vicarij perpetui prædicti, & percipiendi dicimas &c. differt tamen à Curato primo modo sumpto, & à Vicario perpetuo ex eo quod non est Ordinarius ad munia Patrochialia in Patrochia sui Vicarij perpetui obeunda, in qua nec prædicare, nec sacramenta ministrare, aut aliquid aliud facere valet, nisi id ei à Vicario perpetuo, aut Episcopi consensu tempore erectionis illius Ecclesię in Vicariam perpetuam datum fuerit, vt docet Abbas in cap. *Extirpandæ* §. qui verò n.15. vers. *ex quo sequitur* de præbend. Vitalis in Clem. vnicam. n. 24. & 28. vers. *licet* Guilhelmus de offic. Vicarij, & Probus ad Ioan. Monach. in c. *Super eo* n. 19. & 20. de præbend. in 6. vnde sequitur Curatum primitiuum non habere nomen Curati nisi originaliter & in habitu.

Supponendum 2. quòd ex eo quòd quis est Curatus primitiuus non habet ius Diuina faciendi in Ecclesiis sui territorij, vt tenet Innoc. IV. in cap. *Cum venerabilis*, de exceptionibus in cap. *Cum dilectus* de consuet. Manuf. in cap. *Certificari* de sepult. Laudunensis cap. *Plures* 16. q. 1. & Cardin. Zabarella in cap. *Ad audientiam* de Ecclesiis ædificandis afferentes expressis terminis: *nullo iure expressum, quid Capellæ debeant matricibus, & quod Ecclesia matrix non habet Ius in Capellis determinatum*: quid autem per Capellas prędicti auctores intelligant, certum est illos intelligere omnes Eccl. non matrices ædificatas intra principalis Eccl. terminos ex c. *Coram* cùm Glosa de officio delegati, potest tamen Ius Patronatus illarum Capellarum, aut aliud Ius honorificum prætendere; si fundum illarum dedit, aut illas bonis suis dotauit, dummodo illud Ius sibi ex approbatione Episcopi reseruauerit. *Nota tamen ait Zabarella, quod Ecclesiæ matrici non competit Ius ex eo, quia Capella sit in sua Parrochia: sed competit Ecclesiæ matrici, quia de redditibus eius Capella dotatur*: quòd Ius, vt idem met Auctor docet, probari debet non consuetudine, etiamsi diuturna; sed titulo: *quia consuetudo Eccl. onerosa non valet* c. 1. de consuet. &c. *in domibus* de immunit. Ecclesi.

Supponendum 3. veteres Regulares seu Monachos nusquam fuisse Parrocho seu Curato etiam primitiuo subditos, licet primis temporibus omnes simul cum populo ad publicum templum conuolarent, quod probat Seueri Sulpicij testimonium dialog. 1. cap. 4. qui narrat S. Hieronimum Bethleem commorantem: *eius loci Ecclesiam tenuisse; nam Parrochia*, inquit Seuerus *est Episcopi qui Hierosolimam tenet*: ex quibus videre est Ecclesiam tenere Hieronymum, Parrochiam verò Episcopum, non igitur omnis Ecclesia parrochia est, habet igitur monasterium Hieronymi Ecclesiam suam ab vrbis Parrochia distinctam, in qua percipere valet eum sibi subditis sacramenta independenter ab alia, quæ Episcopi est, & non Hieronymi, sicut & Ecclesia Hieronymi quæ non est Episcopi, quæ omnia Sancti Patres Hieronymus ipse & Epiphanius, apud Hieron. Epist. 60. & 61. quibus cum Ioanne Hierosolimitano de Pauliniani ordinatione controuersia est, apertè declarant: *in Monasterio, inquit Epiphanius, fratrum, & fratrum peregrinorum, qui Prouinciæ tuæ nihil deberent*, hoc est qui tibi subditi non essent: *& infra cùm vidissent quod multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti presbyteri Hieronymus, & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sacrificia, vnde molestiam illud oriebatur, vt in monasterio Missæ non celebrarentur, Paulinianum id oneris refugientem comprehendi iussi, & inuerum licet, reluctantem Ordinari diaconum, atque presbyterum in Monasterio, & non in Parochia, quæ tibi subiecta sit. Post hac scripsimus ad sanctos presbyteros monastery, & cæteros fratres, & eos increpauimus, quare non scripsissent super eo, cum ante annum, multos eorum queri audissent, cur non haberent, sibi Domini sacramenta conficerent, & illum suo omnes possent testimonio, & grandem*

vtilitatem in commune monasterij testarentur. Et hæc de præsbytero monasterij S. Epiphanius, de præsbyteris autem parrochiæ Bethlemitiræ sanctus Hieronymus sic loquitur. *Ante paucos menses circa diem Pentecost. quadraginta diuersæ ætatis, & sexus præsbyteris obtulimus baptizandos, præcepisti Bethleem præsbyteris tuis, ne competentibus nostris in Pascha baptismum traderent. Mandas Clericis tuis, vt si quis Paulinianum ab Epiphanio Episcopo consecratum, præsbyterum dixit, Ecclesiam prohibeatur intrare. Ecclesiam scindere dicimur, qui extra cellulas nostras, locum Ecclesia non habemus, hoc est qui extra monasterium nostrum in publica, & parrochiali Ecclesia, quæ tua est, nullum designatum habemus locum, tamquam extranei, in quo consistamus:* quibus ipso meridie clariùs patet, & Ecclesiæ monasterij ab vrbana parrochia distinctio: & præsbyterorum Paræcialis, monasticæque Ecclesiæ separatio, & incruenti sacrificij in Ecclesia visitata celebratio: & ipsius monasterij immunitas ab Episcopi Hyerosolimitani, multo magis ab inferiorum præsbyterorum iurisdictione. Imò tantùm abest quod fuerint Parrocho subditi: quin immo illi prohibitum fuit in Abbatem monasterij sicut & cæteris Clericis præfici, sic enim scribit Greg. lib. 7. Epist. 18. indict. 1. & lib. 3. Epist. 11. indict. 12. ad Maximinianum Syracusanum. *Presbyteros, diacones cæterosque cuiuslibet Ordinis clericos, qui in Ecclesijs quoquomodo militant, Abbates per monasteria esse non permittas, satis enim incongruum est si cum vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque indicetur idoneus: sicque inuicem & Ecclesiasticus ordo vitæ monasticæ, & Ecclesiasticis vtilitatibus regula monachatus impediatur.*

His prænotatis propositio nostra, quæ satis vt diximus, probata videtur, cùm specialis veritas sub vniuersali contineatur, distinctiùs & expressius iam probatur hoc distinctiuo argumento prohibetur, nam vel Curati primitiui possent officia Diuina huiusmodi in Eccl. Regul. celebrare, quatenus sacerdotes, aut Prælati, vel quatenus Curati, quibus Regulares sunt subditi, vel quatenus Curati primitiui, vel quia concedentes fundum aut dotantes sibi hoc Ius reseruarint: vel denique ex contractu & pacto inter dictos primitiuos Curatos de illo iure conuentum est, sed nullo istorum modorum illa officia inuitis Regularibus exercere possunt: ergo nullo modo: non quatenus sacerdotes & Prælati; quoniam in propositione præcedenti ostensum est id illis prohibitum; nec quatenus Regularibus præpositi, quoniam ostensum est Regulares nusquam subditos illis fuisse, nec etiam quatenus Curati primitiui; quoniam probatum est illo iure, vt tales non potiri: nec quatenus fundum Ecclesiarum illarum tradiderunt, vt ex 2. supposito constat; nec vltimo ratione dotis aut bonorum simpliciter dictis Ecclesiis Regularibus à primitiuis curatis concessorum; quoniam vt supra etiam dictum est, illud Ius per huiusmodi bona, & dotem non acquiritur; superest ergo examinare si ratione contractus, aut pacti, ob dotem & bona prædicta innixi, hoc iure potiantur, cùm ille solus modus supersit.

Et in aditu suppono Regulares de iure communi secluso priuilegio obligari ad seruanda pacta licita in ita cum Curatis primitiuis: aut alijs Ecclesiasticis, qui ante monasteriorum seu conuentuum ædificationem iure territorij illius loci potiebantur, in quo illorum Ecclesiæ sunt fundatæ, verum, vt dictos Regulares ligent, requiritur.

Primò vt illa pacta inita sint à limine fundationis Ecclesiæ c. *Eleutherius* 18. q. 2. & cap. *Scientes* de censibus, quod si forent inita post dictam Ecclesiam fundatam, à iure nulla declarantur, vt habetur cap. *Prohibemus*, &c. *significauit* & cap. *Granis* eod. Tit.

Secundò pacta huiusmodi iniri debent inter duos aut plures in idem placitum consentientes ad dandum, vel faciendum aliquid alteri ab altero eorum, & vnus, vel plures illorum promittat, & alter, vel alij promissum acceptent; alioquin illa pacta simplices promissiones existerent iuxta iurisconsultos in leg. 1. §. 1. ff. de pactis, quibus ius Canonicum addit quod pacta huiusmodi debent autenticè scribi ad probationem eorumdem pactorum: sic Glosa in cap. *pactum* de verbor. significat.

Tertiò requiritur vt dicta pacta ineantur à Prioribus seu Guardianis de suorum conuentuum concilio & assensu cap. *quia ex eo* de pactis in 6. & Concil. Lateranense

sub Alexan. III. in tit. de Pactionibus licitis & illicitis in rebus Ecclesiasticis decreuit quod facienda erant: *per Abb. vel Priorem cum litteris ratihabitationis conuentus*, id est, cùm consensu, aut procuratione expressa omnium Regularium monasterij, seu conuentus illius, quorum Abbates, Priores, aut Guardiani, cum Episcopis, Curatis primitiuis & alijs Ecclesiasticis pacta inirent.

Quartò requiritur, vt contractus, & pacta huiusmodi sint rerum à promittente possibilium, legibus Ecclesiæ non repugnantium, nec professioni promittentis contraria: nec rerum, quæ tertiò præiudicium inferant, præcipuè in ijs, quæ bonos mores respiciunt, fidem publicam, & salutem animarum. *Pacta enim legitima quæ neque dolo malo, neque aduersus leges facta sunt seruabo*: inquit Prætor ff. de pactis iuris gentium §. ait Prætor & c. vlt. de pactis lib. 6.

Quintò vt pacta huiusmodi stabilia sint, necessum est, vt ante priuilegia aut exemptiones Regularium, qui hæc pacta ineunt à Papa per sententiam, aut confirmationem fuerint ratificata, iuxta id quod notat Cardinalis Monachus in Clem. *dudum* de sepult. §. pacta, conformiter ad Concil. Lateran. de pactionibus. *Pactio à prædecessore facta non ligat, nisi auctoritate summi Pontificis fuerit confirmata*: cuius confirmationis seu ratificationis defectu, vniuersa priuilegia, necnon consuetudines, conuentiones, statuta & pacta verbo, seu scripto sub quacumque forma vel expressione seu conceptione verborum à Bonifac. VIII. in extrau. *Super Cathedram* fuerunt *cassa vel vacua & irrita declarata: ac nullum prorsus existere firmitatis*: quæ extrauagans recepta & publicata extitit in Concil. Vienn. *Sacro approbante Concilio* Clementina *dudum* de sepult.

Ex quibus colligitur Regulares teneri secluso exemptionis priuilegio seruare pacta inita cum Episcopis Curatis primitiuis; & alijs Ecclesiasticis, adhibitis tamen illis conditionibus, & non aliter.

Nunc examinandum sic exemptionis priuilegio gaudentes illis pactis teneantur, quod duobus modis potest intelligi. 1. si Regul. post priuilegia exemptionis ad pacta facta in limine fundationis, teneantur. 2. si post pacta inita in limine fundationis, acquirant priuilegium exemptionis, teneantur ad illa. Quoad primum modum certum est non valere illa pacta; quoniam vt probatum est in tract. de priuileg. in communi, Regulares non possunt per quælibet pacta renunciare priuilegiis, quia non sunt Ius illorum propriè, sed Pontificis: renunciarent autem si in vi huiusmodi contractuum Curati primitiui iure exercendi diuina in Ecclesiis Regularium potirentur.

Quoad verò 2. maior est difficultas, verum ratione sequenti prorsus tolletur; quoniam non maior est ratio cur Curati primitiui illo iure gaudeant post exemptionis priuilegium adeptum, quam Episcopi: at illo priuilegio exemptionis impetrato, eo iure non gaudent, licet antea ex iure Canonico illo plenissimè potirentur; ergo nec Curati primitiui. Maior huius argumenti probatur, ex eo quod potiori, imò eminentiori titulo Episcopi, vt tales, secluso dicto priuilegio, in Regularium Ecclesiis prædicta munia obire possunt, cum illorum dignitas & iurisdictio in Regulares acquisita, & ratione sui territorij, & voti interdictorum Episcoporum manus emissi sit maior & eminentior; sintque Prælati legitimi tum dictorum Regularium, tum etiam Curatorum primitiuorum; nisi aliundè, priuilegio videlicet, eximantur.

Quod autem Episcopi non possint munia prædicta exercere in Regularium Ecclesiis, illud exemptionis priuilegio vetante, probatum est superius; ergo & similiter Curati primitiui illa exercere non valent.

Adiunge huic rationi quod Episcopi & Curati primitiui non possunt plus petere ab Ecclesiis, qui in suis territorijs sitæ sunt, quam quod ex sacris Canonibus sibi deberi probant, vt constat cap. *Conquestus* & cap. *quia cognouimus* 9. q. 3. & cap. *Hoc tantum* 18. q. 1. sed hoc Ius diuina faciendi in Regularium Ecclesiis per Canones illis non conceditur, imò & prohibetur; ergo illud Ius minimè petere possunt.

Nec obiiciendum 1. quod in contractibus & pactis huiusmodi, Curatorum primitiuorum cum Regularibus apponitur clausula renunciationis futuræ super his impetrationis priuilegiis exemptionis, quoniam *nemo beneficio, quod nondum habet, renunciare potest, sicut nec hæreditati nondum delatæ*: ff. de acquir. hæred. l. qui superstitis,

& Glosa in cap. *si Episcopus* de præbend. accedit quod illa obligatio, quæ in dictis Regularibus occasione illorum huiusmodi pactorum cum dicta clausula, oritur à iurisdictione spirituali concessa primitiuis Curatis à sede Apostolica, quæ conditionem annexam habet, videlicet, quod illo iure in dictis Ecclesiis Parrochi primitiui potientur, donec dicta sedes, à qua omnis iurisdictio spiritualis pendet, sicut alibi probatum fuit, reuocauerit, vt etiam similiter diximus de iurisdictione Episcoporum in huius tractatus principio: constat autem quod quoad hæc munia, sicut & quoad cætera per generalia, & per particularia exemptionis priuilegia, antea memorata huiusmodi iurisdictionem spiritualem in Regulares à primitiuis Curatis sicut ab Episcopis & cæteris Ecclesiasticis dicta sedes subtraxerit; ergo cum sublato fundamento, omnia quæ eidem innituntur penitus ruere, nelliciri que roboris existere necesse sit, id similiter de dictis contractibus & pactis, quæ in iurisdictione spirituali fundantur omninò sentiendum erit.

Nec obiiciendum 2. dicta priuilegia exemptionis non fuisse dictis Parrochis & aliis quorum inter est intimata, quia vltra quod credendum sit antiquitus id factum fuisse cum *in antiquis omnia præsumantur solemniter acta*: illam intimationem ad effectum validitatis priuilegiorum non esse necessariam probauerimus in 1. tract. de priuileg. in communi: sed sufficere quod suo tempore illis intimata sint, videlicet eo tempore, quo à dictis Parrochis primitiuis super dictis priuilegiis impugnantur. Accedit quod iam cessat omnis illa ratio intimationis cum in proximè dicto tract. probatum fuerit priuilegia Regularium esse recepta, & in praxim redacta: ac esse veluti Ius commune quod ignorari minime putandum est.

Nec opponendum 3. vsum & consuetudinem contrariam: videmus enim Capitula Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, nec non Abbates commendatarios in publicis processionibus in Ecclesiis Regularium sui territorij diuina officia celebrare: sicut etiam & Episcopos; quoniam vt in hac propositione dictum est, illa consuetudo est Ecclesiis Regularibus onerosa, quæ propterea non valet, cumque etiam existat contraria exemptioni Pontificiæ, non potest contra illam præscribere, hoc enim habet illa exemptio: sicut & cætera Apostolica priuilegia Regularibus concessa, vt nullo vsu, consuetudine & præscriptione abrogari possint. Et posito quod Regulares non potirentur priuilegio impediente consuetudinem attamen vt talis consuetudo abroget priuilegium, necesse est 1. vt dentur actus quàm plurimi & vniformes; cùm si sint difformes frustrà prætendatur consuetudo, vt notant Canonistæ in cap. fin. de consuet. & Iuris periti in l. de quibus ff. de legibus. vnde Bald. in idem cap. n. 30. dicit: *quod proferre duas vices, est proferre exempla, non mores.*

Secundò oportet vt illi actus sint rationabiles, quoniam ratio est forma substantialis consuetudinis vt docet Petrus de Rauenna tract. de consuet. n. 107. difficile autem admodum est rationem exhibere ad huiusmodi consuetudinem, maximè si sit aduersus priuilegium in iure communi insertum.

Tertiò quod ille qui consuetudinem aduersus priuilegium maximè si sit in iure communi insertum inducit, potestate condendi leges pollere debet. *Quia inducere consuetudinem, non secus ac legem condere est iurisdictionis; exigitur ergo in inducente potestas legis condendæ*: docet Butr. in dict. cap. n. 39. Bart. Consil. 136. n. 2. & 3. dub. 1. Aym. de antiq. temp. Sect. 1. part. 4. Vnde etiamsi huiusmodi primitiui Curati, ac etiam Episcopi processiones & Missas & cætera huiusmodi celebrandi ac etiam Cathedram Pontificalem in Ecclesia exempta ponendi, consuetudine ex centum aut mille annis gauderent, debet hoc censeri factum humanitatis intuitu, quæ consuetudinem non inducet huiusmodi priuilegium abrogantem cap. *si Episcopus* 16. q. 3. Possentque Regulares etiam post mille annos continuos illius consuetudinis Episcopis, & Curatis primitiuis huiusmodi præmemoratarum functionum Ecclesiasticarum exercitium denegare, vt optimè docet Lopp. de re benefic. l. q. 24. n. 251. & sequent. vbi sic fatur. *Talis consensus semper censebitur præstitus per modum precarij iuxta terminos textus in Canone luminoso, procedit enim præsumptio cum sua causa leg. cum in testamento de reb. dub. nec præiudicabitur exempto, etiamsi ibi habuerit tribunal Episcopus per mille annos l. voluntaria 6. de excusat. tut.*

Ex quibus patet hæc priuilegia & alia similia non esse per consuetudinem abro-

gata; cum conditiones ad illa abroganda requisitæ deficiant in pluribus Ecclesiis, Regularium, in quibus huiusmodi consuetudo ab Episcopis & Curatis introducta reperitur.

Nec valet denique obijcere sententiam Senatus supremi Burdigalensis in causa mota à scindico Capituli Cathedralis Ecclesiæ S. Andreæ eiusdem ciuitatis aduersus fratres Carmelitas etiam eiusdem ciuitatis, circa Ius ad prædicta munia in Ecclesia dictorum fratrum per Canonicos præmemoratæ Cathedralis peragenda de anno 1646. die Iunij 19. quæ sic habet. *Senatus conseruat scindicum Capituli Sancti Andreæ in possessione & iure celebrandi diuina in Ecclesia dictorum Carmelitarum in diebus Rogationum, & Sancti Rochi quibus Capitulum prædictum solet ex consuetudine processionaliter conuenire, & in omnibus alijs comitijs & processionibus publicis indictis ad conueniendum ad dictam Ecclesiam per Archiepiscopos huius ciuitatis, aut illis absentibus per eorumdem Vicarios Generales, vel sede vacante per Vicarios Generales Archiepiscopatus*, & post aliqua verba: *de reliquo quantùm ad alias conclusiones scindici dicti Capitulo Sancti Andreæ, postulantis pro dicto Capitulo libertatem Diuina faciendi, in dicta Ecclesia in funeribus personarum illustrium, dum ab hæredibus rogatum accederet, dictus Senatus illud ab hoc iure excludit.*

Respondetur 1. dictam sententiam partim esse in fauorem præmemoratæ exemptionis, partim esse illi aduersam: in fauorem est denegando absolutè dictis Canonicis facultatem omni tempore, & omni occasione præfata munia obeundi, at verò contraria dictæ exemptioni existere dictis Canonicis concedendo, vt eadem in præmissis festo comitiis, & processionibus publicis obire possint. Ratio autem præcipua, quæ augustissimum illum Senatum mouit ad sic pronunciandum ex mente illustrissimi Ponentis seu Exponentis illius causæ, fuit non Ius Capituli Ecclesiæ S. Andreæ, vt Curati primitiui parochiæ Sanctæ Eulaliæ, in qua sita est Ecclesia Carmelitarum, sed Ius totius Ecclesiæ Burdigalensis, quæ congregata potitur facultate sibi eligendi quamliber illius ciuitatis Ecclesiam ad ibi Diuina peragenda, cùmque dictum Capitulum absente Archiepiscopo primum locum inter Ecclesiasticos possideat, per vnum ex suis in dicta Ecclesia Carmelitarum, aut alijs etiam exemptis Ecclesiis ad eadem obeunda eligere potest. Verùm cum bona venia Augustissimi illius Senatus huic rationi respondere liceat; dicendo quod illa Ecclesia Burdigalensis constat ex Clero, populo, & Magnatibus eiusdem, & vt talis est Ecclesia particularis subdita Ecclesiæ Romanæ & Papæ: ac etiam regi sicut ergo Magnates populi nihil possunt in ea loca, quæ sunt Iuris regis scilicet à dictorum Magnatum iurisdictione exempta, nec ad eadem comitia & populi conuentus in dicere: sic nec illi Magnates nec etiam Archiepiscopus, ac totus Clerus possunt quidquam in Regularium Ecclesiis, vtpote ab eorum iurisdictione exemptis; ac ex consequenti nulla comitia aut processiones publicas indicere ad conueniendum in dictas Ecclesias, ibique Diuina per aliquem ex Canonicis facere celebrare, cum dictæ Ecclesiæ extra illorum territorium existant.

Respondetur 2. dictam sententiam fundari manifestè in possessione vt patet ex illius principio, quam ex pluribus actibus diuersis temporibus habitis legitimam pro illo iure penes Capitulum dictæ Cathedralis existere iudicauit, solent enim Senatus supremi sæpissime in simili materia non considerantes, si possessio habeat legitimum titulum, vel non plurimum possessioni deferre, vt alibi diximus quamuis multum varient eorum Senatuum circa materiam exemptionis sententiæ, imò aliquando vnus & idem Senatus in illa contrariè iudicat: vnde non ita standum illorum sententiis, vt faciant legem in causis hypoteticis huiusmodi; quinimò sententiæ eius naturæ sint, vt possint à Senatu melius informato corrigi: propterea prædicti Carmelitæ manifesto exemptionis iure muniti supplici libello ad dictum Senatum meliùs informandum recurrere; & contra possessionem dicti Capituli agere legitimè possent, & probare, quod nullo vnquam priuilegio hoc Ius primitiuis Curatis concessum fuerit: ac etiam quod consuetudo seu possessio dicti Capituli mera vsurpatio existat, atque ita iudicatum fuit per sententiam supremi Senatus Tolosani in simili causa quæ sic se habet: *Archiepiscopo Ausciensi visitanti vrbem Simorrensem, sacrista Regularis Ordinis sancti Benedicti, Abbatia illius vrbis exposuit, quod Abbas com-*

mendatarius pretextu Benedictinæ quæ statuit quod Abbates poterant, si voluerint, Diuina officia diebus festorum maiorum solemniter celebrare, exponentem impedire volebat: ne Missam nocte natalis Domini solemniter faceret, Archiepiscopus sententiam in fauorem Sacristæ protulit, Abbas verò ab illa tamquam ab abusu ad dictum Senatum appellauit, Puymissone dicti Archiepiscopi aduocato exponente Senatui, quod dicta Benedictina in rectum Ordinem Abbatiarum sancti Benedicti constituendum, & in Ius Abbatum Regularium declarandum, immeritò extendenda erat ad Abbates sæculares; alioquin huiusmodi extensio Capitulus Abbatem & *luminoso* antedictis, quibus presbyteris sæcularibus: *illa officia exercere in Regularibus Ecclesiis prohibetur, repugnaret, Senatus 1. die Iulij* 1610. *Solemniter pronunciauit dictum Archiepiscopum nullatenus abusiue iudicasse: ac Abbatem præmemoratum ad expensas damnauit, & mulcta pecuniaria emendauit.* Hoc arrestum apud Totnetum habetur. 1. tom. Arrestor. lit. A post. Meynardum in suis quæst. notab.

Ex quo videre est, 1. Abbatem verum titularem & pacificum illius Abbatiæ possessorem, non posse in illa Abbatia diuina officia solemniter, neque etiam in festis maioribus, patagere, ex eo quod Abbas sit secularis; ac propterea magis hoc asserendum de Curato primitiuo & Canonicis vt Curatis primitiuis, qui & seculares sunt, & minoris dignitatis, ac minori iure in Ecclesiis Regularibus potiuntur, vt per se notum est.

Secundò primitiuos Curatos seculares & Regulares iuribus præfatis & alijs honorificis in Parochijs non exemptis gaudere ex iure communi, vsu & placitis supremorum Senatuum ferè infinitis confirmato in fauorem Parochorum eorumdem editis, si velis ex tot quædam videre lege Petrum Neron & Stephanum Girard in tomo suarum Collationum.

Dices propositionem nostram verificari in Curatis primitiuis & in illis, qui non sunt Patroni Ecclesiarum Regularium, qui tales sunt quando ædificarunt Ecclesiã, vel eam dotarunt, aut fundarunt, quibus à iure cap. *Piamentes & Frigentius* 16. q. 7. & cap. *Ad Audientiam* de Ecclesiis ædificandis debetur honor & vtilitas, nam respondetur antiquo iure cap. *Nouerint* c. 10. q. 1. nec honor, neque vtilitas illis debetur, quod si præmissis iuribus illa duo eis conceduntur, hoc intelligendum cũ saluis priuilegijs, & exemptionibus in Regularium fauorem concedendis, quæ iam concessæ eos ab huiusmodi iuribus excludunt. Illa tamen iura cessant in illis Ecclesiis etiam non exemptis quæ carent beneficiis & redditibus vt legenti prædicta capita, cum Glosa manifestum fiet. Plures alias concessiones circa hanc Missæ materiam hic afferre possem, sed breuitati studendo supersedeo, interim monitum faciendo Lectorem primò multos esse casus ob quos cum Regularibus, tum etiam sæcularibus ieiunis plures Missas celebrare permissum est, & omittendo casum diei natalis Domini, plures alij numerantur. Primus est quando sacerdos pluribus Parrochijs præficitur, potest enim tunc celebrare toties, quot fuerint Parrochiæ: sic Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 8. Sect. 3. Nauarr. c. 25. n. 87. Diana tract. 14. celebrat. Missar. resolut. 56. & alij.

Secundò Episcopus, princeps, aut aliquis, genere illustris superuenit sic citati Nauarr. & Diana, Paludanus. in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 4. & alij.

Tertiò cum frequens populus, aliundè dicto iam sacro Parrochiæ aduenit aliter eo cariturus, nisi iteratò illius causa Parochus offerat quod non modo festis diebus: sed etiam, pro festis fieri posse, vt populus opportunitate audiendæ Missæ non priuetur, tradit Reginaldus lib. 23. cap. 3. n. 7. quod Durandus lib. 2. de ritib. Eccles. c. 7. & Leo Papa Epist. 79. ad Dioscorum Alexand. ait posse quoque fieri, cum ob solemnem festiuitatem adeò frequens est populus, vt Basilica omnes capere nequeat, tunc enim si aliter eorum pietati satisfieri nequit, tot possunt istorum Auctorum opinione Missæ dici ab vno, quot sunt necessariæ, vt omnes Missam audiant.

Quartò cum quis finit Missam nunciatur intrare corpus defuncti sepeliendum cum Missa, aut ex consuetudine Ecclesię, quæ cum Missa communi aliam dicit pro mortuis *De Requiem*, & in his duobus casibus ratio censetur adesse sufficiens dicendi rursus Missam, inquit Reginaldus lib. 29. cap. 3. n. 171. quod in cap. *Sufficit* de consecrat. distinct. 1. approbatiuè dicitur: *Quidam tamen pro defunctis vnam Missã*

faciunt, & alteram de die si necesse fuerit: sic Sylucster verb. Missa 1. quæst. 7. Angel. §. 46. Victor. n. 96.

Quintò cum obiturus est ægrotus sine viatico, nisi sacerdos consecret hostiam, sic citatus Reginaldus, imò multi Doctores existimant posse sacerdotem non ieiunum celebrare ad hunc effectum, si non possit recipere aut Sacramentum pœnitentiæ aut extremæ vnctionis & absit scandalum denique quod maius est Petrus Mathæus in annotat. ad Rubricas Missalis part. 1. cap. 9. n. 1. censet id licere absque illis conditionibus.

Sextò & vltimò, omnes præcedentes comprehendens est rationabilis causa iudicata talis à cordato viro ob quam videatur necessarium, vel congruentissimum, vt Missa secundo dicatur, vt habetur cap. *Consuluisti*, de consecrat, his verbis: *Respondemus quod excepto die Natiuitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam solummodo celebrare*: Hos omnes casus referunt Sebastianus Bauny in Theol. mor. de Presbyt. quæst. 6. & Diana citatus qui asserit in partibus Neapolitanis hos omnes casus in dissuetudinem venisse præter primum, nec esse in aliis celebrandum, nisi de licentia Episcopi. Adde etiam Prælati Regularis per respectum ad sacerdotem Regularem: si autem huius & aliorum Doctorum, quos citat, sententia sit sequenda doctioribus iudicandum relinquo, si tamen liceat meum ferre iudicium non video, cur ob dissuetudinem non liceat, cùm necessitas, quæ per dissuetudinem non tollitur, facultatem iteratò celebrare concedat, sitque vt supponimus in dictis casibus. Lege citatos Bauny & Dianam qui multos referunt Auctores, licet ille dubitet si in duobus illis casibus iteratò celebrare liceat.

Secundò Lectorem monitum facio, quod licet Regulares singulis diebus Missam conuentualem ex iure celebrare teneantur cap. *Creatura* de celebr. Missar. iuncta Rubr. si excipias graue impedimentum, qualis foret, si existente in conuentu vno tantum sacerdote dicenda esset Missa pro defuncto tumulando, vt docet Roder. tom. 3. qq. RR. quæst. 6. art. 7. Corduba in annot. ad Compend. verb. Missa 2. §. 5. & Portel. eodem verb. attamen non tenentur illam applicare pro benefactoribus &c. etiam si ex eleemosynis viuant; nisi ad hoc constitutiones Ord. obligent, vt innuit citatus Cord. Ratio est, quia nec Ius Diuinum, nec Ecclesia id præcipit, possuntq; alijs medijs benefactoribus satisfacere, vt pote missis priuatis, & alijs precibus, & operibus bonis, possuntque similiter Miss. de Requiem applicare pro viuentibus, sicut & Missam de sanctis pro mortuis; nullum enim Ius est, quo id prohibeatur.

Tertiò quod celebrans si Missalis rubricas non obseruet non peccat mortaliter: dummodo non notabiliter eas omittat, quod faceret, si ferè nullas, aut multas omitteret: & huius sententiæ cum ijs quos citat, est Diana tract. 14. de celebrat. Missar. resolut. 53. quę sententia mihi multum placet, & ex vsu virorum proborum, & magnę literaturæ probatur, parum enim curant de huiusmodi, nec signa Crucis, & cæteras cæremonias punctualiter obseruant, eo tempore, quo signatur in rubricis, sed paulò ante, vel paulò post. Omittere verò voluntariè aliqua verba Canonis (verbi gratia) duo aut tria nomina sanctorum, aut duo aut tria signa Crucis, non est peccatum mortale, cùm non sit grauis materia, in se, nec ratione significationis, esset tamen si vnum verbum ex verbis consecrationis omitteretur ob proximam rationem: & quia Sacramentum non fieret, extendimus in super omissionem, non solum ad quædam verba vt suprà; sed etiam ad plurima verba relicta in ijs quæ sunt extra Canonem, ita vt non sit peccatum mortale omittere integrum Canticum *Gloria in excelsis* aut Symbolum *Credo in Deum* vt communiter tenent Doctores.

Imò cùm adest ratio potest sine peccato omitti Euangelium, verbi gratia de Passione in Missa Palmarum, & poni aliud Euangelium; quod in benedictione Palmarum legitur, rationem autem sufficientem ad excusandum à peccato arbitror tussim importunam, fletum magnum; aut lassitudinem, ex longa huiusmodi lectione causatam; aut aliquid simile: sitque censuit Ioannes Martinon super hoc casu consultus, quod debet intelligi vt ipse etiam intellexit sublato scandalo; quocirca Missa tunc esset priuatim dicenda; nisi certum esset præsentes non pati scandalum.

Item extendimus omissionem prædictam pro Regularibus ad omissionem vocalem

vocalem omnium verborum Canonis secretò dicendorum dummodò dicantur mente, & voce pronuncientur verba sacramentalia ex priuilegio Leonis X. de quo inferiùs, cùm de horis Canonicis agetur.

Quartò quando Missa votiua exigitur, verbi gratia de Assumptione, vel Natiuitate B. Mariæ, & alia huiusmodi potest dici Missa votiua de B. Virgine, cum intentione ad honorem Assumptionis, vel Natiuitatis &c. sic Gauantus in thesauro tom. 1. p. 4. tit. 17. & in rubr. tom. 1. part. 4. & Archang. Roman. de priuileg. lib. 3. verb. Missa. imò Nauarr. Citatus à Roder. qq. RR. tom. 1. quæst. 43. art. 8. censet quod pro Missa longua de passione satis implet sacerdos, si celebret de festo etiam semiduplici, aut infra octauam.

Quintò possunt Regulares dicere Missam iuxta ritum Religionum & Ecclesiarum per quas hospites transeunt, aut quoquomodo vadunt, cùm nullo iure ad id faciendum prohibeantur.



CAPVT II.

DE FACVLTATIBVS

REGVLARIVM AD EVCHARISTIAM MINISTRANDAM.

PROPOSITIO I.

Regulares possunt ministrare Eucharistiam in paschate, & in mortis articulo suis familiaribus, & seruitoribus sibi actualiter seruientibus, & intra, aut extra monasteria sub eorum obedientia commorantibus & degentibus; ac sic præceptis de sumenda Eucharistia satisfacere.

Cum in præcedenti capite egerimus de facultatibus concessis sacerdotibus Regularibus ad sacrificium Missæ celebrandum, nunc operæ pretium est examinare; si facultatibus gaudeant ad Eucharistiam ministrandam, quod facile fiet, si ante supposuerimus 1. quod probatum est in tract. de Confessarijs, videlicet Regulares esse idoneos à iure ad Eucharistiam sicut ad cætera Sacramenta sæcularibus ministranda, & quod etiam in mortis articulo absente Pàrocho aut nolente eam ministrare, illis liceat ministrare, cùm hanc facultatem habeat quilibet sacerdos; imò & Diaconus nolente sacerdote, vt tenent Sotus dist. 13. q. 1. art. 4. quem sequuntur Suarez 3. parte disp. 72. Sect. 1. & Roder. in quæst. Regul. tom. 1. q. 56. art. 8. Ioan. de la Cruz. de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 3. & alij. Imò videtur quod Diaconus possit communicare infirmum etiamsi adsit sacerdos, & probatur ex antiquis Cartusianorum statutis c. 8. in quo sic habetur: corpus autem Domini potest infirmus accipere à Procuratore, si sit Diaconus: hoc ipsum dicimus de mercenarijs, etiam Priore præsente, & licet nil mihi in mentem veniat huic sententiæ contrarium, non tamen hanc sententiam auderem affirmare.

Secundò supponendum seculares adultos baptizatos, cùm ad annos discretionis peruenerint: ex præcepto Ecclesiæ teneri Eucharistiam quotannis in Paschate assumere vt patet ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, & ex Trid. sess. 13. c. 9. vbi anatematе percutitur, qui negauerit illos non teneri. Dixi ex precepto Ecclesiæ; nam ex Diuino non est tempus determinatum citra articulum mortis, in quo Ecclesia potest aliquos, iustis mota de causis, priuare.

Tertiò supponendum est Pascha assumi à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis, iuxta declarationem Eugenij IV. quæ habetur in Comp. priuileg. Mend. tit. communicare his verbis: *Optimè Iuri satisfactum esse, & Canoni seu Decretali omnis vtriusque sexus si in Hebdomada sancta, vel infra Octauas Pascha Resurrectionis Dominicæ fideles Sacrosanctum Eucharistiæ Sacr. accipiant*: quam cit. Nau. c. 2. manu. n. 44.

Nec non etiam iuxta communem vsum comprehendere non solùm diem Do-

Digitized by Google

minicæ resurrectionis, sed octo dies ante & totidem post, imò in quibusdam locis vsque ad mediam, ac etiam ad totam quadragesimam extendi, vt ex declarat. Clem. VII. per Laurentinum Cardinalem Episcopum Prænestinum promulgatam relatam à Casarub. in fine Compend. priuileg. Mendic. constat his verbis. *Laurentinus miseratione diuina Episcopus Pranestinus, Cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum nuncupatus, ac maior Pænitentiarius, vniuersis ac singulis prædictas litteras inspecturis salutem in Domino sempiternom. Cùm falicis recordationis Innocentius Papa tertius in Concilio Generali statuerit omnes vtriusque sexus Christi fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint, saltem semel in anno peccata suo proprio sacerdoti confiteri, ac iniunctam sibi pænitentiam adimplere, & ad minus in paschate Eucharistia Sacramentum suscipere debere, nisi forte de proprij sacerdotis consilto ob oliquam rationabilem causam od tempus ab huiusmodi perceptione ducerent abstinendum, alioquin & viuentes ab Ecclesia ingressu arceri, & morientes Christiana sepultura carere debere, tamen sanctissimus in Christo Pater Dominus noster Clemens diuina miseratione Papa VII. sibi persuadens non fuisse intentionis legislatoris animas illaqueare fidelium ad communicandum præcisè in die resurrectionis D.N.I.C. dummodo semel in anno confiteantur, & ad minus in paschate suscipiant Eucharistia Sacramentum in partibus Hispaniarum, in quibus propter numerum communicantium esset impossibile vt in die pascha Eucharist. Sacramentum suscipere possent, Christi fideles ipsos in Hispaniarum regnis huiusmodi si à prima die Cinerum vsque ad octauam resurrectionis D. N. I. C. proprio sacerdoti peccata sua singulis annis confessi fuerint, & in dictum tempus Euch. Sacramentum secundùm eorum meliorem conscientia dispositionem & arctiorem mentis deuotionem susceperint, viua vocis oraculo desuper nobis facto, Canoni huiusmodi satisfecisse declaranit, in quorum fidem præsentes litteras per Secretarium nostrum fieri, sigillique nostri parui impressione muniri fecimus, easque manu propria subscripsimus. Dat. Romæ in camera nostræ solita residentia die 13. mensis Februarij anno 1526. Pontificatus Domini nostri anno 4. Ita est Laurentinus Episcopus Pranestinus Cardinalis quatuor Coronatorũ manu propria.*

Supponendum 4. ex dicto Eugenio, vt loco citato refertur, declaratum quod quando quis tempore paschali se repererit in aliena diœcesi, semper ibi intelligitur adeptus incolatum, vt ibi confiteri & communicare valeat quantumcumque ibi paruo tempore steterit.

Quintò supponendum dictos seculares sumpta semel in anno Eucharistia in dicto tempore, non amplius ad illam sumendam obligari in reliquo anni tempore.

Supponendum 6. quod stando in iure diuino omni & soli sacerdoti cõpetit Eucharistiam sæcularibus ministrare, sed stando in iure communi antiquo soli Parocho, vt ritè probat D. Thomas 3. part. quæ 22. art. 3. & constat ex Clement. 1. de priuileg. in qua hæc verba habentur: *Religiosi qui Clericis aut loicis Sacramentum vnctionis extremæ, vel Eucharistia ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his Paraciolis presbyteri licentia speciali &c. communicationis incurrant sententiam.* Adde quòd Sacramentorum administratio est actus iuridicus, vt ait Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 3. Concl. 2. post solum & alios: ergo qui illa ministrat debet habere iurisdictionem à iure communi, vel priuilegio, vel saltem ex cõmissione concessam, in eos quibus illa ministrat; ac proinde etiam ad Eucharistiã ministrandã.

Dixi in propositione posse Regulares ministrare Eucharistiam familiaribus & seruitoribus: nam de Regularibus nullum est dubium, quin Regulares, verbi gratia Minoritæ alijs Minoritis Eucharistiam, & sic de cæteris, ministrare valeant. Hæc veritas habetur concessa per Bullam relatam in libro cui titulus monumenta Ord. 1. impressionis fol. 56. & 2. impressionis fol. 140. concessione 315. & in Compend. priuileg. Mendic. verb. Familiares §. 3. in qua sic legitur *Clem. IV. concessit Fratribus Minoribus, vt his qui in eorum morantur obsequijs cuncta liberè ministrore possint sacramenta Ecclesiastica.* Eamdem concessionem facit Minimis Leo X. Bulla quæ incipit; *His qua pro fidelium* [*his verbis*] *vt fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu seculari eis deseruientium, quoties opus fuerit, etiam paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Ecclesiis huiusmodi: ipsisque & eorum cuilibet Euch. & Extrema vnctionis sacramenta ministrare licitè valeant.* Idemmet Leo in Concil. Lateran. vniuersis Mendicantibus eamdem gratiam concedit sacro approbante Concil. Bulla quæ incipit: *Dum intra*

mentis arcana his verbis *eorumdem verò fratrum obsequio insistentibus sacramenta huius modi videlicet Euch, & Extrema vnctionis nullatenus mittis fratres velant; nisi illorum durante obsequio.* Expressius continetur in dictis Compend. & verb. §. 10. his præcisè verbis: *Martinus V. concessit Monachis S. Benedicti Obseruant. Hispania, vt confessiones duorumcumque familiarium suorum, tam laicorum, quam Regularium intra & extra septa suorum monasteriorum commorantium audire, necnon eisdem familiaribus tam intra, quàm extra septa commorantibus Ecclesiastica sacramenta quoties fuerit opportunum, ministrare valeant.* Hanc concessionem fecit etiam Leo X. Minimis & Paulus III. Religiosis Societatis Iesu, Innocentius VI. Augustinensibus Bulla 1. & Sixtus IV. Carmelit. Bulla 37. illamque facultatem quoad familiares in monasteriis degentes confirmauit Trid. proximè citandum, & declarauit Congregatio Cardinaliū inferius etiam citanda.

Obijcies Concil. Trid. sess. 24. cap. 11. de reform. non concedere hanc facultatem; nisi familiaribus commorantibus intra monasteriorum septa, non autem familiaribus commorantibus extra septa monasteriorum, quod similiter declarauit Congregatio Cardinalium sub Greg. XIV. ergo non possunt Eucharistiam ministrare omni tempore famulis extra septa monasteriorum morantibus, cùm clausula reuocatoria priuilegiorum sit iuncta decreto Tridentini.

Respondetur 1. ex Roder. tom. 1. quæst. 56. art. 14. Tridentinum esse quoad hoc, & cætera priuilegia reuocatum à Pio V. vt diximus in tract. de priuilegijs in communi, ita vt dicto priuilegio sicuti alijs in foro conscientiæ vti possint.

Respondetur 2. priuilegia Regularium fuisse absolutè in vtroque foro non obstante Trid. confirmata, vt in dicto tract. diximus, ac proptereà illam declarationem Cardinalium interpretum Trid. sicut & alias nihil officere illi priuilegio: sicut nec alijs priuilegijs, cùm non sint declaratiuæ; nisi sensus Trid. deinde non esse tanti ponderis, vt sæpius diximus, quod possint priuilegia autentica & autenticè confirmata eneruare, ac sic tenent Citatus Roder. Marcell. à S. Bened. in Scholio in Compend. priuileg. Fuliens. verb. Familiares, §. 1. & 2. & alij.

Respondetur 3. sub clausula reuocatoria illius capitis non comprehendi priuilegia Mendicantium; cùm non exprimantur, quod fieri debet, vt alibi diximus ex Pio V. & Doctoribus.

PROPOSITIO II.

Licet Regularibus ministrare Eucharistiam fidelibus in paschate, & alijs temporibus communicantibus ob deuotionem Dominica resurrectionis excepta.

Hæc veritas Nicolai V. Leonis X. & Pauli IV. multisque alijs concessionibus Pontificijs innititur, quas Lector videre poterit in Compend. priuileg. Ordinum, & apud Rodericum tom. 1. q. 66. att. 3. sed præcipuè in concessione & declaratione Pij V. Bulla quæ incipit: *etsi mendic.* in qua verba sequentia enunciantur: *ipsique Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ resurrectionis Dominicæ festiuitate excepta, sumere, eisque illud per fratres huiusmodi administrare valeat, nec ad aliud faciendum per locorum, aut Ecclesiarum Rectores præfatos seu alios quoscumque illorum licentia minimè requisita, etiam sub Censura Ecclesiasticis & alijs pœnis cogi vel compelli possint seu debeant etiam decernimus & declaramus*, & de hac propositione nullum mihi superest dubium, vt etiam vsus illius veritatem demonstrat, vt potè qui à sensu Pontificum originem duxit, cùm enim non excipiant nisi diem resurrectionis Dominicæ, & exceptio firmet regulam in contrarium, signum est eos in ea fuisse sententia, vt crederent omnibus alijs diebus posse Regulares fidelibus Eucharistiam porrigere, atque hoc priuilegium extenditur ad vagos, aduenas, peregrinos, & priuilegiatos. Et sic tenent Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 3. disput. 23. n. 17. Collector. Compend. Societatis Iesu hoc verb. post §. 2. Henriquez to. 2. lib. 8. de Euch. ca. 55. n. 7. lit. 6. Sotus in 4. distinct. 18. q. 4. art. 2. Nauarrus c. 1. n. 36. in Manuali, Marcellinus à sancto Benedicto hoc

PROPOSITIO IV.

REgulares prohibente Episcopo possunt in oratorio domestico, & priuato sæcularium, eosdem communicare, omni tempore etiam Paschali, sic, vt non teneantur illo anno amplius Euch. sumere.

Patet hæc veritas quoad 1. partem ex priuilegijs plurimorum Pontificum, & præcipuè Pauli IV. priuilegio proximè citando, quæ nullatenus reuocata fuerunt vt tenent Portel. in Responf. Moral. parte 3. caf. 39. Roder. qq. RR. to. 1. q. 61. arr. 3. Suarez de Relig. tom. 4. lib. 9. cap. 3. §. *dices ergo*, Diana in tract. 4. Miscell. resolut. 4. aliter Episcopus per suam prohibitionem reuocaret priuilegium. Nec contrarium est Tridentinum, quia vt alibi diximus non reuocat priuilegium de dicendis missis in dicto oratorio, & si reuocaret differt multum prohibitio dicendi Missam, à prohibitione ministrandi Eucharistiam. Alias rationes lege apud citatos Portel. & Dianа. Quoad verò 2. partem patet propositio ex concessione seu potius ex sententia Pauli IV. ad querelam fratrum Minorum contra Parochos pronunciatam his verbis. *Quod de cætero per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium pro tempore dicti fratres à suis Superioribus deputati confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorumdem fratrum audire, eosque absoluere, ac omni tempore prater resurrectionis Dominicæ Sacramentum Euch. tam illis quàm quibusuis personis ministrare possint Apostolica auctoritate concedimus.* Atque ita tenent citatus Bauny, Portel. in responf. parte 3. caf. 39. & Suarez tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 4. qui citat Nicolaum V. Sixtum IV. & Leonem X. hanc etiam gratiam Regularibus concessisse. Sic etiam tenet Moronus, qui resp. 99. fusissimè, & efficaciter hanc sententiam probat.

Instabis 1. quid fiet si Episc. id secularibus prohibeat. Respondetur id non posse prohibere, nec in pœnam sumptionis, Euch. de manibus Reg. in dictis oratorijs, posse reuocare facultatem dictorum oratoriorum. Nam vt diximus in tract. de priuil. in cõmuni huiusmodi priuilegia Regulariũ sunt relatiua ad seculares; ac ex cõsequenti, si vnum permittitur Regularibus, aliud sine quo illud stare non potest, secularibus similiter permittitur, potest tamen propter alia delicta, sæcularium facultatem præfatam reuocare iuxta Reg. 1. Iuris in 6. *Per quas causas quid ponitur, per easdẽ tolli potest.*

Instabis 2. Hanc facultatem concedi Regularibus: dummodo exerceatur sine præiudicio parochialis Ecclesiæ; sed hæc facultas exerceri non potest absque tali præiudicio; ergo non censetur concessa. Respondetur concessam esse facultatem cum illa circumstantia, quæ debet intelligi vt aliàs in simili materia ex declaratione Pontificia diximus, vt non extendatur ad alia iura Parochialium, nempe decimarum, sepulturarum &c. & sic in hac materia tenet Marcell. à S. Bened. in Scholio Compend. priuileg. Fuliens. verb. Eucharistia §. 4.

PROPOSITIO V.

POssunt Regulares non solùm tempore Paschali secularibus Euch. ministrare in suis Ecclesiis, & oratorijs priuatis eorumdem sæcularium, sed etiam in omnibus & singulis Ecclesiis non suis.

Habetur expresè hæc facultas Congreg. Theatinorum à Paulo V. & à Pio V. concessa in Compend. priuil. eiusdem Congreg. verb. Communicare, & relata in Compend. priuileg. Fuliensium verb. Eucharistia §. 5. his prçisè terminis. *Per priuilegium concessum Congregationi Theatinorum à Paulo IV. & à Pio V. possunt nostri, qui idonei sunt Sacramentum Eucharistiæ ministrare in omnibus & singulis Ecclesiis; etiam ad nos non spectantibus quibuscumque vtriusque sexus fidelibus*, & ita tenet Marcell. à Bened. Nõ

putes tamen per hoc priuilegium fas esse Regularibus communionem Paschalem præceptam sæcularibus ministrare in Ecclesiis non suis absque Parrochi licenria, quia etsi Regulares pet prædicta priuilegia possint quoslibet tam in propriis quam in alienis Ecclesiis, extra tempus Paschæ corpore Christi pascere, id illis tamen aggredi nefas in Paschate, ob prohibitionem Pontificum qui communionem de præcepto voluerunt non alibi à Regularibus dari, quàm aut in proprijs eorum Ecclesiis, aut in alienis de licentia propriorum Parochorum: quo circa si quis secularis Eucharistiam in alienis Ecclesiis de manu Regularium sumeret, præcepto Ecclesiæ minimè satisfaceret.

PROPOSITIO VI.

Licet Regularibus Eucharistiam in die Resurrectionis Dominicæ sæcularibus porrigere, etiam vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant.

Hanc veritatem nullus negabit si attentè consideret constitutionem Nicolai V. & declarationem viuæ vocis oraculi Pauli III. facti Laurentio Cardinali in præcedentibus propositionibus relatas, in quibus expressè habetur, licere Regularibus Eucharistiam porrigere secularibus in die Paschatis seu Resurrectionis Dominicæ, & seculares satisfacere præcepto Ecclesiæ per huiusmodi sumptionem sacramenti, atque ad hoc non requiri assensum Episcoporum vel rectorum, nec illius assensus petitionem. Atque hoc priuilegium factum dicto Monasterio de Gadaluppe: sicut & alia vt supra concessa, fecit commune aliis monasteriis eiusdem Ordinis Pius IV. vt probat Roder. tom. 1. quæst. 55. art. 9. ac ex consequenti in illo communicant Mendicantes, & in illius veritatis testimonium pro possessione illius priuilegij in causa fratrum Minorum cum quodam Parocho in Lusitania fuisse iudicatum testatur Facundes. Nec supra dictum priuilegium est per non vsum reuocatum, nam priuilegia Minorum, & consequenter aliorum Ordinum non reuocantur per non vsum, vt aliàs probauimus. Accedit quod sunt à Pio IV. confirmata, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, quæ verba vt notat Roder. tom. 1. quæst. 8. att. 3. confirmant priuilegia etiam per non vsum reuocata, vt diximus in tract. de priuileg. Adde etiam, quod dictus Pontifex non solùm, confirmauit, sed de nouo concessit dicta priuilegia Nicolai V. & Pauli III. deinde nouissimè Paulus V. confirmauit & de nouo roborauit priuilegia Minorum, & Prædicatorum etiam per non vsum reuocata: ac sic tenent Ioan. de la Crnz. de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 4. Concl. 3. Beia in Respons. p. 4. cas. 4. qui multa argumenta facta aduersus hanc propositionem soluit, Roder. tom. 1. q. 4. Reg. q. 56. art. 3. Sorbus in Compend. priuileg. verb. communicare. Diana tract. 14. de celebrat. Missar. resolut. 73. & alij.

Verùm non est omittenda difficultas satis grauis, quæ ex sententia Congregat. Cardinal. incerta breui Innocent. X. in causa Regularium Ciuitatis Burdigalensis contra illustrissimum Archiepiscopum illius Ciuitatis illam confirmantis, originem habet, nouissimè emanata, in qua sic pronunciatur. *Instantibus Regularibus &c. Sacra Congregatio asserit Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus priuilegia Apostolica, vt a Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè administrare non valeant personis secularibus Sacramentum confessionis. Posse tamen eisdem prohibere, vt personis secularibus in die Paschatis non administrent sanctissimam Euch. Sacramentum, etsi dictæ personæ seculares in alia die satisfecerint præcepto Ecclesiæ hac de re edito:* in qua 2. notanda sunt, primum Congregationem prædictam respondendo querelæ Regularium decernere Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere, quin Regulares in quindena Paschali non audiant secularium confessiones. Secundum, quod notandum est, dictam Congregationem motam à semetipsa, absque vlla querela ipsi oblata decernere, dictum Archiepiscopum posse prohibere, ne die Resurrectionis Dominicæ secularibus Eucharistiam ministrent. Ex quibus concluditur posse Regulares ex priuilegio die Resurrectionis Euchari-

Digitized by Google

stiam secularibus porrigere, quia sine illo non possent, cum iure prohibeantur, non posse tamen si ab Archiepiscopo prohibeantur; ergo propositio nostra, quæ asserit absolutè posse illam ministrare die Resurrectionis, etiam satisfaciendo Ecclesiæ præcepto, non subsistit.

Responderi posset. 1. Hanc constitutionem esse decreti Congregationis Cardinalium dumtaxat confirmationem; ac propterea nihil aliud operari, præter id quod tale decretum operatur, quod cùm nullum alium effectum habeat, nisi illum quem habet sententia Doctorum: sicut in 1. tract. de priuileg. in communi probatum est, nec similiter prædicta constitutio, seu confirmatio alium effectum habebit, vt de confirmatione in genere in proximè citato tract. etiam probatum fuit: cúmque alij Doctores non mediocris literaturæ & famę in priuilegio euidenti fundati existiment posse Regularem dare Eucharistiam die Resurrectionis Dominicæ ad præcepto Ecclesię satisfaciendum, etiam Episcopo prohibente cùm sit Pontificia concessio; ac ex consequenti independens à voluntate Episcopi, sicque Regularis in illius priuilegij possessione, ideò illius iuri standum est, cùm melior sit pars possidentis.

Respondetur 2. quòd supponendo dictam constitutionem habere vim legis, & sententiæ, non propterea per illam derogari huic priuilegio, quoniam licet quoad confessionem in quindena Paschæ sit sententia, non tamen talis est, quoad Eucharistiæ administrationem, circa quam non fuerat ad sedem Apostolicam prouocatum, & quoad illam Congregatio pronunciat nemine audito, & conquerentes & pronunciatum Papa confirmat, vt ex dicta constitutione seu sententia constat, cúmque inauditum possidentem, nec Congregatio, nec Papa, nec quilibet alius Iudex à possessione velle deijcere præsumatur, maximè cùm hoc ius Regularium sit ius quæsitum: quod non facile tollitur; nisi partibus super hoc contradictoriè auditis iuxta Regulam ab Vrbano VIII. positam, vt alibi diximus. Nullatenus credibile est dictam Congregationem & Papam, illa sententia velle huic priuilegio verè iuri quæsito sibique ignoto; cùm extra corpus Iuris vagetur, derogare.

PROPOSITIO VII.

Licet Regularibus inuitis Parochis Eucharistiam pro viatico ministrare sæcularibus in mortis articulo existentibus.


Ita tenet in sententia nostra de ministranda Euch. in Paschate Ioan. de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 5. Concl. 2. sic etiam absolutè censet Portel. in addit. ad verbum Sacramentorum administratio. Propositionem probat ex eo quòd Nicolaus V. Bulla inchoata, *Scimus populos*, & Sixtus IV. Bulla *vestris in hac*, Minoribus facultatem ministrandi Eucharistiam fidelibus concedentes, diem vnicum Resurrectionis Dominicæ exceperunt; ergo cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, possunt eisdem in vi illarum concessionum solo illo excepto Eucharistiam ministrare; ac consequenter in mortis articulo.

Probatur 2. quoniam cùm Vicarius generalis Minorum in partibus Italiæ conquestus fuisset apud Pontificem Paulum IV. quòd Rectores aliquarum Ecclesiarum Italiæ Brigensis, Mediolan. Bonon. &c. plures molestias inferrent Minoritis circa Sacramentorum administrationem erga seculares, dicentes non posse Minoritas pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta ministrare: nisi illis secularibus qui in suos vadunt conuentus, non verò extra conuentus, licet seculares ægrotarent, ipse Pontifex vt prædictis querelis satisfaceret, sic Bulla inchoata, *Cùm sicut exponi*: pronunciat, *Quod de cætero tam dictarum, quàm aliarum quarumcumque Prouinciarum aut ciuitatum, aut diœcesim per totum orbem omnium vtriusque Sexus fidelium pro tempore dicti Ordinis fratres à suis superioribus, vt moris est, deputati confessores, confessiones, etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorumdem fratrum, audire, eosque in casibus & censuris, quibus eis per priuilegia sedis Apostolicæ huiusmodi hactenus concessum est, posse*

absoluere, & ipsos hactenus absoluere consueuerunt, & pœnitentiam salutarem iniungere, ac omni tempore præter quàm in die Resurrectionis Dominicæ sacramentum Eucharistia, tam illis, quam alijs quibusuis personis ministrare possint Apostolica auctoritate indulgemus: atque hanc concessionem Pius V. Bulla *etsi Mendicant.* expressè confirmauit n. 3.

Nec obijcias Clementinas *Religiosi* de priuileg. & *dudum* de sepult. prohibentes Regularibus administrare Eucharistiam sæcularibus in articulo mortis àbsque licentia Parochi, quoniam tunc habetur licentia Papæ, qui summus est Parochus; & sicut inuito & contradicente Parocho, posset quis de licentia Episcopi illam administrare sæcularibus, sic à fortiori de licentia Papæ; accedit quod illæ duæ Clementinæ reuocatæ sunt à Pontificibus priuilegia confirmantibus, non tamen consulerem Regularibus hoc vti priuilegio; nisi vrgente aliqua rationabili causa.

Notabis hic in fine huius propositionis Confessarium Regularem non teneri dare schedulam pœnitentibus volentibus Eucharistiam tempore paschali, aut in articulo mortis sumere de manu Parochi, vt ea testimonium detur, quod confessi fuerint: & Parochum sine ea denegantem eiusdem ministrationem peccare grauiter contra iustitiam, vt constat ex Mari magno Minorum & ex Extrauag. *Inter cunct.* de priuilegiis & hoc latissimè & doctissimè probat Moron. Responso 21. quem obsecro attentè lege vbi etiam videbis seclusis priuilegiis parochum non posse extorquere à subdito eam schedulam; nisi esset publicus peccator, vel publica aliqua censura irretitus.



CAPVT III.

DE FACVLTATIBVS CONCESSIS REGVLARIBVS AD SASRAMENTA EXTREMÆ VNCTIONIS, BAPTISMI ET matrimonij secularibus ministranda, deque facultatibus ad eosdem seculares in suis Ecclesiis & cæmeteriis sepeliendos.

PROPOSITIO I.

SAcerdotes Regulares possunt ministrare suis famulis & hospitibus sæcularibus in suis monasterijs infirmantibus extremæ vnctionis sacramentum.

Supponendum est quod licet iure Canonico proprius Parochus sit proprius huius Sacramenti minister, adeò, vt si simplex sacerdos, ac etiam Regularis illud sæcularibus sine licentia Papæ vel Episcopi, aut Parochi ministraret, excommunicationem ipso facto incurreret, attamen aliquando fieri possit, vt illud administrans, nec incurrat illam censuram iuxta Clem. I. de priuileg. nec peccet si illud in necessitate sine tali licentia ministret, vt post Syluestrum verb. vnctio q. 4. & alios tradunt Soto in 4. distinct. 13. q. 2. art. 1. verb. vtrum verò, Ledesma 2. part. 4. q. 33. art. 3. Maior instit. tit. 9. de extrema-vnctione, n. 22. Hoc supposito propositio constabit ex concessione Nicolai Franci Apostolicæ sedis in Hispanijs Nuncij cum potestate Legati à latere facta Priori, & conuentui S. Benedicti Vallisoletani, & Abbatibus & Prioribus totius Congregationis anno 1476. relata à Roder. tom. 3. q. 79. art. 1. his verbis; *Quod si qui infra scripta monasteriorum ipsorum infirmati fuerint, extremam vnctionem dare auctoritate Apostolica, cuius legationis officio fungimur in hac parte tenore præsentium plenariam & liberam concedimus facultatem, Parochialis præsbyteri,*

teri, vel alterius cuiuscumque Episcopi vel Superioris licentia, vel assensu nullatenus requisitis. Hanc eamdem facultatem per Bullam verbis vniuersalioribus exprimentibus ipsos familiares antea concesserat Martinus V. vt habetur in Compend. priuileg. Mendic. tit. Familiares in hunc modum. *Concessit monachis Sancti Benedicti Obseruantiæ Hispaniæ, vt confessiones quorumcumque familiarium suorum, tam laicorum quam Regularium & secularium, intra & extra septa suorum monasteriorum audire &c. nec non dictis familiaribus tam intra quam extra septa præfata commorantibus Eccles. sacramenta quoties fuerit opportunum ministrare valeant.* Hanc eamdé concesserant antea Carmelitanis Alexander IV. & Minoritis Clemens IV. de quibus infra cùm de sepulturis agemus, quæ cum non extendantur nisi ad familiares; ideò ad confirmationem concessionis Nicolai Franci prædictæ, & ad confirmandam vtramque partem propositionis afferenda est concessio Pij IV. Confirmata à Pio V. 1567. facta Congregationi Thearinorum, & inserta in Compend. priuileg. eorumdem verb. communicare §. 3. ac etiam in Compend. priuileg. Fuliens. tenoris sequentis. *Possunt sacerdotes nostri &c. constitutis in articulo mortis Sacramentum extremæ vnctionis ministrare personis omnibus nostræ Congregationis, item mercenarijs, famulis, operarys & seruis eiusdem Congregationis nostræ, ac quibusuis hospitibus etiam secularibus, & extraneis, quos in locis, vel in habitationibus Congregationis nostræ tunc reperiri contigerit, & in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit etiam diœcesanorum locorum, & sacerdotum curatorum quorumcumque, etiam in quorum ciuitatibus & diœcesibus ac Ecclesiarum Parrochis respectiuè Ecclesia & loca nostra Congregationis nunc & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minimè requisita, nec obtenta,* & ita tenent vniuersaliter Roder. Ciratus, Marcell. à S. Bened in citato loco compendij Fuliens. cui etiam sententiæ Casarubius citatus subscripsisset, si priuilegia, quæ dant hanc facultatem vidisset, quod similiter dicendum est de Portellio, qui est etiam contrariæ sententiæ quoad familiares verb. Sacramentorum administratio. §. 9.

PROPOSITIO II.

Licet Regularibus prohibitum sit à iure baptizare, attamé licitè id possunt in casu necessitatis, cùm vocantur ad id ab ijs, qui iure possunt baptizare, ac etiam ex priuilegio in multis partibus absque tali licentia.

Hæc propositio multas habet partes, quarum 1. probatur quoniam cùm iure communi soli Parocho competat ex officio baptizare, vt in cap. *Placuit* 16. q. 1. resoluitur, sequitur reliquos; ac consequenter Regulares baptizare non posse, quod specialiter prohibetur Regularibus ab Eugen. Papa eodem cap. *Placuit*, quod intelligi debet, si id faciant sine Parochi licentia, vt in Clem. I. de priuileg. decernitur, quod autem in necessitate ad possint manifestum est ex Concilijs generalibus, maximè ex Florentino sub Eugenio Papa, quibus decernitur, quod *quilibet homo, qui loqui potest, & lauare est sufficiens eius minister, siue sit vir, siue femina, siue fidelis, siue infidelis, baptizatus, vel baptizatus dummodo sciat lauare, & verba proferre cum debita intentione, quod probat Suarez. ex multis* 3. *part. q.* 67.

Nec hoc est contra fratrum Minorum Regulam, vt in Capitulo generali Meclinienſi declaratum fuit: *quod frater sacerdos in extrema necessitate possit paruulo dare Sacramentum baptismatis: dummodo non adsit alius sacerdos: etiam in præsentia virorum secularium laicorum & quod in Regula prohibetur, ne fratres fiant compatres &c. intelligendum quoad eleuationem de fonte baptismatis, non quoad eleuationem prædictam, quia vt dictum est in casu necessitatis absente sacerdote seculari, vel alterius professionis bene possunt fratres nostri baptizare,* & huius sententiæ sunt Roderic. 1. tom. q. 31. art. 1. Casarubius, in Compend. priuileg. Mendic. verb. Baptizare. Christoph. à cap. Font. in suo Compend. eodem verbo Portel. verb. eodem & Ioan. de la Cruz de stat. Relig. l. 2. 5. dub. 1. circa Bapt. & ante illos D. Thom. 3. part. q. 67. art. 3. & 4. alij innumeri,

Digitized by Google

Quantùm ad 3. propositionis partem certissimum est ex licentia Parochi id posse Regulares, quoniam cùm ad illud conferendum sint habiles, vt ostendimus in Superioribus tractatibus, nec illis prohibeatur baptizare, nisi independenter à Parochi licentia, concluditur manifestè, vt illa accepta baptizare possint, etiam solemniter, quod quoad solemnitatem debet intelligi de solis sacerdotibus, & diaconis Regul. iuxta c. *Diaconos* dist. 39. & in hac sententia consentiunt prædicti Auct. num autem sacerdotibus & diaconis secularibus & Regul. presentibus possint Minoritæ ex tali licentia baptizare. Respondetur non posse propter illud statutũ Meclinense: non peccate tamen si facerent; quoniam illud statutum sicut cetera statuta nontrahunt secum vinculum peccati, & si traheret non obligat, quia solo Barcinonensia statuta ligant, quod similiter asserendum de subdiaconis, Clericis & fratribus laicis eiusdem Ordinis licentiam Parochi habentibus si seruanda seruentur.

Denique quoad vltimam propositionis nostræ partem, scilicet quod dicti Regulares habeant priuilegium baptizandi, certissimum est de illis, qui in partibus infidelium morantur, vt tenent Roder. tom. 1. q. 31. & Ioan. de la Cruz citatus Concl. 4. & 5. Thomas à Iesu lib. 12. de conuers. omni gent. verb. votum & alij qui asserunt ad hoc amplissima priuilegia, quorum aliqua hic describam ac 1. Innocent. IV. Nicol. IV. & Ioan. XXII. primus & secundus fratribus Predicatoribus, 3. Minoribus *in remotissimis hereticorum & infidelium Prouincijs existentibus facultatem prabuere faciendi quidquid ad augmentum diuini nominis, & ampliationem Catholica fidei pro loco & tempore viderint expedire.* Adrian. VI. Frattibus Minoribus. *Concessit omnimodam in vtroque foro Papa auctoritatem tantam quantam iudicauerint expedire pro conuersione Indorum, & manutentione, ac profectu illorum atque aliorum prælatorum in fide Catholica & obedientia Ecclesiæ Romanæ*, & hoc ad Caroli V. imperatores petitionem 1520. Paulus III. 1544. *Concessit Religiosis mendicantibus qui de licentia suorum Prælatorum proficiscuntur ad quascumque terras infidelium ad quamcumq; mundi partem ad eos conuertendos, vt vadant tamquam Legati, & Commissarij eius, & eis concedit omnes gratias à suis prædecessoribus concessas illis, qui ad terras infidelium vadunt.*

Paulus IV. 1557. vt fidem fecit Cardinalis Alexandrinus qui post electus fuit Papa Pius V. *Pro Religiosis in noua Hispania & Perua dexaltationem diuini cultus proprio motu & viuæ vocis oraculo confirmauit omnia priuilegia data à suis prædecessoribus pro Indorum conuersione: præsertim quod possent fratres Mendicantes omnia sacramenta fidelibus & nouiter conuersis administrare, & de nouo roborauit auctoritate Apostolica nonobstantibus quibuscumque in contrarium.*

Circa prædictas concessiones, quæ amplissimæ sunt, cùm Rgularibus committatur summorum Pontificum delegata potestas, qua possunt in Regionibus illis, quæ Magisterio Ecclesiæ non subduntur, ea facere sine limitatione & restrictione quæ sibi viderint ad fidei propagationem animarumque salutem expedire. Notandum est illam permitti & concedi dictis Regularibus, non solùm vt conuenientem, sed vt necessariam pro illis locis, in quibus nec Parochi, nec Episcopi sunt, nec facilis aditus ad sedem Apostolicam; quare prouidentiæ Pastoris vniuersalis Romani Pontificis est, fidelibus in illis partibus existentibus de omnibus medijs necessarijs ad illorum salutem prouidere, oportere tamen Regulares magna cum prudentia & discretione huiusmodi concessionibus vti, & quantùm fieri potest à communi praxi, Ecclesiæ non recedere, aliàs grauiter offendent.

Sitne autem hæc facultas extendenda ad illa loca vbi sunt Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati, negat Thomas à Iesu citatus, nisi in jis in quibus ex mente Pontificis expresè colligitur, affirmat verò Roder. tom. 1. q. 31. art. 4. & 2. tom. q. 97. art. 1. dum dicit extendendam esse ad Regulares, nunc in Prouinciis Indiarum, in quibus morantur iam Episcopi, degentes. Quid sentiam in hac difficultate dicam remittendam esse videlicet ad vsum optimum legum, & priuilegiorum interpretem; si ergo sit vsus illius facultatis in illis partibus, standum vsui: sin autem non sit vsus, concludendum Regulares illa facultate carere.

Superest ad propositionis nostræ absolutam probationem scire, si Regulares possint ex priuilegio in partibus Catholicis Baptizare Filios famulorum. Respondetur id non posse absolutè; quoniam licet detur illis facultas ad omnia Ecclesiastica sa-

cramenta suis famulis ministranda, nihilominus non occurrit ordinariè casus, in quo id possint, quod similiter dicendum de Sacramento matrimonij.

Instabis famulos extra septa morantes parere filios, qui postea Matrimonio copulantur, ac propterea posse illis sacramenta Baptismi, & Matrimonij à Regularibus ministrari; sed respondetur filios illos non esse famulos, sed famulorum filios, ac propterea non gaudere illo priuilegio, quod cùm sit contra Iuris dispositionem, strictè, & prout verba sonant est intelligendum. Putarem tamen dictos Regulares posse Baptizare Turcas aliosque infideles, si in suo famulatu conuerterentur.

Hic sub finem notabis dictos Regulares potiri priuilegio in illis partibus vtendi in Baptismo Chrismate & oleo veteribus vsque ad tres annos ex Leone X. & vsque ad quatuor annos ex Greg. XIII. ita Roder. 1. tom. q. 31. art. 5. & Ioan. de la Cruz de stat Relig. lib. 2. c. 5. dub. 2. Concl. 2. qui Concl. 1. cum citato Roder. asserit, quod in omni loco liceat vti vetere Chrismate in baptismo paruulorum, si nondum aduenerit nouum, quod de alijs baptizandis non est asserendum.

PROPOSITIO III.

Regulares in partibus infidelium, à suis Prælatis specialiter deputati, commorantes habent facultatem dispensandi in gradibus à lege Diuina non prohibitis post contractum matrimonium, possuntque sponsos matrimonio iungere.

Probatur quoad primam partem ex Leone X. Bulla antea citata quæ incipit, *Aliàs fælicis recordat.* verbis sequentibus, *& qui de gentibus schismaticis vel aliàs nouiter essent conuersi dandi licentiam vt vxores suas, cum quibus in gradibus à lege Diuina non prohibitis contraxerunt retinere valerent* : eamdem etiam facultatem concessit Paulus III. Societati Iesu his verbis : *& cum ijs, qui ab infidelitate conuertuntur tantùm, & in locis remotissimis, qui prius in gradibus non licitis, lege tamen Diuina non prohibitis matrimonia contraxerant, vt in eisdem manere possint dispensare.* Concessio autem Leonis, vt omne dubium quoad cætera impedimenta rollatur, addit hæc verba: *Dummodo illa impedimenta non sint introducta lege Diuina, sed solum introducta lege Ecclesiastica.* Quinam verò sint gradus à Diuina, seu naturali lege prohibiti, qui verò non, discordant, & conueniunt Doctores : conueniunt, quod tali iure prohibeatur patres, & matres cum filijs, & filiabus nubere; discordant quod fratres cum sororibus nubere tali iure prohibeantur, ac ex consequenti cùm soli gradus Diuina lege prohibiti matrimonium impediant, nec sint alij ab istis, illa lege prohibiti, poterunt dicti Regulares in omnibus alijs gradibus, & impedimentis in contracto matrimonio dispensare; cùm sint tantùm iuris Ecclesiastici impedimenta : & ita tenent Portel. in addit. ad verbum matrimonium, & Roder. tom. 1. q. 35. art. 4. arbitrantes gradum fratris cum sorore esse prohibitum lege Diuina, alij tamen contrarium sentiunt, vt Sanchez cum aliis quos lib. 7. de matrim. disp. 52. n. 10. & sic iuxta illos possunt in contracto matrimonio inter fratrem & sororem dispensare.

Secunda propositionis pars, videlicet quòd Regulares possint sponsos matrimonio iungere, probatur sufficienter à Sanche lib. 3. de matrim. disp. 26. n. 1. à Roder. tom. 1. citata quæst. & Portel. verb. matrim. & in addit. ad idem verbum, qui modum obseruandum à Regularibus in huiusmodi facultatis exercitio præscribunt. Nec propterea Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. vbi receptum est pœnas incurrere, nec excommunicationem iuris Clementin. cap. 1. de priuileg. nec similiter illas incurrere Regulares extra illa loca, dum sunt Parochi, vt prædicti Doctores notant, nec etiam alij Regulares non Parochi extra illa loca seculares matrimonio iungentes, si non solemnizant matrimonium cum benedictione nuptiali, vt tradit Roder. tom. 3. quæst. 2. art. 1.

Præmissis adiungas velim 1. Prædictos Regulares, vt supra in partibus infidelium posse cognoscere de causis matrimonialibus ex concessione Leonis X. Bulla præcitata

Digitized by Google

his verbis, *Vt de causis matrimonialibus quas in partibus illis ad audientiam nostrā deferre deberent legitimè cognoscendi, & discordantes interse concordare*: quæ autem sunt illæ causæ matrimoniales Thomas à Iesu, de conuers. omn. gent. verb. matrim. docet esse diuortia, adulteria, & similia, de quibus Regulares in illis partibus cognoscere possunt, & aduertit cum Sanchez lib. X. de matrim. disp. 19. n. 1. illos debere hac facultate vti simpliciter, & de plano sine tabellione figura & strepitu iudicij, modò pro viribus nitantur de veritate certiores fieri: & insuper illi duo Doctores citati addunt Regulares, quibus Neophitorum cura commissa est à suis Prælatis: habentque assensum Episcopi ad vtendum priuilegiis sibi concessis circa infideles, posse in dictis causis tamquam iudices in vtroque foro procedere, oportere tamen illos sine strepitu iudicij ferre sententiam.

Adiunge 2. posse prędictos Regulares deputatos, vt supra in partibus Angliæ, Æthiopię, Brasiliæ, & aliis Indiarum Regionibus dispensare cum quibuscumque vtriusque sexus fidelibus dictarum regionum incolis & seruis ad fidem conuersis, qui ante baptisma susceptum, matrimonium in gradibus prohibitis contraxerant, vt in eodem permaneant.



CAPVT IV.

DE PRIVILEGIIS REGVLARIVM CIRCA PORTIONIS CANONICÆ SOLVTIONEM, HORARVM CANONICARUM recitationem, Ieiunium, Processiones, & Præcedentiam eorumdem in illis faciendis.

PROPOSITIO I.

NOn tenentur Regulares soluere funeralem portionem Canonicam.

Ostendimus in tract. de exemptione sæculares posse sibi eligere sepulturam in locis Regularium, & reciprocè Regulares posse illos ad hunc effectum recipere quocirca circa hanc facultatem nihil penitus examinandum superest; sed dumtaxat si Regulares ipsos sepelientes portionem Canonicam soluere teneantur, quod facili negotio fiet, portio autem Canonica dicitur quædam pars, quæ iure debetur Episcopis, seu Ecclesiis Parochialibus, aut aliis, à quibuscumque de rebus prouenientibus illis aliqua ratione, diciturque Canonica portio ex eo, quod sit à Canonibus approbata, ac iure Canonico debita, vt post Syluest. verb. Canon. portio, qui tos ad hos citat Canones, docet Miranda in man. tom. 2. q. 48. art. 1. Concl. 1. Prædicta autem Canonica portio, duplex est: vna est debita Episcopo ab omnibus Ecclesiis totius diœcesis de omnibus relictis seu legatis factis eisdem à Parochiano, de

qua in præsenri non est quæstio; cùm ex multis Pontificum concessionibus ab illa eximantur Regulares, vt praxis docet: altera debita Parorhiali Ecclesiæ de relictis à Parochiano, vel aduenientibus ratione funeris illi loco, in quo elegit sepulturam, vt tradunt pręcitati Doctores cum multis alijs. Hanc autem iustitiam debitam Parocho, seu portionem funeralem nuncupatam agnoscimus quę pro varietare sæculorum, temporum, regionum & consuetudinis diuersa est vt constat ex Leone 3. cap. *Nos instituta* de sepult. *Nulli tamen negamus propriam elegere sepulturam, & etiam alienam, dominus enim & magister alienam elegit, vt propriam; sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui judicij illi Ecclesia dari censemus, in qua cælesti pabulo refici consueuit: vt iuxta Apostolum sint consolationum socij, vt fuerint passionum: & sic demum vbicumque libitum fuerit eligat sepulturam*: successiuè tum illa constitutio, tum aliæ aliorum Pontificum visæ sunt Clemenri III. difficiles; quocirca illas ad rationabilem consuetudinem reduxit, quam & non illas voluit obseruari cap. *Certificari* eodem tit. his verbis. *Cùm autem super hoc articulo diuersa antecessorum nostrorum manauerint instituta, Leone Iustitiam illam, quandoque tertiam partem, quandoque mediam, & Vrbano quartam censentibus, nos tale præbemus, in hac varietate responsum, vt secundum rationabilem consuetudinem Regionis, illa iustitia circa medietatem, vel tertiam, vel quartam pro locorum diuersitatibus attendatur.* Verùm cùm Ius consuetudinis portionem illam Canonicam suscipiendi, diuersum esset, & pro libito Parochorum exigeretur, aliquibus maiorem, alijs verò minorem portionem exigentibus iurgia & dissentiones non leues inter dictos Parochos & Regulares & alios exortæ extiterunt: vnde vt illis finem imponeret Alexander III. in Concil. Lateranensi, restituendo Clementis III. constitutionem statuit vt tumulantes defunctos in aliena Ecclesia darent illorum Parochis tertiam partem funeralium. Accipe verba Concilij tit. de sepult. *Tertiam partem iudicij defuncti illi Ecclesiæ, à qua cælesti pabulo fuit refectus*: sed cùm hæc taxatio exortam querelam non extinxisset, ideò Bonifacius VIII. constit. inchoata. *Super Cathedram* de sepult. extra portionem illam debitam Parochis pro Parochiano tumulato in Ecclesiis Regularium de funeralibus quæ cùm corpore defuncti solita sunt deferri ad 4. partem taxauit: successiuè Benedictus XI. constit. quæ incipit. *Inter cunctas*, de priuileg. extrau. attenta fratrum Prædicatorum & Minorum, de quibus agebatur paupertate, adductisque ex iure Ciuili & Canonico aliquibus rationibus dictam constitutionem Bonifacij abrogando, mediæ funeralium Parochis soluendæ subiecit, in aliis à defuncto relictis 4. soluenda, penitus eximendo, sicut antea [vt ipse asserit] Romani Pontifices illos exemerant, sed cum non quiescerent Parochi & circa illam portionem Canonicam varias contentiones in Regulares iterum commouerent Clemens V. in Concil. Generali Viennensi, dictam constitutionem Bonifacij innouauit in qua hęc verba habentur. *Auctoritate Apostolica constituimus & ordinamus eadem, vt doctorum ordinum fratres, de obuentionibus omnibus tam funeralibus quàm quibuscumque & quomodocúmque relictis &c. quartam partem quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus Parocialibus sacerdotibus & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis largiri integrè teneantur.* Hæc tamen constitutio in quibusdam orbis Ecclesiastici Prouinciis minimè recepta fuit, vt Lutetiæ Parisiorum & Tolosæ, & in aliis in quibus media pars funeraliũ Parochis à Regularibus soluitur, iuxta Caput *Inter cunctas* de priuilegijs extra in aliis autem aliter actum est, vt Lemouicæ in qua Regulares nihil soluunt, in locis verò quibusdam strictè à principio recepta & obseruata fuit, non sine Regularium eorumdem molestia, & vexatione quæ ad Pontifices Romanos delata Regulares à dicta 4. (reuocata constitutione Clementis præfata) exemerunt, sicut refertur in Compend. priuileg. Mendic. Nam Nicolaus V. fratres de Carmelo cum reuocatione dictę constitutionis Clementis exemit sic Iulius II. & Leo X. fratres Minimos, & denique cæteris Regularibus omissis, qui ab illa exempti fuerunt per alios Pontifices Sixtus IV. fratres Prędicatores & Minores exemit, vt habetur etiam eodem Compend. verbo exemptio §. 22. & in 1. lib. monumenta nuncupato fol. 61. & 145. concess. his verbis: *Inhibuit locorum ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suorum Ecclesiarum, ac Rectoribus ac alijs quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ & priuationis earumdem Parochialium Ecclesiarum ac omnium aliorum bene-*

fiotarum Ecclesiasticorum qua obtinent: necnon inhabitationis ad ea & alia imposterum obtinenda pœnis ex ipso per ipsos, qui contra fecerint incurrendis: ne Ordines fratrum Prædicatorum & Minorum, & illorum domos, & Professores, aut testamentorum, vltimarumque voluntatum executores, seu quoscumq; alios directè vel indirectè ad solutionem cuiuscumque quarta Parachialis, seu Canonica, vel alterius portionis, seu oneris, dum apud ipsos fratres decendentium corpora tumulantur, vel post eorum sepulturam cogant, atque hanc concessionem seu exemptionem referendo confirmat Leo X. Bulla quæ incipit; *Exponi nobis* cuius authenticum seruatur in conuentu Recollectorum Burdigalæ; ac posteà Alexander VI. Bulla quæ incipit, *Sacra Religionis* in qua postquam communicationem omnium priuilegiorum ordinibus mendicantibus concessorum dictis Minoribus fecit, sic pronunciat Pontifex: *etiam quoad exemptionem à solutione 4. locorum Ordinarijs & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus debita, à qua vos potiori pro cautela eximimus hactenus concessis &c.* Expresse etiam illam ex certa scientia confirmauit Paulus IV. Bulla quæ incipit: *ex Clementi* cùm clausula reuocatoria dictæ Clementinæ *dudum*, edita tribus annis ante confirmationem Tridentini ab eodem Pontifice factam huius tenoris: *personas, monasteria, domos, Ecclesias, & loca fratrum Minorum ab impositionibus, grauaminibus, oneribus, quarta & quinta etiam funeralium, & aliorum quorumcumque eu Legatorum, oblatorum, & concessorum pro tempore &c. libera penitus, & immunia, & exempta existere auctoritate, & tenore prædictis etiam concedimus & indulgemus, ac statuimus & ordinamus:* ac proinde iuxta hanc exemptionem Rota Romanæ Curiæ ante Trident. in causa inter Episcopum & Capitulum Ecclesiæ Zamorensis ex vna, & fratres Minores de Obseruantia S. Francisci ex altera partibus sententiam diffinitiuam executorialem in dictorum fratrum fauorem pronunciauit, & sic à quartæ solutione liberauit, vt refertur in Compend. priuileg. Mendic. verb. *Canonica portio* post supplementum Ordinis Minorum, fol. 77.

His tamen nonobstantibus certum est nec Clement. *Dudum* quoad sepulturas, nec prædictam exemptionem vbique fuisse in vsu omnibus locis vt Tridentinum manifestè supponit cap. 13. sess. 25. quocirca statuit 4. in posterum soluendam, dum sic pronunciat: *Decernit sancto Synodus quibuscumque in locis, tam ante annos 40. quarta qua funeralium dicitur Cathedrali, aut Paraciali Ecclesia solita esset persolui; ac postea fuerit ex quocumque priuilegio aliis monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem post hac integro iure & eadem portione, que antea solebat Cathedrali, seu Parachiali Ecclesia persoluatur nonobstantibus concessionibus, gratijs, priuilegijs, etiam mari magno nuncupatis, aut alijs quibuscumque.*

Vbi aduertendum est 1. hanc 4. non deberi Ecclesiis à 40. annis circa Tridentinum id est ab anno 1523. ædificatis; & sic Pius V. Bulla inchoata: *etsi mendicantium* interpretatus est illud cap. Trident. Dum pronunciat: *quartam autem funeralium; de qua sess. 25. cap. 13. Nequaquam soluere teneantur monasteria qua à 40. annis circa fundationem existunt, postquam Concilium ipsum tantum loquitur de monasterijs ante annos 40. fundatis qua ipsam 4. soluere consueuerunt:* sic etiam congregatio Cardin. declarauit decreto, quod in libello declarat. per Gallemart, & in Compend. priuileg. Fuliens. verb. Concil. Trident. §. 58. reperitur huius tenoris. *Sacra Congregatio censuit hoc decreto non comprehendi monasteria ædificata à 40. annis, aut qua in dies ædificantur, aut in futurum ædificabuntur, præsupposito quod eiusmodi monasteria sint eius Religionis, cui à sede Apostolica indultum sit vt 4. funeralium Episcopo, vel Parocho soluere non teneantur:* sic etiam Rota in causa Luciensi in fauorem Theatinor. XV. 1618. an. & antea in causa Hispalen. in fauorem fratrum Prædicatorum 4. Iunij 1590. de quibus Sreph. Gratian. discept. Forens. cap. 925. à princip. sic denique contrariè partibus auditis determinauit Clem. VIII. in causa inter Parochum Ecclesiæ S. Mariæ Delpino ciuitatis Barcinonens. ex vna; & Carmelitas Discalceatos ex altera partibus Bulla quę incipit, *quod semel.*

Animaduertendū est secundò 4. in vi Trident. debere tantùm solui ab Eccl. quibus ante ipsum solita erat persolui, & non ab illis, quę huiusmodi consuetudini non erant astrictę; & insuper quod illud Ius non tribuitur Ecclesiis, aut Parochis earumdem ratione paupertatis aut ministerij Sacramentorum; sed tantùm consuetudinis occasione: huius sententiæ videlicet quòd 4. non debeatur nisi ratione consuetu-

consuetudinis etiam post Tridentinum ab Ecclesiis antea ædificatis, & quod posteà ædificatis ab nullatenus debeatur, vt suprà tenent Roder. to.1.qq.RR.q. 39.art. 2. Archang. Caracc. de 4. funer. cap. 1. Gutier. de Iuram. confirmat p. 2 c.4. n.3. Portel.in addit.ad verb. Canon portio, & alij. Fauetque admodum huic sententiæ confirmatio illius priuilegij à Paulo V. in fauorem Carmelitarum quam citat Marcell. & S. Bened. verb. exemptio §. 20. qui illius est sententiæ, in qua *Inhibetur omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, cæterisq; quibuscumque personis in virtute S. Obedientiæ ne ab illis 4. funeralium exigere audeant vel præsumant.*

Quocirca cùm illa consuetudo vix probari valeat de 4. funeralium ante Tridentinum soluta potius præsumendum est quod non fuerit. Quoniam vt supra diximus extabant priuilegia cum clausula Clementinæ *Dudum* reuocatoria, sæpius antè ac etiam post Tridentinum currente præscriptionis tempore confirmata, quæ præscriptionem seu consuetudinem in præiudicium priuilegij introducendam impediunt, vt alibi probauimus.

Obijcies, solutio 4. funer. est signum obligationis illam soluendi Regulares autem Ecclesiæ sunt in vsu illam soluendi, ergo illam ex vsu soluere tenentur. Accedit quod placita supremorum Senatuum sunt in fauorem illius solutionis, etiam vbi Tridentinum non viget.

Respondetur pacis conseruandæ studio illam Ecclesias Regulares soluere, quarum mos, cùm sit vnius, aut alterius monasterij, non facit consuetudinem, cùm vnum monasterium non possit iuri totius Religionis, quale est illud priuilegium, renunciare, vt docent Suarez & Roder. proximè citandi: quod etiam verum est, quamuis ille mos soluendi 4. spatio 40. annorum in illo monasterio cucurrisset, imò quod maius est etiamsi ordo aliquis vniuersaliter toto illo 40. annorum spatio eo more soluendi 4. vsus fuisset, contra, bona & iura Regularium non currit nisi centenaria præscriptio vt ex Bulla Eugen. IV. inchoata: *Ex Apostolicæ sedis* confirmatiua alterius Bullæ Honorij III. cuius initium *cùm aliqua tibi* concessæ monasterio S. Pauli extra muros vrbis Romę, & postea vniuersæ Congreg. S. Iustinæ communicatæ docent cum aliis Miranda tom. 2. q. 48. art. 13. Barbosa part. 3. cap. 25. n. 35. Roder. tom. 1. quæst. 8. art. 2. & tom. 3. quęst. 51. art. 5. Portel. verb. priuileg. cessatio n. 58. Ioan. de la Cruz lib. 2. Epit. cap. 3. dub. 2. Concl. 2. innuit Suarez tom. de legib. lib. 8. cap. 35. & clarè n. 21. & quod excellentius est, non quælibet præscriptio centanaria sufficit; sed requiritur ad abrogandum priuilegium per huiusmodi præscriptionem præter defectum confirmationis priuilegij, de qua suprà, primò scientia in illo Ordine illius priuilegij contra quod præscribitur, 2. quod nolit illo vti, 3. quod vsus aduersus illud non contra dicat, vt in 1. tract. diximus; quomodo autem fieri possit prescriptio cum huiusmodi conditionibus, quarum vna deficiente interrumpitur: non video? sed esto, quod fiat illo modo præscriptio; non propterea priuilegium cessat ex concessione Eugen. IV. Bulla inchoata: *etsi ex debito ministerij* Congregationi S. Iustinæ facta, quam in dicto tract. retulimus, ad quem Lectorem remittimus, & sic patet Responsio ad obiectionem, videlicet ex vsu soluendi 4. non colligi in Ecclesiis Regularibus obligationem illam soluendi.

Ad confirmationem verò, Respondetur placita illa iuxta consuetudinem & vsum emanasse; non tollere tamen priuilegium vt apertè concessit Ioan. XXIII. monachis Congregationis Montis Oliueti priuilegio à Marcell. & S. Bened. in Compend. priuileg. Fuliens. verb. priuileg. §. 9. & à Roder. tom. 3. qq. RR. q. 35. art. 3. relato huius tenoris: *Si quæ læsio facta sit per quo suis cuiussuis status, quocumque modo vel forma, vel in futurum fiat personis, iuribus, & rebus, ac bonis dicta Congregationis ipso iure non tenet, nec est opus restitutione in integrum pro læsione huiusmodi impetrare.*

Instabis: ergo inde sequeretur illud Tridentinum decretum suo effectu carere. Respondetur non esse necessarium vt omne decretum Tridentini habeat effectum, habere tamen hoc, in illis monasteriis qui prædictis priuilegijs non gaudent: & in quibus currente 40. annorum spatio præscribitur si illis 40. annis ante Tridentinum soluerant 4. & posteà illa 4. ex priuil. monasteriis Hospitalibus &c. soluebatur, non verò in vi Tridentini aliter soluenda; ac propterea cùm per pauca extent monasterio

in quibus translatio quartæ in alium locum ex priuilegio facta fuerit, inde concluditur pauca hoc onere ligari. Fateor tamen in Gallia in qua Tridentinum non viget, contrarium in aliquibus funeralibus de quibus infrà per se sicut & de hac propositione ex occasione dicemus, practicari.

PROPOSITIO II.

Posito quòd Regulares non sint absolutè exempti à portione Canonica soluenda; exempti tamen verè sunt in omnibus, exceptis funeralibus in die, quo defunctus in eorumdem Ecclesiis tumulatur: de candelis tamen, quas in manibus eo die deferunt: & de relictis pro missis dicendis potionem date non tenentur.

De quibus 4. Funeral. non erat soluenda, iure antiquo determinatum est per Greg. IX. vt habetur cap. 20. de Testam. *De his, quæ in ornamentis vel pro eis, seu fabrica, luminaryis, anniuersario, septimo, vigesimo, tricesimo die, siue alys, quæ ad perpetuum cultum legantur Ecclesiis, vel reliquis pys locis Canonica portio (dummodo in fraudem non fiat vt ea Episcopus, seu Paracialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debet.*

Successiuè ab Innocent. III. de quibus esset soluenda 4. de quibus verò minimè, conclusum est in cap. *In nostra præsentia* de sepult. *Talem duximus super his sententiam proferendam &c. quod tunc Paracialis Ecclesia, de obligationibus Lectis & alys, quæ defunctus pro anima sua in vltima dispositione reliquit, præterquam de equis, & armis recipiat quartam partem*, & vt cætera in materia hac decisa omittam Clemens V. in Concil. Vienn. vt habetur Clemens. *Dudum* de sepult. renouando constitutionem Bonifacij VIII. super hac materia editam sic decernit: *auctoritate Apostolica constituimus & ordinamus eadem, vt dictorum Ordinum fratres de obuentionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis distinctè vel indistinctè ad quoscumque certos vel determinatos vsus de quibus etiam siue Canonica portio dari, siue exigi non consueuit, vel non debet iure: nec non de datis vel qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis vel dantis, de qua decesserit, quomodocumque directè vel indirectè fratribus ipsis vel alys pro eisdem 4. partem quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus Paracialibus sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis largiri integrè teneantur:* quibus videtur ex iure portionem Canonicam de omnibus quæ causa defuncti in Ecclesiis Regularium sepulti, deque donatis eisdem Regularibus à defuncto in infirmitate, seu articulo mortis existente deberi; ac proinde de candelis, quas fratres portant in manibus & de ijs quæ legantur pro missis, vt censet Glosa in dictam Clement. versu *Funeralibus*, his verbis. *Puto etiam de illis candelis deberi: & licet hoc sit rigorosum, hoc tamen* vult ista litera & verbum *omnibus* quod præcedit: & *quibuscumque* quod sequitur: *per hæc verba etiam puto eos teneri de ijs, quæ legantur pro missis dicendis.* Hęc Glosa.

Verùm de illis omnibus non deberi manifestum est tum ex iure tum ex priuilegijs: cum ex consuetudine: ac 1. ex iure sic enim habetur extrauag. *Inter cunctas* de priuileg. *de quibuscumque verò relictis præfatis partibus in communi, vel singulis vltimis decedentium voluntatibus siue apud eos sepeliendi sint, siue alibi nulla Paraciales sacerdotes morientium, à qua fratres ipsos liberos esse volumus, Canon. portio, vel multo minus per Episcopos Episc. quarta omnino, cùm eis tamquam exempti non subsint: nec etiam debita iure paræcia, si forsan Cathedralis, defunctorum esset Paracialis Ecclesia, detrahatur. De funeralibus autem medietatem, si commodè diuisionem recipiant. Aliàs eiusdem medietatis æstimationem soluant Parœciali Ecclesiæ & sacerdotibus antedictis, funeralia verò intelliguntur hoc casu quæ cum funere deferuntur. De candelis verò, quas fratres portãt, portio non petatur*: sic Benedictus XI. quibus vides plurima ac constitutione in iure inserta extra tit. de priuileg. qui posterior est titulo Clementinorum de sepult. in quo constitutio *dudum* quæ post illam edita est collocatur, esse decisa; cùm autem iura iuribus

Digitized by Google

ribus quantùm fieri potest cùm aliqua significatione verborum etiam impropria componenda sint, vt correctio Iuris viteтur, sicut latè diximus in tract. de Prædicatoribus, ideò hæc constitutio Clementis V. cum constitutione Benedicti XI. quæ præcesserat componenda, nisi in his, in quibus contrarietas manifesta reperitur, vt verbi gratia in taxatione Canonicæ portionis funeralium; nam 1. hæc expresse taxat illam ad mediam partem: illa verò ad quartam. 2. hæc taxat illam suscipiendum de solis funeralium relictis: at illa tum de his, tum de aliis. 3. hæc excludit in funeralibus portionem Canonicam candelarum, quas fratres assistentes funeri portant in manibus: illa autem de hac portione nihil ponit: debet ergo iuxta hanc Benedicti XI. constitutionem interpretari: ac proinde per illam Clementinam Regulares non obligari nisi ad solutionem portionis Canonicæ à dicta Extrauag. taxatæ; cùm hæc taxatio possit commodè cum dispositione dictæ Clementinæ concordari: verùm ponamus quod Clementina vniuersaliter sit intelligenda de omnibus; attamen per priuilegia manifestè arctata est, ac 1. occurrit concessio Nicolai V. quæ refertur in Compend. priuileg. Mendic. §. 5. & habetur in mari magno Clementis IV. quod incipit: *virtute conspicuos* emanato in fauorem Minorum, cuius authenticum seruatur in conuentu Recollectorum Burdigalæ his verbis: *Concedimus vobis, vt de his quæ in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabrica, luminarijs, anniuersario: septimo, vigesimo, tricesimo, aut alijs ad perpetuum cultum Diuinum seu pro pitancijs, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis: nec non pro annuis censibus redimendis &c. nulli Canonicam iustitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere: & ne qui à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumant districtiùs inhibemus.*

Hæc Pontifex: quibus adde quod Innocent. IV. & Alexander. IV. hæc eadem Præfato Ordini concesserant, sicut à pluribus Pontificibus alijs Ordinibus concessa etiam fuerunt, vt videre est in dicto Compend. & in mari magno cuiuslibet Ordinis, quorum omnium verba hic inserere esset superfluum, quo circa afferam tantùm verba maris magni Minorum à Sixto IV. emanati, cum clausula reuocatoria eiusdem Clementinæ *dudum* & aliorum contrariorum & confirmatione præfatæ concessionis Clementis. IV. huius tenoris. *Si verò non apud eos, sed alios mendicantium Ordinum Professorts corpora ipsa contingeret sepliri, ex his quæ ad fratres prædictos, apud quos tunc corpora ipsa non sepelirentur, de bonis defunctorum quomodolibet obuenient, nullam Canonicam, aut Parochialem portionem dare teneantur: nec etiam similiter aliqua portio debeatur de ijs, quæ ad certos & determinatos vsus eisdem fratribus, vel eorum domibus in genere, vel in specie etiam de bonis ipsorum, quorum corpora apud eos contingeret sepeliri: nec etiam in casibus, in quibus per eiusdem Clement. & aliorum prædecess. nostrorum specialia priuilegia fratres ipsi ab huiusmodi solutione 4. sunt exempti: nec aliquo casu de candelis, quæ ad manus fratribus dantur 4. aliqua quomodolibet detrahatur.*

Accedit post Tridentinum Pij V. declaratio, Bulla sæpius citata *etsi mend.* qua & prædictas concessiones confirmat, & ostendit in quibus mendicantes Regulares eximantur à portione Canonica soluenda: accipe verba illius: *Et vbi solui consueuit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de missis seu legatis, vel alijs fratribus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis solui debet; sicque intelligi Concilij decretum quoad 4. huiusmodi soluendam debere decernimus: vbi verò non est consuetudo soluendi 4. huiusmodi, de nullo supra scriptorum solui debere declaramus: Nec ad 4. seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum & aliorum; quæ dictis Ecclesiis relinqui vel dari contigerit, etiamsi pro vestibus, vel aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur:* sic Pontifex cuius Bulla adhuc viget, qui adhibet clausulam derogatoriam Conciliorum generalium, ac etiam Tridentini. Quod suo decreto quoad hanc portionem priuilegia Regularium non reuocauit, vt censuit Congregatio Interpretum eiusdem Concilij teste Flauio Cherubino tom. 1. Bulla XI. Iulij 11. & Quaranta de priuileg. Regular. verb. priuilegia.

Quibus omnibus manifestè constat 1. Regulares non debere portionem Canonicam de eis relictis à defuncto, si in eorumdem Ecclesia non sepeliatur. 2. non

Digitized by Google

debere illam de ijs, quæ à defuncto in dicta Ecclesia tumulato data sunt ad certos & determinatos vsus. 3. non obligari ad illam soluendam in casibus, in quibus à Clemente IV. & alijs Pontificibus exempti fuerunt, videlicet à solutione portionis Canonicæ, ornamentorum & cæterorum, de quibus supra: & sic quoad hos 3. casus censent Roder. tom. 1. qq. RR. quæst. 39. art. 2. ex præmissis declarat. Pij, & Congreg. & alijs ibi citatis Miranda tom. 2. q. 48. art. 7. Portel. verb. Canonica portio n. 5. Casarub. in Compend. priuileg. Mendic. & alij. 4. Non teneri ad illam soluendam de candelis, quas fratres portant in manibus, sicque existimant Sorbus in Compend. priuileg. verb. Canonica portio, Piasecius in praxi Episcop. part. 2. c. 3. de visit. Regul. §. *funeralium etiam*, pag. 190. Barbosa de offic. & potest. Parochi, part. 3. c. 25. n. 39. Portel. verb. Canonica portio n. 5. & alij infra citandi. 5. non teneri illam soluere delegatis seu datis promissis, & officiis defunctorum dicendis; sic tenent præcitati. 6. nullatenus debere, vbi non est consuetudo illam soluendi. 7. obligari tantum illam soluere vbi est consuetudo, de ijs quæ solo die funeris dum corpus tumulatur, deferuntur, & hanc sententiam sustinent Molina de Instit. tract. 2. disput. 215. n. 4. Syluester in summa verb. Canonica portio n. 7. & 15. §. 3. Petrus de Vbaldis de Canon Paroch. cap. 4. n. 10. Roder. tom. 1. qq. RR. q 39. art. 2. Archang. Caraccia de 4. funerali cap. 3. vers. *forsan* fol. 45. Guttier de Iuram. confirmat. punct. 2. c. n. 3. Ioan. de la Cruz de stat. Relig. pag. 2. cap. 9. dub. 5. Concl. 3. necnon S. Congreg. Cardinal. teste Portel. part. 2. cas. 12. n. 3. gaudent autem Moniales participantes priuilegiis Regular. hoc priuilegio, & præcipuè S. Claræ, S. Catharinæ Senensis, & S. Theresię seu Carmelitę, & hæ duæ posteriores licet subijciantur Ordinario loci, vt constat ex Bullis authenticis, quæ extant in monasteriis earumdem Burdigalæ.

Nec hęc priuilegia vllatenus reuocata fuerunt, imò sæpissimè motu proprio & ex certa scientia confirmata, & nouissimè ab Vrbano VIII. Bulla inchoata: *In plenitudinem* de anno 1625. in qua expressè mare magnum Dominicanorum, in quo etiam expressè hoc priuilegium habetur, confirmat. Idque ostendit vsus; non enim solent Parochi; nisi cereorum in die funeris delatorum: nec omnium, sed tantùm eorum, qui offeruntur, qui à pauperibus deferuntur, qui supra altare, & circa tumulandum accenduntur; non verò eorum qui in manibus Regularium gestantur.

Petes 1. num. 4. debeatur Parocho, eo die quo fiunt solemnes exequiæ si 4. habuit eo die, quo defunctus tumulatus fuit, est enim in aliquibus locis consuetudo reprobanda, quæ obtinuit, vt eum paucis cereis deferatur corpus defuncti & sic tumuletur: & solemnes exequię ad diem crastinum, vel alium remittantur faciendæ. Respondetur onerosam esse Regularibus solutionem portionis Canonicæ; ac propterea non esse extendendam vltra terminos legis onerosæ, qui cùm obligent Regulares ad solutionem oneris cereorum, qui in die funeris dum corpus tumulatur, deferuntur, ad aliud tempus non sunt extendendi.

Petes 2. cui soluenda sit portio Canonica dum dubium est si debeatur Episcopo vel Ecclesiæ Cathedrali, vel Parocho. Respondetur illam soluendam esse Parocho; nam licet iam non debeatur ei, nisi in vi consuetudinis, tamen illa consuetudo ortum habuit à paupertate Parochi, & ab administratione Sacramentorum; ac proindè ex suaptè natura debetur ei, ex causa onerosa, aliis verò ex causa lucratiua, potior autem est conditio ex causa onerosa: sic post alios tenet Barbosa citatus n. 35.

Postulabis 3. num Regulares possint exhumare cadauera mortuorum sæcularium in suis Ecclesiis aut cæmeteriis sepultorum, & in aliud sepulchrum transferre. Respondetur posse sine licentia Episcopi & consanguineorum, si tradita fuerunt, vt in quocumque loco vellent ea inhumarent, seu si elegerint sibi sepulturam, & in perpetuum in illa inhumata sunt, tunc enim hæredum consensus requiritur, non Episcopi, vt constat ex concessione Leonis X. inter oracula viuæ vocis illius quinta, & sic tenent Villalob. tom. 2. tract. 31. diff. 6. n. 4. & Diana de dub. Regular. tract. 2. resolut. 20. si autem tradita sunt sepulturæ ad tempus, vt ad aliam Ecclesiam transferantur tunc temporis sine licentia Episcopi exhumare possunt, vt ad illam transferantur. Nec obest cap. *Corpora sanctorum* de consecrat. quoniam vt Præfati Doctores notant intelligitur de perpetuæ sepulturæ traditis, quod autem possint ex hu-

mare cadauera Regularium sibi subditorum dubium non est.

Num autem aliis priuilegiis, quatenus sacerdotes, gaudeant Regulares in Hierarchia Ordinis videat vnusquisque in Compend. suorum priuilegiorum, si verò diaconi, subdiaconi, & 4. Minoribus & tonsura insigniti prֽter facultatem baptizandi alia potiantur. Certum est potiri ac 1. non ex priuilegio; sed ex officio, scilicet exorcistas & à fortiori sacerdotes, diaconos & subdiaconos qui absque licentia Episcopi possunt dęmoniacos exorcismis cogere. Vt docet Diana, tract. 2. de dub. Regular. resolut. 36. post Sanchem in prę cepta decalo. cap. 42. n. 18. & Portel. in dub. Regular. verb. exorcismus, qui etiam id asserunt de sęcularibus; nisi quoad hos Episcopus prohibeat, nam illius prohibitio Regulares non ligat. 2. omnes illi ligati vinculo recitandi Horas Canonicas gaudent quoad hoc aliquibus priuilegiis, quæ per sequentes propositiones explicabuntur.

PROPOSITIO III.

Lectoris munus optimo iure in Ecclesia Dei à Regularibus exercetur.

Constat ex antiquis Patribus & Doctoribus Lectoris officium esse triplex: videlicet 1. populo in Ecclesia congregato libros Sacros legere, quod munus Gallus, & Iulianus Imperator Apostata, Patrueles Constantij Augusti humiliter susceperunt, & magno animi feruore exercuerunt, vt narrat Nanzian. orat. 1. in Iulian. dum sic loquitur. *Adeò vt diuinos quoque libros plebi lectitarent: non minùs id sibi amplum, & honorificum esse existimantes, quàm aliud quiduis.* 2. fruges benedicere. 3. cantare in Ecclesia. Sed omissis 1. & 2. officiis, quorum vsus ferè inoleuit, de 3. in hac proposi. est sermo, quod in duo diuiditur in cantare Psalmos, & in cantare Missas, aliaque Diuina officia, quæ ab vno & eodem exercentur; & ille, qui hoc munus agebat antiquitùs in Ecclesia Lector, Cantor, aut Psalmista, seu Doctor Psalterij vocabatur.

Eius institutio ab Episcopo pendebat, vt habetur Constit. Apostol. lib. 3. can. 11. *Non permittimus presbyteris ordinare Diaconos, diaconissas, lectores, aut ministros, aut cantores &c. Sed solis Episcopis, hic est enim ordo & harmonia Ecclesiastica.*

Eligebatur iuxta Canon. 15. Concil. Leodic. ex Clericis seu tonsuratis cuius verba sunt hęc. *Non oportere prater Canonicos*, seu vt vertit Zonaras in eum locum, *in Clerum ascriptos cantores qui suggestum ascendunt & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*, consentiunt huic modo eligendi Canon 33. Concil. Trullan. & responsa Synodi cuiusdam C. P. ad Monachorum interrogationes; quocirca maximæ insolentiæ vituperata fuit consuetudo Ecclesiæ Alexandrinę, quæ ex fidelibus & ex Cathecumenis cantorem indifferenter assumebat, de qua Sorrates lib. 5. Histor. Ecclesl. cap. 21.

Porrò tanti fiebat antiquitus Psalmorum modulatio vt Dionis. e. Ecclesl. in contemplat. omnibus ferè Pontificiis ministeriis essentiæ instar esse; & necessario adhiberi, & ab eo, quod sanctitate præstat omnibus abesse non debere pronunciet. Psalmodiam aliosque in Ecclesia solitos à Cantoribus fieri Angelicis cantibus comparat Cyrillus Hierosolimit. Catech. 13. *Sciant hoc studiosi Ecclesiæ Psalmista, qui Angelicos imitantes exercitus semper Deum laudibus celebrant, qui digni habiti sunt in hoc sancto Golgota psallere, diniserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

Eamque præfert Amalarius de Eccles. offic. lib. 3. cap. 3. musicis veterum instrumentis, dum sic fatur. *Nostri cantores non tenent cymbala, neque Lyram, neque citharam manibus, neque cætera genera musicorum; sed corde quantò cor maius est corpore, quantò deuotius exhibetur, quod per cor fit, quàm per corpus ipsi cantores sunt tuba, ipsi psalterium, ipsi cithara, ipsi tympanum, ipsi chorus, ipsi chordæ, ipsi cymbalum, ipsi cymbala.*

Inuentam denique Psalmodiam seu Cantum in Ecclesia à B. Ignatio narrat Sorrates lib. 6. Histor. Eccl. cap. 8. qui ex Angelico Trisagio diuinitùs reuelato, Antiochenis alternantem tradidit Psalmodiam; quę in vniuersum deinde orbem propa-

Digitized by Google

gata est maximè in monasteria Clericorum Regularium S. Augustini, & Monachorum & aliorum Regularium qui hanc ex suis institutis præceptam habent, vt omnibus manifestum est.

Cæterum ex Durando in Ration. diuin. Offic. tract. 5. cap. 2. Hæc Psalmodia, & cantus diuinorum offic. in Eccl. initio varius & diuersus erat, nam diuersi diuersa pro arbitrio suo canebant, dummodo quod cantabant ad Dei laudem pertineret, & in paucis, videlicet in Oratione Dominica, Symbolo Apostolorum, & quibusdam aliis à Christo, vel Apostolis institutis conueniebant. Successiuè verò Ecclesia propter hæreses scissa Theodosius Imperator hæreticorum extirpator Damasum Pontificem rogauit, vt per aliquem Ecclesiasticum officium faceret et ordinare : cuius precibus annuens Hieronymum in Bethleemo morantem ad hoc opus destinauit, expletumque ab eodem & Romam Missum atque à Damaso approbatum, & denique vt obseruandum ab omnibus publicatum, ipsi Damaso ob auctoritatem interpositam, appropiatum fuit. Post ipsum verò Gregor. & Gelasius orationes & cantus addiderunt : & Lectionibus & Euangeliis responsoria coaptauerunt : Gradualia autem, Tractus & Alleluya Ambrosius & proximè dicti Gregor. & Gelasius ad Missam cantari instituerunt. Plerique alij Ecclesiæ Doctores & Episcopi aliqua alia superaddidisse noscuntur; illi etenim Sancti Patres non simul omnia ad decorem officij pertinentia; sed diuersi diuersa in diuersis temporibus ordinarunt, vt videmus in priuatis Ordinibus Regularibus, & Ecclesiis sæcularibus in quibus ferè vnusquisque institutor Ordinis & Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum præpositi diuersimodè officium Ecclesiasticum ordinarunt, & pro libito eorumdem mutabatur & ordinabatur; donec Tridentinum decreto suo executioni per Pium V. mandato vniformitatem in Psalmodia, & in diuinis officiis recitandis, & agendis, non tamen in cantu aut in cantandi modo induxit. His de hac materia prælibatis.

Probatur nostra propositio 1. ex regulis & constitutionibus S. Basilij Clericorum Regularium S. Augustini, Monachorum SS. Benedicti, Bernardi, Stephani, Chartusiensium, Camaldulensium & aliorum : Necnon etiam Mendicantium, in quibus videre est quanta cura hanc Psalmodiam, & cantum Ecclesiæ illi claustralium institutores, suique sequaces susceperint : quantaque vigilantia incubuerint, vt illud obsequium penitus Diuinum attentè, piè pariter & deuotè à suis subditis persolueretur. Duas ex tot similibus diuersorum Ordinum constitutionibus ad hunc effectum producam: primam ex D. Basilij regula in qua sic legitur. *Nostri monachi conueniant nocte in simul in Ecclesiam & Psalmos cantent : & horis Matutinis Laudes : media verò die preces : completorium autem de serò psallant, nam sicut eos Deus in corpore & anima nutrit, sic debent noctu & diu illum laudare. Secundam S. Benedicti, qui cap. 8. sua regula sic scribit : Qui in oratorio dum pronunciat Psalmum aut responsorium fallitur, statim per satisfactionem coram omnibus humiliari debet*, & vt expeditius hoc obsequium præstaretur c. 45. vestitos & non nudos dormire iussit (sicut etiam alij institutores ferè omnes hanc regulam suis subditis imposuerunt) ne lecti delicijs detinerentur. Taceo alias pœnitentias impositas per constitutiones : à regularibus illius temporis delinquentibus in hoc debito coram omnibus aliis, simul congregatis luendas.

Probatur 2. ex Regularium antiquis sæculis degentium in Psalmis & aliis diuinis officijs cantandis praxi, quæ tam excellens fuit, tamque feruida, modula, grauis, deuota & assidua, vt propter eam & alia huiusmodi exercitia antiqui Ecclesiæ Patres Angelos, Cherubinos, Seraphinos, imò & Deos illos appellare non erubuerint; Posset hæc praxis fusissimè probari ex Chronicis singulorum ordinum Regularium : & ex vitis sanctorum in quibus non intermissa narratur, sed ex tot in illis narratis 1. illud referam, quod in responsis Patrum, de responso Arsenij à quodam iuuene monacho rogati, dicitur, cuius hic tenor est. *Continuis 42. annis in hoc eremitorio vitam duxi, in quo non vidi monachum, nequidem buxellam audentem ea die comedere, qui choro cantandis Psalmis non interfuisset.* 2. occurrit praxis monasterij Agauni diœcesis Sionis in partibus Eluetiorum siti à sancto Sigismundo vltimo Burgundiæ rege ædificati, at ab eodem post filij iniustam occisionem, pœnitentia ducto: necnon à S. Seuerino Abbate ibi morantibus honorato, in quo tanta erat Monachorum S. Benedicti ipsum in colentium deuotio, vt narrante libro, cui titulus vita

Sanctorum, in choro noctu, diuque ferè incessanter Psallerent; siquidem egredientibus è choro post Psalmodiam monachis alij sine mora cantaturi ingrediebantur.

3. occurrit elogium illud, quod Petrus Damiani Cardinalis ex praxi Psallendi Monachis sancti Benedicti impartitur, cum sic fatur opuscul. 13. de perfect. Monach. cap. 17. *Ad pugnam quippe quasi castra contendimus, cum vt ita dicam psalturi, vel oraturi ad Ecclesiam festinamus. Illic enim tenebrarum principes aduersum nos feraliter dimicant, vt per illusiones phantasmatum, ab his, quæ per labia defluunt, vagabundas mentes auertant, & reuera quam pulchra militiæ species, præcipuè nocturnis horis cum fratres quasi tubarum clangoribus excitati cuneum faciunt, & tamquam directa acie properantes, attoniti ad procinctum diuini certaminis concorditer gradiuntur, cùm videlicet puerorum ala præcedit, iuuenum verò tamquam manipulorum turma subsequitur: postremo autem legentes vestigia senes, belli scilicet robur, ne subsidat aliquis, ne vel hostis furtiuus immergat totius exercitus terga custodiunt.*

Adde quod laterna in prima belli fronte præfertur vt columna ignis per desertum præcedere populum aptissima similitudine videatur: sic nimirum, sic centuriæ Christi ad comedendum cæleste manna: sic ad obtinendam terram lacte & melle manantem vera Israelitica properant legiones. Clangentibus namque tubis ad tabernaculum fæderis properant, vt verbi cælestis illic epulas comedant, & sacrificium laudis Deo, ac bonæ voluntatis vota persoluant. Hæc Pet. Dam. quibus videre est, quàm exactè Psalmodiam agerent illius temporis Regulares. Sileo pœnitentias publicè factas à delinquentibus in hoc exercitio, vt sic ad persoluendum psallendi debitum reducerentur.

Probatur 3. ex vniuerso Regularium vsu, quem hoc sæculo in Dei Ecclesia intuemur; nam si spectes multitudinem Psallendorum, si modum & formam Psallendi, si grauitatem in situ, mortificationem in sensibus, & modestiam in toto corpore, si religiositatem in ritibus & cæremonijs; si tempus & loca in quibus psallunt, si prolixitatem in psallendo ac deuotionem, si populorum concursum ad ea quæ à Regularibus psalluntur, audienda consideres, certè cæteris Clericis & Canonicis Ecclesiarum sæcularium nequaquam inferiores reperies: imò multum superiores, tum in multis ex proximè positis circumstantijs, tum etiam in eo quòd in maioribus ciuitatibus in quibus sunt diuersorum Ordinum monasteria, nulla ferè hora diei & noctis labitur, in qua Regulares non sint in excubiis ad psallendum; aliqui enim ante primam noctis horam, alij prima noctis hora, &c. & sic in diuersis monasterijs alij aliis in psallendo vsque in noctis & diei finem succedunt, sicque exactè vt deficientes in hoc munere persoluendo, pœnitentiæ in publico luendæ committentur.

Probatur 4. ex sensu sæcularium, qui ita de Regularibus credunt, quorum innumeri ex psallentium modulatione, grauitate, modestia & deuotione vitam in meliorem mutarunt, ac etiam statum Regularem amplexi sunt. Non ago ibi de Doctoris, Inquisitoris, Magistri Sacri Palatij Apostolici, librorum Censoris, Sacristæ Pontificis, & Pœnitentiariorum eiusdem & aliorum muneribus, quæ quotidiè dignè & laudabiliter in Ecclesia Dei exercent, quæ proculdubio sunt Hierarchiæ Ecclesiasticæ Officia.

PROPOSITIO IV.

PRæceptum priuatim recitandi Horas Canonicas obligat Regulares caractere subdiaconatus insignitos, obligat etiam illos cum certis circumstantiis ad easdem in choro publicè recitandas.

Ex prima propositione huius tractatus constat recitationem Horarum Canonicarum esse actum Hierarchicum, de cuius obligatione hanc propositionem quæ priuilegium non continet, adhibeo, vt Regulares videant quo vinculo ad Horas recitandas ligentur. Dico igitur quod Theologi & Canonistæ communiter tenent recitationem Horarum Canonicarum priuatam sub mortali obligare, quam obligationem colligunt 1. ex cap. *Dolentes* de celebrat. Missar. in quo Innocent. 3. in Concil.

& tamen pluribus diebus quis à residentia abesse potest absque labe mortalis culpæ, ergo &c. excipe tamen ab hac sententia recitationem ob titulum aliquem specialem, qui obliget ad quotidie recitandum sub culpa letali; nam ratione illius tituli poterit quis obligari ad recitandum illas Horas quotidie, vt verbi gratia, si in fundatione monasterij sit oppositus, aut in concessione alicuius legati monasterio, aut Ecclesiæ facti.

Dixi in propositione *insignitos caractere subdiaconatus illi oneri subijci*: nam de reliquis regularibus [si fratres Minores excipias] non est certum, quòd illo vinculo ligentur; nam omnia argumenta, quæ adducuntur ad illud onus regularibus imponendum, parum aut nihil penitus probant, & consuetudo quæ est vnum ex præcipuis non admittitur à multis, vt à Cajet. in summ. verb. hora §. 1. Medina q. 7. de orat. sub finem ab Arag. 2.2. q. 83. art. 12. dub. 4. & à Villalob. qui in 1. part. summæ tract. 24. diffic. 9. asserit se plures antiquos & graues diuersorum Ordinum Regulares de hac materia interrogasse; nihilque certi asserere potuisse: qui autem in dubio vellet obligare ad huiusmodi onus Regulares, contra Ius faceret, quod vult, vt melior sit pars possidentis.

Dixi etiam in propositione *priuatim* nam de obligatione publicè recitandi in choro, videtur etiam dubium; non enim ad illam tenentur ratione eleemosynarum, seu redditum; quia dantur merè charitatiuè ad sustentationem, vel aliquando vt merces operis exhibiti, vel vt Deo iuxta suum institutum seruiant; nec ratione beneficij Ecclesiastici, quia sunt multi Ordines, quorum Institutum non permittit alicuius beneficij possessionem: nec ratione Iuris communis; quia nullum est quod illam obligationem inducat; nam Clementina 1. de celebratione Missar. supponit tantùm illam obligationem, non explicando qualis illa sit, & præcipit Prælatis sæcularibus & regularibus, vt curent Horas Canonicas decenter in choro recitari, quod præceptum obligat sub mortali illos Prælatos, vt verba hæc testantur: *Si Dei & Apostolicæ sedis indignationem euitare voluerint*: non tamen inde concluditur esse præceptum de dicendo officio in choro, nam sicut constitutionum Regularium obseruantia, non obligat Regulares in particulari, Superiorem tamen sub mortali obligat, si contemnat curare eas seruari: sic in præsenti materia dici potest Regulares non obligari ad chorum, sed supposito, quod chorus sit teneri Superiorem prouidere vt debitè fiat, quod autem sic debeat intelligi satis colligitur ex verbis prædictæ Clemēt.

Obligantur nihilominus sub mortali alij Regulares si moniti, correcti, & compulsi, si iusta non existente causa choro sæpe non intersint, aut si non moniti à Superiore, ex sua absentia nouerint omitti recitationem Horarum in choro, aut chorum pati. Crediderim autem illum pati si in eo, tantu plano cantatur, dum non adsunt saltem quatuor, si verò cantu firmo recitantur, vt in choro Recollectorum & Capucinorum, dum etiam tot Regulares non intersunt: nisi quis dixerit eum numerum sufficere, qui ad recitationem priuatam alternatim faciendam sufficiens est; cùmque ad hanc faciendam duo sufficiant, videtur illum numerum dumtaxat necessarium, nam hæc recitatio Horarum per dictos Regulares practicata, non est propriè cantus ordinatus ad populum conuocandum, vt interfit, qui est præcipuus finis institutionis chori, sed tantùm recitatio alta, firma & clara voce facta, esset tamen peccatum maiori numero non accedente ad chorum, si inde scandali occasionem sæculares, aut Regulares assumerent, quod persæpe ex huiusmodi absentijs sine causa à regularibus factis proculdubio oriri in maioribus conuentibus certum est, si verbi gratia ex numero viginti Regularium in illis commorantium adsint dumtaxat quatuor, & ex duodenario, duo: crediderim tamen hunc numerum sufficere posse etiam absque scandalo, si reliqui Regulares confessionibus audiendis, & prædicationibus faciendis, aut similibus bonis operibus incumberent; non autem si collocutionibus vanis, & desidiæ indulgerent, quos tunc temporis peccare mortaliter certum est, puto tamen satius esse; in Conuentibus sic legitimè occupatis à choro dispensare, illumque pro tempore occupato in totum omittere. Horas priuatim dicendo, licèt chorus sub præcepto sit; nam non obligat cùm sit affirmatiuum, nisi commodè & decenter fieri possit.

Duo sub finem huius capitis hic addenda ad multorum scrupulos tollendos iudi-

caui. Primum quod recitationem Horarum priuatam licitè potest quis facere pedes, eques, procubens, iacens, vel recumbens, ambulans, vel quiescens, melius tamen si situs quem tenet Ecclesia in recitatione publica [qui tamen sub peccato, sublato scandalo non obligat] seruetur: sic post Innocent. Hostiens. & Nauarr. tenet Miranda in Manual. tom. 1. q. 37. art. 10. Concl. 1. Secundum Recollectos, Capuc. & alios huiusmodi, qui horis cantui, quem vocant, plano canendis non incumbunt, posse in choro anticipare & postponere illas extra illud tempus, quod ab Ecclesia præscriptum est, quia ratio obligationis illas alta voce, & statis horis recitandi, videlicet (vt populus conueniat, & moueatur ad laudandum Deum) in illis deficit, cùm cantus ille firmus parum, aut nullatenus ad hoc moueat; ac proptereà non soleat populus ad eorum Ecclesias conuenite, quocirca si Caietanus verb. hora c. 4. tenuit absolutè, quod illa anticipatio, & postpositio erat tantùm venialis; nisi fieret habitualiter, à fortiori assereret nullum esse in huiusmodi Ordinibus, in quibus cantu plano non canitur, posse autem Prælatum quando occurrit causa, anticipare & postponere certum est.

PROPOSITIO V.

DVobus præcipuè priuilegiis potiuntur Regulares circa recitationem Horarum Canonicarum.

Hæc propositio probabitur ex enumeratione speciali eorumdem, ac 1. Prouinciales ac iure potiori Generales in suis Capitulis Prouincialibus possunt committere de concilio Definitorum duobus aut tribus fratribus ad faciendum Calendarium pro tota Prouincia. Probatur ex expressis verbis concessionis Leonis X. quæ habentur in Compend. priuileg. Mendic. verbo officium Diuinum: prima respicit generale Capitulum refertur his verbis: *Concessit quod Capitulum generale habeat facultatem declarandi dubia quæ occurrerint circa officium Diuinum & ordinandi, addendi & mutandi quidquid videbitur fratribus expedire, tam in regulis, quàm in Calendario.*

Secunda eiusdem Leonis respicit Prouinciales, in qua sic legitur. *Concessit quòd ministri Prouinciales in suis Capitulis Prouincialibus respectiuè possint de concilio Definitorum nominare duos vel tres fratres, qui sic nominati possint ordinare & instituere vnum calendarium sanctorum, feriarum, & Dominicarum pro toto anno cum regulis necessarijs: ita quod semper in quacumque Prouincia tam fratres, quàm Moniales illarum Prouinciarum respectiuè idem officium & de eodem sancto, vel festiuitate vel feria faciant, ne varietati & discordiæ locus detur; dum tamen non multùm discrepet à Calendario Romano*: primam approbat Christoph. à cap. Font. in suo Compend. eodem verb. non verò secundam, fretus decreto generalis Capituli Burgensis de anno 1523. in quo post ordinatum & emendatum Calendarium ad vniformitatem in ordine Minorum seruandam: *Præcipitur sub pœna inobedientia omnibus illius Ordinis Prouincialibus, vt illud Calendarium sic emendatum seruent, & nullum aliud in Prouincijs conficiant, aut emendent*: Verùm quoniam illud decretum iam non viget; ideò vtraque concessio firma subsistit.

Nec obijcias 1. aduersus hæc duo priuilegia Bullam Pij V. inchoatam *quod à nobis* in qua præter mores, ritus & formulam recitandi officium Diuinum: *Sancta Romana Ecclesia* in vniuersam Ecclesiam sub præcepto interdicuntur aliæ formulæ, mores, & ritus illud recitandi penitus, interdicta sunt. Respondetur ita esse, sed posteà Greg. XIII. Bulla inchoata: *Ex benigna* & Clemens VIII. Bulla quæ incipit: *Ratio pastoralis* illam reuocarunt, confirmando Minorum priuilegia, cum clausulis ex certa scientia & nonobstantia omnium litterarum Apostolicarum per suos prædecessores emanatarum, quarum quælibet sufficit ad illam Pij V. constitutionem reuocandam, & præfata duo priuilegia innouanda, quod non attendentes Rodet. to. 1. qq. RR. quæst. 42. art. 11. & Portel. verb. Horæ Canonicæ n. 7. fulti dumtaxat sola Pij V. præfata constitutione aduersus sua principia alibi posita (videlicet) quod clausula ex certa scientia, & nonobstantiæ &c. priuilegia reuocata innouaret, peccando,

in

do, in contrariam sententiæ nostræ opinionem abierunt. Atque nostræ sententiæ verissimæ assentitur Corduba post Casurubium; cum non dissentiat; cum tamen in suis annotat. soleat dissentiri, quando non iudicat priuilegium valere.

Non obijcias 2. quod saltem fratres Minores illis priuilegiis vti non possunt quoniam eis in regula c.3. sub letali præcipitur: *vt faciant Diuinum officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: ille autem ritus à Prouincialibus, & Capitulo generali factus, non est Romanę Ecclesiæ ordo; ergo officium illud sic ordinatum dicere non possunt absque prędicti præcepti transgressione. Respondeo iuxta expositorum illius capitis sensum, illud verbum *ordinem* significare tum rubricas, tum Calendarium Breuiarij Romani, quæ duo si per Romanum Pontificem, aut per eiusdem delegatum, in alias rubricas & Calendarium mutarentur, hunc quidem nunc existentem ordinem in nouum mutarent, qui etiam ordo Romanę Ecclesiæ diceretur, quia à Pontifice Romano factus: quo posito sicut fratres Minores hoc tempore non facientes Diuinum officium iuxta ordinem. R. E. qui aliis sæculis vigebat, sese accommodantes ordini, qui nunc est à multis Pontificibus successiuè variatus, faciunt illud iuxta ordinem S. R. E. sic etiam quando auctoritate Pontificia mutato illi ordini per dictos Superiores in recitando sese conformes exhibent; licet in indiuiduo non sit idem ordo qui in R. E. seruatur. Alloquin Minores à pluribus sæculares illius præcepti transgressores existerent, dum faciunt officium Sancti Francisci sub duplici primæ classis cum octaua: & dum etiam multa alia officia Sanctorum & sanctarum Ordinis cum octauis recitant, quod nemo audebit asserere. Ex quo notabis duo in illo præcepto contineri, vnum substantiale, quod est dicere officium, id est 7. Horas Canonicas, & illud obligat Minores sub mortali: aliud accidentale scilicet illud dicere secundùm ordinem Romanæ Ecclesiæ, & hoc aliquando ad nullum peccatum obligat: aliquando verò ad solum veniale, nec aliam habent in his duobus obligationem, quàm Clerici sæculares, qui ad illum ordinem ex antedicta Pij V. Bulla tenentur; quæ obligatio non excedit culpam venialem.

Secundò Leo X. Minoritis & consequenter aliis Regularibus participantibus: *Concessit quod illa, quæ in ordinario iubentur dici secretè sub silentio in Horis Canonicis non teneatur proferre vocaliter; sed satis faciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se: per librum autem aliqui deuotiùs si dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum, & quod eodem modo possit facere, qui dicit officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipuè vt ab alijs intelligatur*: quibus verbis duo priuilegia conceduntur, primum, vt possit Regularis ea quæ iuxta rubricas secretò dici debent, mente dicere. Secundùm quod multo melius est non solum antedicta, sed etiam omnia alia eiusdem officij dum priuatim recitatur, posse mentaliter dicere: sic tenent Casarub. verb. Horæ Canonic. Corduba in annotat. ad illud verb. Roderius citatus art.4. Miranda quæst. 37. art.17. Concl. vnica, & alij post Nauarrum cap.19. de orat. n.88.

Verumtamen quamuis hoc priuilegium magnum sit, potest tamen aliquomodo dici non esse priuilegium; sed Iuris communis explicationem. Ratio est, quia præceptum de recitando officio, est tantùm de illo dicendo; sed ille qui mente dicit verè dicit officium; verba enim mentalia sunt verba verissima; alioquin filius Dei non esset Verbum patris; & certe videtur Sanct. Thomas eiusdem esse sententiæ cùm 22. quæst. 88. articulo 12. ait quod *vocalis oratio non sit necessaria, nisi quando illa debet innotescere toti populo* [*constat autem horas priuatas non debere sic innotescere.*] *2. cùm dicit hominem solo corde dicere posse ex illo Psalmi 26. Tibi dixit cor meum.* Denique motus labiorum, non est tanti momenti vt obligationem sub letali inducat; cum abundè hic defectus suppleri possit per maiorem attentionem & deuotionem; quocirca probabile est, quod aliqui putant, quos refert Emanuel Sa verb. hora §. 11. illum qui sic dicit officium ob maiorem deuotionem excusari à letali peccato, vtrum autem venialiter peccet Lectori docto iudicandum relinquo.

Plura alia priuilegia quoad recitationem officij reperies apud citatos Auctores, & in Compendiis priuilegiorum cuiuscúmque Ordinis: necnon etiam in Bullario vt [verbi gratia:] *Quod Regulares possint anticipare horas ob aliquod negotium, aut vt deuotius recitent quod diebus in quibus sunt otiosi possint dicere officia longiora illorum dierum, in quibus prauident se multum occupandos, & reseruare breuiora ad illos dies; quod Superior*

possit dispensare subditos, & se ipsum facere dispensare, dum alicui ardua occupationi, aut rebus similibus incumbunt, quod non teneantur iterum Diuinum officium repetere, etiamsi balbutiendo, truncando verba &c. dixerint non ex malitia, sed ex naturali defectu, & quod alia huiusmodi facere possint, quæ sunt potius Iuris communis interpretationes, quàm priuilegia; nisi dixeris priuilegia verè nuncupari; quia dant facultatem faciendi ex leuiori causa illa, quæ ius commune faciendi eum eadem causa non permittit, vt docent citati Roder. & Miranda.

Vnum tamen ab illis excipe quod iure communi non conceditur, impartitum Minoritis ab Innocent. IV. Bulla inchoata: *pro vestro collegio* his verbis: *Nec non si cum itineris, vel alterius rei causa extra conuentus, seu loca vestra qualibet, quoslibet vestrum contigerit degere: Diuinum officium fratres cum fratribus, aut simul cum alijs Regularibus, seu sæcularibus personis, vel quibuslibet separatim facere, alio, quàm Romano ordine placuerit: id ad debitum, quod ratione Regulæ præfatæ debetis persoluere, vobis sufficiat: nec iterum proprium dicere teneamini, tenore præsentium nunc & in perpetuum indulgemus*: atque ita sentiunt Casarub. Corduba, & Sorbus in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Horæ Canonicæ, Marcell. à Sanct. Bened. eod. verb. in Compend. priuileg. Fuliens. Francis. Luengo in cap. 3. Regul. Minorum controuers. 8. Sect. 3. §. 10. qui etiam illud existimat de priuilegiis præ allegatis, non autem de omnibus, quia de illis non agit. Sic etiam de omnibus Regularibus, quod possint in eo casu dicere officium alieno breuiario, vniuersaliter docet Diana tract. 12. de Horis Canon. resolut. 10. & tract. 2. de dubijs Regular. resolut. 135. post Portel. in dub. Regul. verb. Horæ Canon. n. 6. Roder. in summa tom. 3. cap. 195. n. 2. Lessium lib. 2. c. 37. dub. 12. n. 74. Eman. Sa verb. Horæ n. 6. Hieron. Roder. in Compend. qq. RR. resolut. 24. n. 34. & Mirandam in Manual. tom. 1. q. 37. quorum sententiæ adhæreo, licet mihi videatur esse aliquatenus contrarium præcepto fratrum Minorum de dicendo diuino officio; ac proinde dispensatiuum. Hæc sufficiant de priuilegiis circa recitationem Horarum Canonicarum dicta. Nunc progrediendum est ad priuilegia in Obseruatione Ieiunij concessa: sit ergo.

PROPOSITIO VI.

POssunt Regulares anticipare horam prandij in ieiunio tum ex Ecclesiæ, cùm ex Regulæ præcepto sub mortali obligante, & itinerando illud in alium diem transferre, quocúmque motiuo iter suscipiatur, dummodo non fiat in fraudem ieiunij.

Exercitia abstinentiæ, ieiuniorum, cęterarumque huiusmodi vitæ Regularis asperitatum fugientes quidam Antiregulares, à Regularibus non amouent: norunt enim optimè quod Regulæ eorumdem huiusmodi asperitatibus redundant, & quod vt veri, & genuini illarum Professores ipsismet regulis, quod eas, perfectâ obedientiâ præstant hoc vnû illis displicere potest, si in seipsos tantisper reflectantur, quod vita Regularium in illarum exercitiis est veluti speculum: vitam ipsorum delicatam, & deliciis supereffluentem vt censor redarguens, & vtinam hæc displicentia ad meliorem frugem ipsos reduceret, & finerent Regulares suis asperitatibus, ieiuniis, & abstinentiis pacificè incumbere.

Abstinentiam esse virtutem cupiditates, & delectationes esculentorum inordinatas refręnantem, & in ipso vsu debitam moderationem constituentem, non ignoratur, nec etiam quod ieiunium sit abstinentia, maior tamen quàm communis temperantiæ regula postulet; consistit autem in priuatione carnium, ouorum, casei, & butyri, vt constat cap. *Denique* distinct. 4. cuius Auctor Gregorius I. qui sic pronunciat: *par est, vt nos qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis ieiunemus, à lacte videlicet, caseo & ouis*: non tamen æqualis est horum quatuor obligatio; nam abstinentia carnis, ita intrinseca

addit sic sentire Doctores 4. Academiarum, quas nominat, existimantium vsum illorum etiam in Quadragesima esse tantum culpam venialem. Imò in multis partibus in ieiuniis etiam quadragesimæ, carere omni culpa certum est, verbi gratia vbi ille vsus dispensatione, vel consuetudine præscribente inductus reperitur.

Licet ieiunare ordinariè diebus Dominicis sit peccatum: non tamen excedit veniale sublato scandalo, vt Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 37. n. 15. existimat; potest tamen sine peccato in Dominica licitè ieiunari, vt docent post alios Sanchez citatus n. 10. & Bonacc. tom. 2. punct. 4. §. 1. n. 6. Quamuis propter hæresim Manichæor. qui illo die in contemptum Resurrectionis Dominicę ieiunium, vt necessarium indixerant, & indictum seruabant, ab Ecclesia antiquitus prohibitum fuisset illo de ieiunare cap. *Si quis tamquam*, cap. *Si quis presbyter*, & cap. *Sacerdos* 26. q. 7. qui error cum abolitus sit causa illius præcepti, & consequenter, præceptum cessat, vt præfati Doctores censent: ac tenuit D. Franciscus Assisias cum quadragesimam Christi videlicet ab Epiphania vsque ad continuos 40. dies suis fratribus consulit ieiunandum, vt sic ieiunium Christi imitarentur, cuius Regula id consulens ab vniuersa Ecclesia est approbata. Quod antea D. Hieronymus censerat Epist. 28. ad Lucinum dicens Apostolos illud seruasse: hinc distinct. 76. cap. *vtinam* sic scribitur: *Vtinam omni tempore ieiunare possemus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominica Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.*

Tempus refectionis capiendæ in ieiunio, [quod vna refectione corporali & collatiuncula constat,] non est de substantia ieiunij, nec obligat, nisi ad veniale, si sine causa fiat; cum causa præuenitur licitè & inuertitur ordo comestionum, etiam licitè, ita vt non sit peccatum collatiunculam manè facere, & prandium ad serotinum tempus reseruare, quantitas collatiunculæ iudicio prudentis ieiunantis à necessitate propria mensuranda relinquitur, communiter 4. vnciæ comestibilium illi conceduntur, alij sex illi concedunt, & alij, sed nimis largè octo, qualitas ciborum illius à quibusdam ad panem, & fructus coarctant. Alij autem ad quæcúmque comestibilia in prandio comedi solita, nimis largè extendunt. Dico nimis largè; quoniam video apud probos in Gallia & Italia solere comedi pisciculos, aut offam, & in Gallia & alibi etiam caseum, etiam butyrum & lac, sed ouorum comestio nullibi in vsu habetur. Error autem summè intolerabilis est asserere quod in illa electuatia & fructus in quauis quantitate comedi possunt.

Soluitur autem Ecclesiastici obligatio ieiunij ætate 60. annorum: Adiicimus etiam quod idem iudicium ferendum est in ieiuniis ex præcepto Regulæ; quoniam sicut supponitur in ea ætate necessitas in omnibus sæcularibus, pari modo in Regularibus eiusdem ætatis: illa autem soluit obligationem ieiunij. Non inchoatur verò eiusdem ieiunij obligatio, nisi in habentibus 21. annum completum: secus illius iunij obligatio quæ ex præcepto Regulæ habetur; nam incipit obligare statim atque Regularis professio facta est. His quoad Doctrinam de ieiunio explicatis.

Probatur propositionis prima pars ex concessione expressa Leonis X. inserta in 51. viuæ vocis oraculo, & habetur in Compend. priuilcg. Mendic. verb. ieiunium §. 5. his verbis. *Concessit quod fratres Minores maximè, Prædicatores actu prædicantes possint sine stimulo, & seruato ieiunio, anticipare & retardare iuxta suam consolationem horas comestionis, & serotinæ collationis.* Sic tenent Roder. qq. RR. tom. 2. quæst. 10. art. 2. Marcell. à S. Bened. V. ieiunium §. 2. Portel. verb. eodem §. 4. Franciscus Luenguo in Regul. Minor. controuer. 9. Sect. 4. n. 7. & alij.

Quoad verò secundam partem probatur expressa etiam concessione Leonis X. viuæ vocis oraculo 60. & habetur in citato Compend. loco §. 4. his verbis. *Concessit quod itinerantes possint transferre ieiunium diei itinerationis ad alium diem*: sic citati Doctores cum Martin. à S. Ioseph in cap. 3. Reg. Minorum cap. 8. n. 17. & alij, qui hæc priuilegia extendunt ad Regulares, qui equitando iter agunt, & hic vltimus extendit illud ad illos qui iter agunt non ex obedientia, voto aut necessitate; sed voluntariè, & probat ex Regula Iuris, quia *Vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus*. Prætor &c. Adiicimus quòd fraus non debet interuenire quoniã peccatũ esset mortale, si intentione frangendi ieiunium, quis iter ageret, nam *dolus, & fraus nemini suffragantur*, cap. *Abb. si*, cum Glosa *de his quæ vi*, & cap. *Ad nostram* de exempt.

& vendit. & toto tit. ff. quod metus causa. Dixi si intentione violandi ieiunium iter ageret; nam etsi præuideret ex voluntariè suscepto itinere se fracturum ieiunium,& non intenderet se eo fine fracturum, peccaret tantùm venialiter, vt tenent communiter Doctores, quia nemo tenetur remouere omnia quæ ieiunium seruandum impediunt, alioquin vsus præceptorum Ecclesiæ esset toleratu maximè difficile. Quale autem iter sufficiat ad transferendum ieiunium? Idem Martinus à S. Iosep. citatus existimat sufficere in pedestri iter 3. leucarum in debilibus corpore: in Robustis verò 4. cuius sententiæ assentior. Licet possit dici quod hoc debet relinqui iudicio pedestris, aut equestris itineranti, sicut supra diximus de quantitate collatiunculæ. Extant plura alia priuilegia circa ieiunium,& esum carnium, & cæterorum huiusmodi, quæ potius sunt Iuris communis dispositiones quàm priuilegia; quo circa illa omittimus, ad priuilegia circa processiones procedentes.

PROPOSITIO VII.

OMnes Regulares quorum conuentus sunt intra ciuitates, vel non distant ab eis plusquam per medium milliare, tenentur quibusdam processionibus publicis interesse, si quosdam priuilegiatos demas: non possunt tamen Episcopi censuris aut pœnis nolentes castigare, licet possint illos compellere.

Processiones esse actus Hierarchicos nemo dubitat, Processiones autem publicas & priuatas inter se multùm differre docent Canonistæ; priuatæ enim sunt illæ, quæ vel ab vnaquaque Ecclesia, etiam Cathedrali, vel Parochiali fiunt, vel quæ priuata necessitate ab eisdem instituuntur. Publicæ verò sunt illæ, quæ ex causa publica, & magna, ex consuetudine, vel etiam præcipiente Ordinario de concilio Capituli indictæ sunt, aut indicuntur; quales, Sunt illæ, quæ fiunt in Litanijs maioribus, atque minoribus, vel pro bono publico, vt imminente peste, alioque flagello, vel in aduentu noui Episcopi, vel in festo S. Corporis Christi: sic Prosp. de August. in addit. ad Quarantam verb. præcedentia. Aloyſ. Riccius in Praxi rerum fori Eccles. resolut. 308. n. 7. & in decis. eur Archiepisc. Neapol. part. 4. decis. 379. n. 3. Vgolin. de offic. Episc. cap. 11. n. 6. Campan. in diuers. iur. Canon. rub. 12. cap. 13. n. 118. Armendar. in addit. ad recopil. leg. Nauarræ lib. 1. tit. 14. lib. 24. §. 31. de processionibus n. 3. Valenzuel. cons. 184. n. 25. & 26. tom. 2. idque decisum esse à Congreg. Cardinal. de ritib. refert Farinac. in vna ferrar. 27. Iulij 1609. His positis. Probatur propositio 1. quia huiusmodi accessus ad processiones consuetudine antiqua à Regularibus solitus erat, & ante Tridentinum erat in praxi; quocirca noluit obligare præsentiam eorumdem; nisi ad antiquas, & publicas processiones iuxta Pij V. interpretationem Bulla sæpius repetita: *etsi Mendicantium* dum sic pronunciat his verbis; *Postremo quod cap. 13. sess. 25. cautum fuit, quod omnes scilicet tam Clerici, quàm Regulares quicúmque ad publicas processiones vocati accedere compellantur, id quoad fratres præfatos, de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundùm consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere: vel pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra Infideles indicuntur.* Quod etiam similiter decisum est à Congreg. Cardinal. referente Aldano in Compend. Canon. resol. lib. 2. tit. n. 8. 25. his terminis. *Episcopus potest præcipere Regularibus in sua diœcesi commorantibus, vt eant ad processiones publicas, vt in festo Corporis Christi, Litanijs & Iubilæis publicis faciendis: dummodò processiones sint eius generis, quæ comprehenduntur in Bulla Sanctæ memoriæ Pij V. incip. etsi mendicantium.* In quibus videre est, quod præfatæ Bullæ remaneat dispositio integra, quoad processiones, sicut quoad cætera. Notabis tamen Litanias maiores non esse ex illis, quæ connumerentur in iure; ad quæ populus accedere tenetur iuxt. Abbat. cap. *Nimis praua*, de excessi prælat. n. 3. ad quas proinde non tentur accedere regulares vt tenet etiam Moronus responso 12. n. 16.

Nec obstat cap. præfatum Tridentini quod absolutè loquitur, dum sic decernit. *Exempti autem omnes tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicúmque, etiam monachi ad processiones publicas vocati accedere compellantur.* Nam cùm ad Pontificem spectet explicare Trident. ipsi explicanti vt supra credendum est. Accedit quod hoc decretum cùm sit odiosum Regularibus impositum: nec habeat clausulam reuocatoriam pri-

uilegiorum à sede Apostolica concessorum, strictè est interpretandum; ac propterea de processionibus publicis, ad quas ante Trident. ex consuetudine antiqua obligabantur intelligendum est; non autem de illis, ad quas antiqua consuetudine non tenebantur, quibus apertè constat Trident. nihil noui in hoc decreto decernere, sed antiquum onus Regularibus ad accedendum ad publicas processiones, per dictam constitutionem Pij explicatam confirmare, quod etiam aliundè probatum manet: dum dictas Pontifex eademmet Bulla declarat illud decretum *non intelligi de illis Conuentibus, qui Collegia nuncupantur, in quibus fratres sub strictiori clausura degunt, ita vt neque in choro cantent, neque ad mortuos accedant; sed tantum studijs, & lectionibus vacent.* Quod facere non poterat, sicut nec Cardinal. Congregatio decreto proximè citato [in quo eadem decisio habetur] si illud decretum absolutè & vniuersaliter intelligendum esset: & confirmatur ex eo quòd distantes per medium milliare à ciuitate, aut loco in quo fit processio, obligarentur ex verbis illius Capitis ad publicas processiones accedere, & tamen non tenentur, vt decisum testantur Aloiſ. Riccius dicta resolut. 308. n. 2. Piasec. in praxi Episcop. part. 2. c. 3. n. 47. in fine. Vgolin. citatus cap. 20. §. 2. n. 7. ver. secundò Armend. dicto loco n. 11. & 14. Salgado de protect. Reg. tom. 1. part. 2. cap. 9. n. 104. & Portel. in dub. Regul. verb. processiones n. 3. qui ait Marzillam in suo lib. declarat. Cardinal. lib. 2. tit. 12. cap. 14. §. *Exempti omnes* referre vnam declarationem & alteram decisionem Cardinal. in qua dicitur: *non teneri ad processiones accedere Regulares, qui degunt in monasterijs distantibus ab vrbe, vel oppido per dimidium milliare*: sic definitum est die 21. Maij 1601. quibus vides moderatam esse Leonis X. in Concil. Lateran. constitutionem Bulla inchoata: *Sacro approbante Concilio*, quę iubet: *vt si non distent vltra vnum milliare accedere teneantur.* Ex quibus sequitur 1. quòd verba illius Capitis Tridentini patiuntur explicationes, nec debent vniuersaliter intelligi: sed tantùm iuxta antiquam consuetudinem; sequitur 2. quod non tenentur accedere, nisi vocati: sequitur 3. quòd non tenentur accedere ad priuatas processiones; quia nullo iure hæc obligatio habetur. Quocirca cum toti populo indicitur oratio 40. Horarum in aliqua Ecclesia Ciuitatis, illuc licèt vocati, accedere non tenentur, vt Congreg. Cardinal. declarauit referente Ioan. Gallemart. in sua compilat. decis. in cap. prædictum Trident. Addit Moronus citatus post, Fuscum, Villalobos, & Rodericum quos citat non teneri Regulares accedere ad Processiones, quæcumque illæ sint, nisi ad illas, quibus assistit Episcopus. Itaque tantum in Cathedralibus, & in ipsis locis, in quibus ad esse contigerit Episcopum, possunt Compelli adesse Regulares, & istæ processiones etiam debent esse pro re graui, & publica, & Consuitæ de iure aut de facto, & debent rogari alioquin nō tenentur accedere, sic ille.

Dices ergo prędictis omnibꝰ veris existentibꝰ sequetur, quod nulli Regulares obligati sunt ad processiones accedere; cùm omnes in priuilegiis communicent, & priuilegium sit aliquibus, quo ab accessu ad illas eximuntur. Respondetur negando sequelam; ad probationem autem sequelæ dicitur, quod omnes Regul. in quibus eadem est ratio potiendi priuilegiis, in eisdem communicant, non autem in illis, ad quæ participanda non est eadem ratio, sicut in præsenti priuilegio, in quo omnes, qui sub strictiori clausura, aut in collegijs studijs & c. vacant, illo priuilegio gaudent: non autem illi, qui talibus non sunt addicti, quod exemplo de Prælatis sumpto manifestissimè ostenditur, priuilegia enim illis concessa cæteris Prælatis eiusdem, & alterius Ordinis concessa censentur, non autem subditis, quia eadem ratio in his nō reperitur sicut in illis.

Additum est in propositione, quòd Regulares ad illas processiones compellantur, qui autem possint compelli non dicit expressè Tridentinum, nam postquam pronunciauit esse muneris Ordinarij terminare controuersias circa præcedentiam in processionibus & aliis huiusmodi comitiis: *Amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscúmque (de quo munere agemus infra, subdit postea) exempti autem omnes tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicúmque, etiam monachi ad publicas processiones vocati, accedere compellantur*: in quibus vides quòd ius compellendi datum agnoscitur nullo nilominus expresso cui illud ius concessum sit. Quod autem Episcopo non sit ex Tridentino concessum rationabiliter potest præsumi. 1. quia per dictas clausulas circa præcedentiam Tridentinum terminauit quod Iuris Episcopalis erat; alioquin illas non apposuisset. Sed expectasset in fine decreti illas apponere, vt solet, quod

non fecit. 2. quoniam si illi hæc potestas concessa fuisset, Episcopi in Tridentino congregati; cum de illorum iure ageretur id clarè in dicto decreto expressissent, quod autem id non fecerint, contra illos interpretatio est facienda, iuxta Iuris Regulam in 6. *Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs interpretatio est facienda*: ac propterea concludendum ius illud compellendi ad Episcopum non spectare, vt de simili modo loquendi materia de approbatione Confessarij ex Bellarmino, & aliis diximus in tract. de confessariis: ergo in vi Tridentini non potest Episcopus compellere Regulares, vt ad dictas processiones accedant. Et confirmatur; quia vt probauimus in tract. de exempt. & alibi, Regulares sic sunt exempti à Iurisdictione Episcopi directiua & coactiua, vt nisi specialiter, & expressè potestas in illos à Pontifice ei detur, non censeatur ei concessa: non est autem ei sic concessa in hoc decreto; cùm neque de Episcopo mentionem faciat, neque de huiusmodi exemptionis clausula reuocatoria, quorum expressio ad hunc effectum est necessaria.

Dices: ad quem ergo illa potestas compellendi spectabit? posset quis dicere: ad Prælatum Regularem cùm ad eum omnis compulsio in Regularem subditum pertinear: verùm si hic nolit ire, nec mittere suos subditos, quis illum & illos compellet? Respondebit fortasse quispiam tunc temporis posse Episcopum vti vi compulsiua, non in vi Tridentini, sed in vi Iuris communis antiqui sibi ex consuetudine acquisiti; redintegratur enim in hoc casu potestas Iurisdictionis, qua ante exemptionem Regularium in eos potiebatur, vt alibi in simili materia diximus, quod forsan vult innuere Concilium, cùm non dicat, vt compellantur auctoritate Apostolica, aut ab Episcopo, aut aliis tamquam à sede Apostolica delegatis, vt solet facere cùm vult, vt Episcopus, aut quiuis Ordinarius Pontificia procedat auctoritate, illam tamen responsionem non esse vniuersaliter veram existimo; cùm possit ab alio Prælato sibi superiore in casibus ordinariis compelli; sed tantùm in casu magnæ necessitatis publicæ, in qua processio huiusmodi Regularium abesse non posset, à Generali processione Cleri & populi sine graui scandalo.

Sed quia communi sensu Doctorum illa compulsio Episcopo concessa existimatur, ideò stando in illa sententia quæritur si Episcopus Regulares eorumdemque Prælatum nolentes ad processiones conuenire, censuris aut pœnis possit compellere. Respondetur non posse: Et 1. quod non possit compellere censuris fusè in tract. de exempt. probatum est; & hanc sententiam tenent Henriq. in summa lib. 7. c. 25. §. 57. Roder. in summa tom. 1. c. 74. n. 4. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 33. n. 23. Villal. in summa tom. 2. tract. 35. Difficul. 5. n. 17. Portel. in addit. ad dub. Regular. verb. Episcopus n. 5. & verb. processiones n. 1. Hieron. Roder. in Compend. qq. Regular. resolut. 118. n. 1. Seort. in Bulla Selem Theorect. 393. verb. si autem. Laurent. de Peitin. part. 1. Ritual. norab. 3. & tom. 1. in constit. Minim. constit. 2. Sixti IV. n. 60. Tamburin. de iure Abbat. tom. 1. dispur. 19. q. 7. n. 7. Diana resolut. Moral. 3. tract. 2. resolut. 176. & alij. 2. verò quod non possit etiam pœnis compellere, eadem prorsus est ratio, fuitque ex grauissimis Doctoribus & ex iure probatum in proximè dicto tractatu. Posse tamé Episcopum pœnis intimatis, non inflictis compellere Regulares existimat citat. Moronus cum ijs quos allegat.

Instabis si non possit censuris, aut pœnis inflictis compellete Regulares, vt ad processiones accedant, frustra data est illi potestas ad compellendum; cum nullum aliud sit medium ad hunc effectum. Respondetur esse multa alia media, vt potè inobedientes illos instanter monendo, & acriter arguendo, ac etiam si opus fuerit sententiam vt supra aduersus illos proferendo, & denique adhibendo potestatis sæcularis brachium, vt cogat, cum ad ipsam spectet facere, vt ius Ecclesiasticum vnicuique debitum seruetur, quod sufficit vt hæc potestas possit compulsiua dici, non enim omnis potestas compulsiua vtitur censuris, & pœnis, vt in potestate iudicium sæcularium eiusdem naturæ manifestissimum est.

Hic autem sub finem norabis, quod Portel. verb. processiones in dub. Regular. existimat territorium non esse necessarium Regularibus ad possidendum ius faciendi processiones extra monasteria, cùm existimet Regulares posse eas facere nonobstante cap. *Certum est quidem* de consecrat. distinct. 1. quod contra Regulares non facit; solùm enim prohibet, ne fiant in Ecclesiis, aut oratoriis dedicatis auctoritate

Episcopi, aut Papæ; sunt autem ea auctoritate dedicatæ Regularium Ecclesiæ; resoluit tamen in hoc sequendam consuetudinem, cuius sententiam amplector.

PROPOSITIO VIII.

OMnes Ordines Clericorum S. Augustini & Monachales præcedunt in processionibus omnes Ordines mendicantes : hi autem præcedentiam interse respectiuè possident.

Sicut processio est Hierarchiæ Ordinis, sic ordo eorum, qui in illa locum tenent ad eamdem spectat, Ecclesia enim, & ipsius Hierarchia est castrorum acies ordinata, & sicut in exercitu, alij primum, alij verò medium, & alij denique infirmum locum iuxta merita vniuscuiusque tenent, sic in Hierarchia Ordinis, cuius non infirma membra sunt Regulares, qui ideò in illa, & locum tenent, & inter se iuxta vniuscuiusque merita : nec illud ius præcedentiæ ambitionem aut fastum redolet, nisi quis dixerit fastum redolere sacram Hierarchiam, & ipsius tamquam terribilis exercitus ordinem, quod nemo nisi insipiens dixerit.

Ordo ergo in processionibus & alijs comitiis seruandus est hic; primum locum antiquo iure tenent Clerici sæculares, vt nouissimè à Greg. XV. bulla incipiente *alias fælic. recordat. Clem. Papa VIII.* decisum fuit, & inter illos Canonici Cathedralium Ecclesiarum 1. incedunt, 2. Canonici Ecclesiarum collegiatarum. 3. Curati, 4. reliqui Clerici: secundum locum regulares, & inter ipsos primus locus debetur Canonicis regularibus S. Augustini, secundus monachis qui inter se ipsos præcedentiam habent iuxta præcedentiam originis sui Ordinis. Tertium locum occupant Ordines mendicantes, & inter illos primum Dominicani, seu fratres Prædicatores, secundum fratres Minores, tertium Augustiniani, & vltimum Carmelitæ, sic vniuersaliter de prædictis omnibus Marr. à S. Iosep. in declarat. Bullæ de præce. ordin. tract. de declarat. quarumdam bullarum; quoad vero Mendicantes præcedentiam præfatam Pius V. determinauit bulla inchoata *diuina disponente Clementia.*

Obiicies Greg. XIII. Bulla, quæ incipit *exposuit pastoralis officij munus* determinauit obseruandam esse præcedentiam in processionibus, & actibus publicis iuxta præcedentiam fundationis monasterij, in illo loco, in quo fit processio, & non iuxtà præcedentiam originis illius religionis. Respondetur ita esse: dummodo addar quod Papa non tollit præcedentiam, quæ antea stabilita erat per consuetudinem, sed huic bullæ vsus contrarius est, & statur dispositioni Pij V. vt citatus Mart. & Roder. to. 3. qq. RR. q. 37. art. 4. tenent, quo circa vbi huius Pontificis dispositio est in vsu seruanda, vbi vero ea Gregorii est practicata, ibi seruanda est, si exceperis Minores Discalceatos, qui dispositioni Gregorij non subiiciuntur, vt inferius videbitur: dummodo prius euacuata fuerit difficultas circa dispositionem Pij V.

Videlicet num idem iudicium quoad præcedentiam sit ferendum de Reformatis, ac de non Reformatis illorum Ordinum? Respondetur quod sic; quoniam cum sint eorummet ordinum, ac non reformati, vt sæpius Pontifices declararunt, debent eademmet præcedentia potiri iuxta cap. *Dudum* a. de elect. & cap. *cum dilecta* de confir. vt is vel inut. & cap. *transacto* de constituit, & l. illud ff. ad l. Aquiliam. Ratio est quia vbi eadem militat ratio, eadem debet militare iuris dispositio, militat autem eadem ratio in Reformatis; ergo &c. quo circa cum in multis locis Italiæ, Galliæ, & Castellæ exortæ fuissent lites inter Augustinianos, Carmelitas, Trinitarios, & alios super præcedentia, quam contra ipsos fratres reformati Ordinis Minorum sibi iustè deberi prætendebant; negotio ad Clement. VIII. delato, & diligenter examinato, sic determinauit, bulla quæ incipit. *Ex iniuncto nobis*, his verbis, *ipsosque Reformatos in omnibus monasteriis, locis, domibus, oratoriis, collegiis, & Ecclesiis, quas nunc obtinent, & in posterum obtinebunt, tam in Italia, quàm extra vbique locorum, præsertim in Gallia, omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, & indultis, tam spiritualibus quàm temporalibus, ac præcedentijs in processionibus, in funeralibus, ac in concursu cum aliis*

Digitized by Google

religionibus, in concionibus certis tempore, & loco vicißim habendis, & in omnibus altis actibus publicis, & priuatis, quibus dicti fratres de familia in eorum monasteriis, Ecclesiis, domibus, & locis, ac rebus tam de iure, quàm ex consuetudine, vel aliàs frui, potiri ac gaudere solent, poßunt, ac poterunt quomodolibet in futurum frui, potiri ac gaudere posse, ac debere. Verum cùm hæc decisio Pontificis non nominasset Discalceatos Hispaniæ, qui eiusdem reformationis sunt cum Recollectis Galliæ, & Reformatis de Obseruantia Italiæ nuncupatis, ideò in illos Augustiniani, & alii præmemorati regulares, insurrexerunt, & causa Romam vocata, exiuit sententia à sacra rituum Congregat. ab Vrbano VIII. sub data 9. Ianuarij 1630. bulla cuius initium est *ex incumbentis* nobis confirmata, tenoris sequentis: *procurator fratrum Discalceatorum ordinis Minorum Sancti Francisci de Obseruantia Prouincia Sancti Ioannis Baptistæ Hispaniarum exposuit suos fratres Discalceatos pati controuersiam ab aliis Regularibus, & præcipuè ab Augustinianis circa præcedentiam in processionibus &c. citato ad hoc procuratore generali Ordinis Sancti Augustini, supplicauit prouideri: & sacra rituum Congregatio sequendo votum illustrißimi Deti, cui hac causa erat commissa, censuit præcedentiam in concursu cum aliis regularibus in processionibus, & aliis actibus publicis semper competere dictis Discalceatis, siue soli de per se, & sub propria cruce, siue sub Cruce, & cum familia de Obseruantia incedant, siue Discalceati, reformati, aut alio quouis nomine nuncupentur: dummodo sint verè reformati ordinis S. Francisci: nec non gaudere, & frui debere omnibus aliis prarogatiuis in supradicta bulla Clement. VIII. expreßis, & ita in posterum vbique seruari mandauit hac die 22. Decembris 1649.* Atque huius sententiæ à Congregatione latæ confirmationi dictus Vrbanus addidit clausulam reuocatoriam omnium Constitutionum, & ordinationum Apostolicarum, quauis firmitate roboratarum, & nec etiam staturorum, priuilegiorum, & consuctudinis in contrarium præmissorum.

Quo circa reformati de Obseruantia quocumque nomine appellentur, omnes mendicantes, fratribus Prædicatoribus exceptis, possunt præcedere, etiam omni appellatione non solum friuola, sed etiam legitima postposita, vt indicta proximè bulla habetur, vnde anno 1632. Augustiniani ciuitatis Cartagenæ, & Minimi ciuitatis Lyoanensis Discalceatos earumdem ciuitatum, contra quoad præcedentiam coram Illustrissimo Domino à Monte, tunc in Hispaniis nuntio prouocarunt, qui in fauorem prouocatorum sententiam tulit, à qua prouocantibus prædictis ad Papam appellantibus libellum appellationis deuolutiuum vt intra 4. menses lis tota terminaretur concessit, eisdem insuper prohibendo ne contra præcedentiam Discalceatis debitam quidquam tentarent.

Nihilominus video in pluribus Galliarum locis vsum huic dispositioni contrarium, seruarique in præcedentiis antiquitatem fundationis conuentuum; quocirca in locis vbi talis est, seruandum iudico: in aliis autem standum decisionibus præmemoratis.

Hæc sufficiant de præcipuis Regularium priuilegiis, pro quibus conseruandis certant regulares; certant etiam plurimi Senatus Supremi ac Reges, & Principes, vtinam certarent etiam huius sæculi illustrissim. Antistites Galliæ & in hoc certamine imitarentur suos antecessore Episcopos in Synodo generali sic nuncupata Tulli 859. congregata Baronio post alios referente, in qua illi Patres seu tota ipsa Synodus coram rege Carolo, & Rodolpho Archiepiscopo Bituricensi in terram prostrata per crucem, & effusum sanguinem Christi supplicauit, vt priuilegium Monasterii S. Benedicti de Regis consensu confirmatum, cuique dictus Rodolphus suum manuale signum apposuerat executioni per omnia mandaretur. Vtinam inquam, Illustrissimi Antistites huius sæculi executionem priuilegiorum regularium, toties concessorum totiesque confirmatorum exactam, non in terram prostrati, sed quouis alio, vero tamen, & cum affectu paterno modo coram Papa, & rege supplicarent. Verum proh dolor, contrariam eorundem experiuntur in Regulares voluntatem, & supplicationem. Faxit Deus vt in melius mutentur erga Regulares, & hæc mutatio erit dexteræ Excelsi.

FINIS.

ELENCHVS

ELENCHVS TRACTATVVM, CAPITVM, ET PROPOSITIONVM QVÆ in hac prima parte continentur.

TRACTATVS I.

DE PRIVILEGIIS REGVLARIVM In communi.

CAPVT PRIMVM.

De suprema R. Pontificis in vniuersam Ecclesiam potestate: deque potestate Regum in ordine ad Canonum Ecclesiasticorum tuitionem.

CAPVT II.

De concessione, confirmatione, & validitate, Priuilegiorum Regularium.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

TRACTATVS II.

De *Priuilegio Exemptionis Regularium ab Ordinariis.*

CAPVT PRIMVM.

CAPVT II.

ẽ ij

CAPVT VIII.

De quibusdam ab ordinariis, & regularibus in modo procedendi circa priuilegium exemptionis obseruandis.

TRACTATVS III.

De Hierarchia Ecclesiastica.

CAPVT PRIMVM.

De Hierarchia Ecclesiastica, deque diuisione illius, & eius actibus, ac de Hierarchis, & iis quos Hierarchia complectitur.

CAPVT II.

De regularium praelatorum erga subditos potestate in genere considerata.

CAPVT III.

De facultatibus praelatorum regularium ad subditos à censuris reseruatis, tum ex Iure communi, tum ex Priuilegijs absoluendos.

VII.

CAPVT IV.

De potestate prælatis regularibus ad subditos ligandum concessa.

TRACTATVS IV.

De facultate Prælatorum regularium ad dispensandum subditos.

CAPVT PRIMVM.

De potestate prælatorum regularium ad dispensandum super regularitate.

CAPVT II.

De facultatibus prælatorum regularium ad dispensandum subditos super pœnis Ecclesiasticis, & Regularibus.

Digitized by Google

FINIS.

ELENCHVS TRACTATVVM,

CAPITVM, ET PROPOSITIONVM QVÆ

In hac ſecunda parte continentur.

TRACTATVS VII.

IN QVO AGITVR DE PRIVILEGIIS IN ORDINIS Hierarchia Regularibus Conceßis.

CAPVT PRIMVM.

De natura, & deffinitione Hierarchiæ Ordinis in qua Regulares locum habent: nec non de Facultatibus Prælatis eorumdem conceſſis quoad ſacrorum Ordinum, per ſuos ſubditos Regulares ſuſcipiendorum.

CAPVT II.

De iis quæ ſpectant ad regulares in ordinibus ab Epiſcopo ſuſcipiendis.

CAPVT III.

De Prælatorum Regularium facultate ad conferendos ordines.

TRACTATVS VIII.

DE CÆTERIS PRIVILEGIIS CONCESSIS

REGVLARIBVS AD HIERARCHIAM ORDINIS SPECTANTIBVS.

46

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

FINIS.

44X

Digitized by Google

Digitized by Google

R. SA[illegible]
REST[illegible]
Via [illegible]
Tel. [illegible]

Digitized by Google